Robert L. Hayes
Sept 4th 1900

CURSUS PHILOSOPHICUS.

IN USUM SCHOLARUM.

AUCTORIBUS

PLURIBUS PHILOSOPHIAE PROFESSORIBUS

IN COLLEGIIS EXAETENSI ET STONYHURSTENSI S. J.

THEOLOGIA NATURALIS.

FRIBURGI BRISGOVIAE.
SUMPTIBUS HERDER,
TYPOGRAPHI EDITORIS PONTIFICII.
MDCCCXCV.
EIUSDEM LIBRARIAE AEDES SUNT VINDOBONAE, ARGENTORATI, MONACHII
ATQUE IN URBE S. LUDOVICI AMERICANA.

THEOLOGIA NATURALIS

SIVE

PHILOSOPHIA DE DEO.

IN USUM SCHOLARUM.

AUCTORE

BERNARDO BOEDDER S. J.

CUM APPROBATIONE REVMI ARCHIEP. FRIBURG.

ALMA COLLEGE
160
LIBRARY
B633
Alma, California

FRIBURGI BRISGOVIAE.
SUMPTIBUS HERDER,
TYPOGRAPHI EDITORIS PONTIFICII.
MDCCCXCV.
EIUSDEM LIBRARIAE AEDES SUNT VINDOBONAE, ARGENTORATI, MONACHII
ATQUE IN URBE S. LUDOVICI AMERICANA.

1012

Salvo iure proprietatis et translationis.

Typis Herderianis Friburgi Brisgoviae.

PRAEFATIO.

Hoc de Theologia naturali opus est volumen sextum et ultimum *Cursus philosophici,* qui, compluribus auctoribus S. J. cooperantibus, duobus abhinc annis ex officina typographica B. Herder prodire coepit.

Quae sit operis mei ratio, ex triplici, quam ei addendam curavi, rerum tabula omnibus facili negotio patebit. Reliquum igitur est, ut ea, quae scripsi, intelligenti virorum doctorum iudicio examinanda tradam.

Stonyhurst in Anglia, die 5. Iunii 1895.

Bernardus Boedder S. J.


Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/theologianatural0000bern_i4f7

INDEX SYNOPTICUS.

Pag.

Praefatio v
Tabula theseon xiii
Introductio 1

Liber I.

De exsistentia Dei.

Praeliminaria 4

Caput I.

De modo, quo Deus naturaliter cognoscibilis est.

Praenotanda 6
Art. 1. De ontologismo et argumento ontologico 7
§ 1. Reicitur ontologismus 7
§ 2. De argumento ontologico 8
Art. 2. Reicitur traditionalismus et solvuntur argumenta theologica ei faventia 15
Art. 3. De fide Dei naturali quae dicitur 18

Caput II.

Quibus rationibus exsistentia Dei demonstrari possit.

Art. 1. De exsistentiae Dei demonstratione metaphysica . . 23
§ 1. Exponitur argumentum ex motu rerum (cineseologicum) 25
§ 2. Exponitur argumentum ex efficientia rerum mundanarum novarum (cosmologicum) 33
§ 3. Exponitur argumentum ex caducitate esse specifici rerum (alloiologicum) 43
§ 4. Exponitur argumentum ex perfectione essendi rebus secundum gradus essentialiter diversos communi (henologicum) 45

Pag.

§ 5. Exponitur argumentum ex veris et veritatibus idealibus (ideologicum) 48

Art. 2. De exsistentiae Dei demonstratione physica . . . 51

§ 1. Exponitur argumentum ex ordine mundi (teleologicum) 52

§ 2. De ceteris argumentis physicis 66

Art. 3. De demonstratione exsistentiae Dei morali . . . 69

§ 1. Exponitur argumentum ex beatitudinis desiderio (eudaemonologicum) 70

§ 2. Exponitur argumentum ex obligationis moralis agnitione (deontologicum) 71

§ 3. Exponitur argumentum ex nationum de Dei exsistentia consensu (ethnologicum) 76

Caput III.

De atheismo.

Art. 1. De habitudine atheismi ad veritatem et virtutem . . 87

Art. 2. De habitudine naturae humanae in concreto spectatae ad atheismum 92

Liber II.

De essentia et proprietatibus Dei sive de attributis Dei absolutis quae dici solent.

Praenotanda 96

Caput I.

De essentia Dei metaphysica.

Art. unicus. Quae Dei proprietas dicenda sit essentia Dei . 97

Caput II.

De attributis esse divini.

Art. 1. De unitate Dei 102

Art. 2. De summa Dei simplicitate 108

Art. 3. De infinita Dei perfectione 117

§ 1. Demonstratur Deum esse infinite perfectum . . 117

§ 2. Quomodo creaturarum perfectiones Deo infinito insint 123

Pag.

§ 3. Qui sit canon generalis nominum Deo infinito tribuendorum 125
§ 4. Quae sit distinctio inter attributa Deo infinito propria 131
§ 5. Quibus significationibus nomen infinitatis rebus a Deo diversis tribui possit 133

Art. 4. De immutabilitate Dei physica 136
Art. 5. De aeternitate Dei 139
Art. 6. De immensitate Dei 141

Caput III.

De erroribus circa attributa esse divini.

Art. 1. De polytheismo 145
Art. 2. De dualismo Manichaeorum 147
Art. 3. De pantheismo 152

§ 1. Praeliminaria de notione et praecipuis theoriis pantheismi 152
§ 2. Refutatur monismus pantheisticus recentior . . 157
§ 3. De fallaciis Spinozae (commentaria) . . . 164

Caput IV.

De attributis operationis divinae.

Art. 1. De intellectu divino 170

§ 1. De infinita perfectione intellectus divini . . . 170
§ 2. De medio subiectivo cognitionis divinae . . . 175
§ 3. De obiectis cognitionis divinae 178
§ 4. De medio obiectivo cognitionis divinae . . . 192
§ 5. De divisione scientiae divinae 204

Art. 2. De voluntate divina 208

§ 1. De exsistentia voluntatis divinae 209
§ 2. De obiecto voluntatis divinae 213
§ 3. De necessitate et libertate volendi voluntati divinae propria 217
§ 4. De immutabilitate decretorum divinorum . . 222
§ 5. Quomodo libertas divina stet cum immutabilitate Dei 226
§ 6. De sanctitate voluntatis divinae 229
§ 7. De affectibus voluntatis divinae 230
§ 8. De virtutibus Dei (coroll. ad doctrinam de intellectu et voluntate Dei traditam) 233

Art. 3. De vita Dei beatissima 235
Art. 4. De Dei omnipotentia 237

Pag.

Caput V.

De attributis respectus ideales esse divinum consequentes exprimentibus sive de attributis Dei idealibus.

Art. 1. De divina veritate 242
Art. 2. De bonitate divina 245
Art. 3. De pulchritudine divina 250
Art. 4. De invisibilitate, incomprehensibilitate, ineffabilitate Dei 252

Liber III.

De Dei in res ab ipso diversas actione. (Pro cuius actionis varietate de eo praedicantur attributa relativa quae dici solent.)

Caput I.

De rerum creatione.

Art. 1. De facto creationis 256
Art. 2. De incommunicabilitate potentiae creatricis . . . 265
Art. 3. De antiquitate creaturae in genere spectatae . . . 272
Art. 4. De antiquitate mundi nobis noti in concreto spectati . 279

Caput II.

De rerum conservatione.

Art. unicus. Ostenditur res omnes a Deo directe servari in esse 283

Caput III.

De divina in rebus operantibus operatione sive de concursu divino.

Art. 1. Ostenditur Deum cum omnibus creaturis ad agendum immediate concurrere 289
Art. 2. Quid sentiendum sit de praemotione sive praedeterminatione physica et de concursu solum simultaneo . . 298

Caput IV.

De Providentia divina.

Art. 1. De fine, quem Deus mundo praestituit 316
Art. 2. De rerum mundanarum ad finem mundi habitudine . 322
Art. 3. De perfectione divinae rerum in finem directionis . . 326
Art. 4. De malorum mundi ad Providentiam divinam habitudine 336

Pag.

Appendix I.

Ad Theologiam naturalem.

Quid S. Thomas (Qq. disp. de potentia q. 3, a. 7) de divina praemotione docuerit, ad captum tironum exponitur . 345

Appendix II.

Ad Theologiam naturalem.

Refutantur rationes, quas H. Spencer, ad Agnosticismum fulciendum, a Mansel mutuatus est 356

Index alphabeticus 361

Errata.

Pag. 84 lin. ult. „ullam“ corrige „nullam“.
Pag. 102 lin. 10 ab initio „lib. 2“ corrige „lib. 1“.
Pag. 174 lin. 12 ab initio „distinctio“ corrige „distinctione“.
Pag. 262 lin. 4 a fine „esse“ corrige „ens“.
Pag. 268 lin. 11 a fine „*Prob. min.*“ corrige „*Prob. mai.*“
Pag. 309 lin. 14 ab initio „independentia“ corrige „dependentia“.

TABULA THESEON.

Pag.

I. Deum exsistere, quamquam est veritas per se nota quoad se, non est veritas per se nota quoad nos; quare ex conceptu Dei exsistentia eius argumento ontologico quod dicitur stricte demonstrari nequit 8

II. Ex motu rerum probatur exsistentia primi motoris nullatenus mobilis sive perfectibilis, qui est Ens a se sive Deus . . 25

III. Efficientia novarum substantiarum individuarum, qua esse specificum rerum viventium huius mundi corporei conservatur, reducenda est ad causam primam non factam, a se exsistentem, Deum personalem, Creatorem materiae et animae humanae . . 33

IV. Praeter res secundum esse suum specificum caducas exsistit aliqua res perpetua, eaque non solum hypothetice, sed absolute necessaria, quae nequit esse nisi Deus personalis . . 43

V. Ex gradibus entitatis et bonitatis essentialiter diversis, secundum quos res individuae huius mundi in genera et species dividuntur, recte concluditur a se exsistere essentiam aliquam, quae sit summe ens et summe bona, eamque esse eandem atque essentiam Dei personalis 45

VI. Vera idealia et veritates ideales fundantur in Ente a se exsistente, quod est primum verum et prima veritas, Deus personalis 48

VII. Est in mundo corporeo ordo multiplex, non solum materialiter, sed formaliter teleologicus, cuius auctor immediatus magna pollet sapientia, et cuius auctor supremus est Deus personalis 52

VIII. Appetitus naturalis, quo homines in beatitudinem feruntur, est indicium certum exsistere Deum, prout concipitur esse natura spiritualis homine superior et fons uberrimus veritatis . 70

IX. Ex agnitione principiorum legis naturalis, quae in genere humano moraliter universo invenitur, recte concluditur exsistere Deum, prout concipitur ut legislator invisibilis, cui totum genus humanum subiciatur 71

Pag.

X. Ex generis humani in agnoscenda divinitate consensu moraliter universali evidenter demonstratur exsistere numen, i. e. maiestatem quandam intelligentem, hominibus superiorem iisque colendam sive Deum notione vulgari expressum 76

XI. Atheismus tum dogmaticus tum scepticus sive agnosticismus rationi magnopere repugnat et ad vitam hominum universaliter applicari nequit, quin sequatur generis humani ruina moralis et socialis 87

XII. „Esse a se" est essentia Dei 97

XIII. Non est nisi unus Deus 102

XIV. Deus non solum respective, sed etiam absolute, physice et metaphysice summe simplex est 108

XV. Deus natura sua est infinite perfectus sive Ens actu infinitum 117

XVI. Creaturarum perfectiones purae secundum se consideratae Deo insunt formaliter, secundum suum in creaturis essendi modum spectatae ei insunt eminenter tantum; perfectiones autem mixtae creaturarum Deo non insunt nisi eminenter . . 123

XVII. Nomina perfectionum purarum de Deo proprie, immo magis proprie dicuntur quam de creaturis, licet Deo et creaturis non conveniant univoce, sed analogice; nomina vero perfectionum mixtarum de Deo dici nequeunt nisi metaphorice . . . 125

XVIII. Attributa divina ab invicem distinguuntur aliqua distinctione virtuali, quae non est pure mentalis sive rationis ratiocinantis quae dicitur 131

XIX. Deus est physice immutabilis 136

XX. Deus est aeternus 139

XXI. Deus est immensus 141

XXII. Nequit exsistere summum principium malum sive auctor malorum a Deo uno et infinito independens . . . 147

XXIII. Pantheismus modernus universim inspectus experientiae et rationi repugnat; ex eoque logice ea sequuntur, quibus admissis incitamenta honestatem constanter sectandi destruuntur 157

XXIV. Deus formaliter intelligit modo infinite perfecto; quapropter sine discursu et sine compositione et divisione mentali, quidquid cognoscibile est, perfecte intelligit uno immutabili actu, qui est ipsa substantia divina 170

XXV. Medium subiectivum omnis cognitionis divinae sive species intelligibilis unica intellectus divini est essentia Dei . 175

XXVI. Deus se ipsum, omnia, quae actu sunt et fuerunt, omnia possibilia atque necessaria futura adaequate comprehendit 178

XXVII. Deo ab aeterno perspecta sunt omnia libera absolute futura 185

Pag.

XXVIII. Deus perfecte cognoscit omnia libera condicionate futura 190

XXIX. Deus primo et per se se ipsum cognoscit, omnia autem alia, quatenus considerantur ut pure possibilia in se ipso, ut medio obiectivo cognoscit, i. e. eo ipso ea cognoscit, quod suam essentiam comprehendit 193

XXX. Deus ab aeterno in decretis suis cognoscit ea exstitura esse, quae independenter a libertate alicuius creaturae vel exstiterunt vel exsistunt vel exsistent 195

XXXI. Libera condicionate futura *qua talia* a Deo cognoscuntur absque ullo medio obiectivo 195

XXXII. Actus liberos absolute futuros Deus sub lumine suae de eorum futuritione condicionata scientiae in decretis suis cognoscit 203

XXXIII. Deo proprie convenit voluntas summe perfecta, quae realiter non differt ab ipsa essentia Dei 209

XXXIV. Deus bonitatem suam infinitam propter ipsam amat, res autem alias propter bonitatem suam 213

XXXV. Deus suam bonitatem absoluta necessitate amat; exsistentiam rerum finitarum libere decernit vera libertate indifferentiae 217

XXXVI. Decreta Dei sunt immutabilia, sive, ut aiunt, Deus est moraliter immutabilis 222

XXXVII. Sanctitas, prout est moralis voluntatis perfectio, in Deo verissima est et absoluta 229

XXXVIII. Deus vere et proprie ita vivit, ut sui cognitione et dilectione sit infinite beatus 235

XXXIX. In Deo est potentia infinita ad omnia intrinsecus possibilia se extendens, unde Deus recte dicitur omnipotens . 237

XL. Deus non solum est prima veritas essentialis et prima veritas intellectualis, sed etiam prima veritas moralis, ita ut sit summe verax et fidelis 242

XLI. De Deo bonitas tum essentiae tum voluntatis absolute summa praedicanda est 245

XLII. Deus est pulchritudo summa 250

XLIII. Origo rerum a Deo diversarum liberae eius ex nihilo creationi debetur 256

XLIV. Deus solus aliquid ex nihilo creare potest; quare substantiae singulae spirituales et totum substratum materiale mundi corporei sunt effectus immediate divini 265

XLV. Nulla ratione probari potest res ab aeterno creatas esse 272

Pag.

XLVI. Motum materiae vel generationes viventium corporeorum, imprimis hominum, ab aeterno fuisse sibi intrinsecus repugnat 279

XLVII. Deus omnia, quae sunt, directe conservat in esse 283

XLVIII. Deus in omnibus actionibus creaturarum immediate concurrit 289

XLIX. Theoria divinae immediate ad unam certam actionem moventis praedeterminationis physicae creaturarum agentium nulla ratione evidenti probatur, cum pluribus veritatibus evidentibus difficillime componitur, doctrinae S. Thomae adversatur . . 298

L. Finis mundi primarius est ipse Deus per mundum glorificandus gloria externa obiectiva et formali, finis autem secundarius est hominum felicitas 316

LI. Mundus, qui actu est, non est *absolute* optimus omnium possibilium, dici tamen debet *relative* optimus . . . 322

LII. Providentiae divinae omnes et singulae res creatae immediate et ordinatissime subsunt; unde evidens fit speciali modo ei subesse creaturas rationales *qua tales* et cum respectu ad has omnes res corruptibiles a Deo dirigi 326

LIII. Providentia divina ita se habet ad mala physica et moralia huius mundi, ut ex his nihil legitime inferri possit contra bonitatem illius 336

Introductio.

1. **I. Definitio theologiae naturalis.** Theologia naturalis, quae a recentioribus etiam theodicea vocatur, intelligitur scientia de Deo lumine rationis naturali genita.

Explicatur definitio. Cum theologiam naturalem scientiam esse dicimus, nomine scientiae significamus systema veritatum, quae ex principiis certo cognitis via ac ratione de aliquo obiecto demonstrantur. Scientia igitur de Deo ea significatione accepta opponitur:

1. cognitionibus naturalibus Dei certis quidem, sed non stricto ordine logico inter se connexis;

2. opinionibus de Deo plus minusve probabilibus;

3. cognitionibus Dei sola fide auctoritatis alienae innitentibus.

Quod alteram definitionis nostrae partem attinet, ea indicatur discrimen praecipuum inter theologiam naturalem et supernaturalem. Nam obiectum materiale primarium utriusque scientiae idem est; obiecto vero formali una ab altera longe distat. Theologia enim supernaturali id de Deo deque eius ad res creatas habitudine verum demonstratur, quod ex verbo Dei revelato demonstrabile est (*Kleutgen,* Inst. theol. I, n. 8).

2. **II. Praestantia, utilitas, necessitas theologiae naturalis.** Theologia naturalis, cum ipsam Maiestatem Dei obiectum suum habeat, dignitate longe praecellit ceteris scientiis, quae in principiis solo naturali rationis lumine cognoscibilibus fundantur. Nulla harum est, quae non accessu theologiae naturalis nova quadam luce splendere incipiat, cum Deus, qui est obiectum huius nostrae scientiae, causa sit prima et suprema omnium obiectorum, quae ceteris disciplinis tractan

tur. Imprimis vero psychologia sine theologia naturali quasi mutilata iacet, quia origo animae nostrae eiusque libertas et immortalitas solide tractari nequeunt, nisi supponantur plures veritates in theologia naturali demonstrandae. Denique, cum a Deo, ultimo hominis fine, summum principium moralitatis desumendum sit, facile liquet theologiam naturalem simul cum psychologia esse basim, in qua sola systema solidum philosophiae moralis erigi possit.

Accedit ad hanc multiplicem theologiae naturalis utilitatem summa eius necessitas contra adversarios fidei Christianae. Nam qui doctrinam revelationis Christianae hac nostra aetate impugnant, non eas tantum veritates negant, quae sine revelatione cognosci nequeunt, sed eas quoque, quibus investigandis fidei via munitur. Inter has autem veritates, quae *praeambula fidei* dici solent, locum praecipuum obtinent eae, quae demonstrantur theologia naturali.

3. **III. Theologiae naturalis ad theologiam dogmaticam habitudo.** Ut ex iis quae modo diximus patet, theologia naturalis theologiae dogmaticae magno est subsidio. Etenim Dei infinite intelligentis, potentis, boni atque veracis exsistentia, quae initio theologiae dogmaticae supponitur, in theologia naturali ratione demonstratur. Quare haec praebet arma ad positionem theologiae dogmaticae contra aggressores scientifice defendendam. Ex altera autem parte doctrina theologis dogmaticis plerisque probata tamquam veritas, quae cum veritatibus revelatis logice connectatur, cultori theologiae naturalis est quasi stella, cuius observatione cursus sui rectitudinem diiudicet. Etenim sine dubio a recto rationis tramite aberrat, qui pro conclusione legitima eam habeat, quae opposita sit alicui asserto, quod a doctoribus theologiae dogmaticae ubique terrarum constanter traditur ut aliquid ex principiis fidei certo concludendum. Ratio est, quia tali asserto magisterium infallibile Ecclesiae Christi tacite saltem consentire censendum est. Itaque in casu collisionis cum eo cultor theologiae naturalis processum ratiocinationis suae retexere et reconsiderare debet, id quod debito modo fieri nequit, quin appareat conclusionem theologiae dogmaticae oppositam, quae apparenter videbatur vera, nullo modo rationibus evidentibus muniri. Qui in theologia naturali con-

struenda hoc modo se gerit, eam non construit super basim theologiae dogmaticae, qui esset modus agendi absurdus, sed doctrina theologiae dogmaticae de errore monetur, quem dein ratio sola diligentius reflectens ex suis principiis certo cognoscit falso habitum esse pro veritate evidenti (cf. *Frick,* Logica n. 5 sqq.).

4. **IV. Divisio theologiae naturalis.** Quaestiones primariae nobis solvendae sunt hae tres:

1. Quanam ratione nobis constat esse primam rerum causam sive Deum, et quomodo scire possumus Deum esse Ens personale, i. e. in se subsistens intellectu et voluntate praeditum?

2. Quid intellectui humano de Deo in se considerato cognoscibile est?

3. Qui est influxus Dei in res ab ipso diversas?

Unde oriuntur libri tres:

Liber I. De exsistentia Dei.

Liber II. De essentia Dei eiusque proprietatibus (quae proprietates etiam dicuntur attributa Dei absoluta).

Liber III. De Dei in res ab ipso diversas influxu (pro vario hoc influxu varia habentur attributa Dei relativa).

Nota. Haec divisio ita est intelligenda, ut materia singulis libris assignata sit illud, de quo iisdem *primarie* agatur.

Liber I.

De exsistentia Dei.

Praeliminaria.

5. I. *De nomine Dei.* Nomen deitatis sanscriticum *deva* et graecum θεός et latinum *deus* derivari videntur a radice *div* = *lucere.* A radice huic cognata *djut* plures derivant nomen anglicum *God* et germanicum *Gott.* Quare probabile est gentes antiquas aricas quae dicuntur Ens supremum coluisse ut auctorem lucis vel dominum caeli lucidi. Apud gentes semiticas Ens supremum appellatur voce *El* variis modis transformata, quae vox vel potentiam vel celsitudinem significat. Praeterea in libris sacris Hebraeorum habetur nomen sacrum tetragrammaton *Ihvh (Iehovah* vel *Iahveh)*, quod Deus ipse interpretatus est significare *Qui est* (cf. *Hontheim*, Theodicaea p. 8 sqq.).

6. II. *De notione Dei.* Abstrahentibus ab iis notionibus divinis, de quibus sola revelatione supernaturali constat, nobis distinguenda videtur *notio Dei vulgaris,* i. e. plerisque hominibus usu rationis pollentibus communis, et *notio Dei philosophica,* i. e. in qua omnes philosophi conveniunt, qui exsistentiam Dei *apparenter saltem* agnoscunt.

Notio Dei vulgaris est notio *Entis supremi* et apte dividitur in notionem *obscuram* et notionem *claram.* Notio Dei vulgaris obscura est notio, qua Deus concipitur esse *Ens relative supremum,* i. e. natura omnibus hominibus et mundo corporeo excelsior. Quae natura a cultoribus multorum deorum sive polytheistis cogitatur ut aliquid, quod multa individua divina realiter participent. Notio Dei vulgaris clara inest omnibus hominibus, qui ita tenent esse unum Deum, ut eum concipiant praeditum attributo aliquo exclusive Deo

vero convenienti, neque huic attributo aliquid admiscent, quod ei contradictorie vel contrarie opponatur. Ita v. g. homo Christianus, qui Deum concipit ut Spiritum omnino primum et bonum, qui hunc mundum ex nihilo creaverit, claram Dei notionem habet.

7. Notio Dei philosophica est conceptus Entis non per causam, sed per essentiam suam exsistentis, sive notio *Entis a se* quod dicitur. Philosophus enim de rebus mundanis ratiocinans Deum primum apprehendit ut causam primam eorum, quae facta sunt, vel saltem ut Ens primum in ordine entium, ex qua notione relativa nullo negotio infertur exsistentia *Entis a se,* quae est veritas prima philosophica *de Esse divino in se considerato,* naturaliter nota et germen fecundum veritatum ceterarum de Deo naturaliter notarum, id quod libro II. clare apparebit. Attamen non omnes, qui Deum ut *Ens a se* agnoscunt, dici possunt habere clarum Dei conceptum. Ratio est, quia illi philosophi, qui pantheismo adhaerent, conceptui *Entis a se* contra praecepta logicae plura addunt, quae eidem logice evoluto prorsus repugnant. Quare notio *Entis a se,* licet recte dicatur notio Dei *secundum se clara,* nequit dici *clare monotheistica,* sed est distinguenda in notionem depravatam pantheisticam et notionem vere monotheisticam.

Secundum pantheistas Deus est *Ens a se,* ad quod cetera, quae sunt, ita se habeant, ut aut ex substantia eius processerint aut nihil sint nisi determinationes substantiae eius inhaerentes.

Secundum monotheistas Deus est *Ens a se,* quod per intellectum et voluntatem solam cetera, quae sunt, secundum esse eorum primitivum ex nihilo effecerit.

Ex his, quae de notione Dei diximus, evidens est nomen Dei, prout intelligitur apud monotheistas, polytheistas, pantheistas, non esse univocum neque aequivocum, sed analogum [1].

8. III. *De Deo personali et impersonali.* Omnes, qui statuunt *Ens a se* intellectu et voluntate praeditum, in se subsistens et a rebus aliis in se subsistentibus divisum, dicuntur ad-

[1] Cf. *S. Thom.,* S. th. 1, q. 13, a. 10. Ad terminos ibi occurrentes bene intelligendos cf. duos articulos proxime praecedentes.

mittere *Deum personalem.* Ita Plato et Aristoteles recte dicuntur cognovisse Deum personalem, licet non ita constet eos cognovisse Deum Creatorem [1]. Ii vero, qui cum pluribus pantheistis modernis Deo non tribuunt intellectum, nisi quatenus intestina evolutione factus sit homo, aliquando dicuntur ponere *Deum impersonalem,* quamquam proprie loquendo dici debent statuere Ens primum intrinsecus contradictorium.

9. IV. *De atheis.* Qui Deum nolunt agnoscere, dicuntur *athei* sive homines absque Deo. Distinguuntur *athei dogmatici,* qui asserunt se pro explorato habere non esse Deum; *athei sceptici,* qui Dei exsistentiam non diffitentur, sed negant eam esse certam; *athei agnostici,* qui de prima rerum causa nihil positivi, quo modus exsistentiae et operationis eius declaretur, vel ratione inveniri vel fide prudenter pro certo haberi posse arbitrantur. Raro invenies atheum dogmaticum; sed nostra aetate numerus atheorum scepticorum et agnosticorum crescere videtur.

10. V. *Quod sit propositum libri I.* Libro I. explicite contra *atheos et agnosticos* pugnabimus, rationes explicando, ob quas evidens est *exsistere Deum personalem sive Eens a se, intellectu et voluntate praeditum, quod sit causa prima hominis et mundi.* Quoniam autem de via et ratione adversarios Dei veri oppugnandi apud philosophos monotheistas variae sunt sententiae,

primum de modo naturalis Dei veri cognitionis agemus;

dein exsistentiam Dei personalis multipliciter demonstrabimus;

denique, quid de atheismo et agnosticismo sit sentiendum, explicite declarabimus.

Caput I.

De modo, quo Deus naturaliter cognoscibilis est.

11. *Praenotanda.* Hoc capite quaeritur:

1. Num homo Deum naturaliter intueatur vel saltem exsistentiam Dei *a priori* ex conceptu eius evidenter cognoscere possit. Quae est quaestio de valore ontologismi et argumenti ontologici.

[1] Vide utriusque philosophi de Deo doctrinam clare expositam apud *Hontheim,* Theodicaea p. 85—107.

2. Num aliqua naturalis Dei cognitio sit possibilis, quin ultimatim nitatur in revelatione divina supernaturali. Quae est quaestio de valore traditionalismi.

3. Num naturalis Dei cognitio possit esse plus quam moralis quaedam persuasio sive fides naturalis quam dicunt. Quae est quaestio de demonstrabilitate exsistentiae Dei.

Art. 1.

De ontologismo et argumento ontologico.

§ 1.

Reicitur ontologismus.

12. *Assertum. Variae ontologorum theoriae, secundum quas Deus, quatenus ad creaturas refertur, a mente humana directe percipitur, a vero quam maxime abhorrent.* Veritas huius asserti a nobis probata et contra rationes ontologorum propugnata est in Psychologia rationali huius *Cursus.* Ibi enim (n. 306 sqq.) ostendimus sententiam ontologorum repugnare naturae intellectus humani, qui obiectum cognitionis directae non habeat nisi rem corpoream; praeterea contra eandem testimonium conscientiae appellavimus, nec non periculum pantheismi exposuimus, cui ontologismus asseclas suos exponat. Rationes, quibus ontologi theoriam suam probare conantur, omni efficacia carent, nisi supponas principia logica et psychologica omnino falsa, ut patet ex solutione earum a nobis data op. c. n. 314 sqq.

Ad doctrinam ll. cc. traditam confirmandam hoc loco aliqua afferemus ex iis articulis S. Thomae, quibus ontologismum quasi anticipando refutavit.

S. th. 1, q. 84, a. 5 Angelicus explicat, quomodo verum sit illud S. Augustini nos omnia cognoscere in veritate incommutabili rationum aeternarum, i. e. idearum aeternarum Dei. Ad hoc dictum declarandum duos distinguit modos, quibus aliquid in alio cognosci possit. Uno modo aliquid in alio intelligitur ut in obiecto cognito, alio modo ut in cognitionis principio. Uterque modus illustratur a visione corporea. Qui aliquid in alio intelligit ut in obiecto cognito, illud simili modo in eo intelligit atque is, qui imaginem alicuius hominis sibi noti conspiciens in ea videt illum

hominem. Qui vero aliquid intelligit in alio ut in cognitionis principio, similiter id intelligit, atque homo per hortum ambulans colores florum videt in lumine solis.

Qua distinctione facta Aquinas asserit nos res intelligere in veritate idearum aeternarum non ut in obiecto cognito, sed ut in cognitionis principio. Sicut enim influxu luminis solis facultas visus determinatur ad colores videndos, ita influxu Dei, qui est lumen increatum et realiter identicus cum ideis suis, facultas intelligendi humana determinatur ad res intelligendas. Etenim lumen intellectuale intellectus agentis animae humanae insitum est similitudo participata intellectus divini sive Dei, et intellectus agens nullas species intelligibiles efficit, nisi quatenus a Deo in esse conservatur et ad agendum applicatur.

13. Altero loco (S. th. 1, q. 88, a. 3) S. Thomas quaerit, *„utrum Deus sit primum, quod a mente humana cognoscitur"*. Ad quam quaestionem respondet intellectum humanum, cum ei naturale sit quidditatem abstrahere a rebus materialibus (et consequenter directe non intueri nisi essentias corporeas), non posse *intelligere* essentias immateriales creatas, multo minus essentiam substantiae increatae, sed magis (i. e. potius) per creaturas in *cognitionem* Dei pervenire.

In quam sententiam notandum est sibi non repugnare hominem non *intelligere* essentiam Dei et tamen per creaturas in *cognitionem* Dei sive essentiae divinae pervenire. *Intelligere* enim *emphatice acceptum* significat intuitum intellectus immediatum, qui opponitur cognitioni intellectuali fide vel ratiocinio ortae.

§ 2.

De argumento ontologico.

Thesis I.

14. **Deum exsistere, quamquam est veritas per se nota quoad se, non est veritas per se nota quoad nos; quare ex conceptu Dei exsistentia eius argumento ontologico quod dicitur stricte demonstrari nequit.** (Cf. *S. Thom.,* S. th. 1, q. 2, a. 1; Contra gent. lib. 1, cap. 10. 11; *Kleutgen,* Philos. schol. n. 937 sqq.)

St. Q. I. Veritas *per se nota quoad se* est iudicium, cuius praedicatum consequitur essentiam subiecti. Veritas *per se*

nota quoad nos est iudicium, ex cuius terminis *perfecte* intellectis nos cognoscere possumus praedicatum essentialiter pertinere ad subiectum. Exemplum prioris veritatis est hoc iudicium: *Deus est trinus;* exemplum posterioris: *Circulus est rotundus.*

II. Veritas per se nota quoad nos apud eos, qui terminos, quibus exprimitur, mente sufficienter penetrant, nulla indiget demonstratione. Iis vero, quibus vis terminorum non facile patet, ita demonstrari potest, ut termino subiecti explicato ostendatur praedicatum ab eius idea inseparabile esse. Huiusmodi demonstratio, cum a ratione subiecti declarata procedat, similis est demonstrationi, quae fit per causas rei, unde dici potest demonstratio *a priori* sensu latiori; recentiores aliqui eam appellarunt demonstrationem *a simultaneo.*

15. III. Argumentum ontologicum quod dicitur est demonstratio exsistentiae Dei per declarationem conceptus eius.

Auctor huius argumenti est S. Anselmus, episcopus Cantuariensis, qui, postquam in opusculo, quod inscribitur *Monologium,* Dei exsistentiam solide demonstravit, cogitare coepit de modo, quo conclusio, quam multis rationibus concatenatis laboriose investigaverat, sine longo discursu statim pateret (cf. Prooemium *Proslogii*). Tandem ei visum est se invenisse hunc modum, eumque (Prosl. cap. 2) hac argumentatione proposuit: Nomine Dei significatur id, quo maius cogitari nequit. *Atqui* maius est, quod est in intellectu et in re, quam quod est in illo tantum. *Ergo* Deus est etiam in re, i. e. Deus exsistit. Quod argumentum a scholasticis plerisque et ab ipso S. Thoma habitum est infirmum. Cartesius autem forma mutata censuit id ita instaurari posse (Princ. phil. pars 1, n. 14 sqq.).

Quidquid in idea clara et distincta obiecti alicuius continetur, de ipso affirmandum est. *Atqui* in idea clara et distincta Entis summe perfecti continetur exsistentia eius; secus enim non esset vere summe perfectum. *Ergo* Ens summe perfectum sive Deus revera exsistit.

Postea Leibniz putavit argumentum S. Anselmi hoc modo melius proponi posse:

Possibile est Deum exsistere, siquidem in hoc nulla involvitur repugnantia. *Atqui,* si Deus possibilis est, exsistit,

quia Deus *pure* possibilis non est id, quod intelligitur Deus. *Ergo* Deus reapse exsistit.

Attamen Leibniz fassus est hanc argumentationem non esse demonstrationem omnino strictam, quia *maior* careret evidentia; quamquam recte diceretur id esse possibile, in quo interna repugnantia non cerneretur, donec adversarius eius impossibilitatem probaret (cf. *Leibniz,* Opp. [ed. Erdm.] p. 177 et 374 sq.). Aliam formam Leibnizianam argumenti infra trademus n. 20.

16. IV. Contra argumentum S. Anselmi saepius allatae sunt animadversiones similes iis, quibus Gaunilo, aequalis S. Doctoris, illud impugnavit (Liber pro insipiente cap. 6). Ipse enim argumentum ontologicum comparavit argumentationi, qua quis ex conceptu alicuius insulae pulcherrimae exsistentiam eiusdem inferret. Ad hoc S. Anselmus (Liber apologeticus cap. 3) respondit *negando paritatem,* idque satis bene. Revera enim conceptus insulae vel rei finitae cuiuslibet non exhibet nisi essentiam *per se* pure possibilem, cui non repugnat non esse. Conceptus autem Entis, quo maius cogitari nequit, revera exprimit essentiam, cui repugnat non esse. Quare opinor eum, qui de interna veritate conceptus eius ex nulla parte dubitet, non posse negare id exsistere. Quod etiam existimavit Schiffini, qui de argumento in quaestionem vocato haec dicit: „Haud infitior hanc methodum ostendendi divinam exsistentiam videri approbatam fuisse a B. Anselmo (Prosl. cap. 2. 3), cui videtur etiam consentire Doctor Seraphicus (1, dist. 8, p. 1, a. 1, q. 2). At enim haud improbabile censeri potest horum Sanctorum mentem in eo esse, ut eiusmodi probationem pro iis urgeant, qui non infitientur notionem nomine Dei expressam referre aliquid, quod terminorum contradictionem minime implicet. . . Si enim id supponatur (quod ceteroquin supponere licet, cum sit res probatu facillima . . .), argumentatio ab his Doctoribus adhibita est profecto legitima“ (Disp. metaph. spec. II, 16).

Sed dices: In conceptu Entis, quo maius cogitari non potest, certe nemo detegere potest contradictionem. *Ergo* interna veritas illius Entis *a priori* est evidens. Ad id respondeo: Aliud est in conceptu aliquo non detegi repugnan-

tiam, aliud intelligere ex ratione aliqua evidenti in reali exsistentia obiecti illius conceptus nullam latere repugnantiam. Quodsi obiectum conceptus, in quo non detegitur repugnantia, vocemus *negative possibile,* et obiectum conceptus, in quo nullam esse repugnantiam ex ratione evidenti intelligimus, dicamus *positive possibile;* Ens, quo maius cogitari nequit, *a priori* recte dicitur negative possibile, sed non recte dicitur positive possibile. Nam conceptus eius involvit conceptum absolutae ab aliqua causa independentiae sive aseitatis quae dicitur; siquidem omni *ente ab alio* potest aliquid maius cogitari, scl. Ens in esse suo prorsus independens. Quaestio igitur reducitur ad hanc: Estne *a priori,* antequam ex rebus contingentibus ipsa exsistentia *Entis a se* probata est, omnino evidens *Ens a se* sive Ens absolute independens non esse chimaericum quid? Puto nos internam veritatem *Entis a se* ratione naturali *evidenter* non cognoscere, nisi postquam evidenter intelleximus *Ens a se* esse necessario asserendum tamquam causam primam rerum contingentium. Laborat igitur argumentum S. Anselmi hoc defectu, quod a conceptu Entis infinite perfecti ut Entis *positive* possibilis procedat, quamquam *a priori* eius possibilitas *negativa* tantum evidens est. Ad hunc defectum, quem argumentatione nostra patefaciemus, mea opinione Angelicus alludit (Contra gent. lib. 1, cap. 11, § „Nec oportet, ut statim", quo loco haec contra ratiocinationem S. Anselmi animadvertit: „Sic nullum inconveniens accidit ponentibus Deum non esse. *Non enim inconveniens est, quolibet dato vel in re vel in intellectu, aliquid maius cogitari posse nisi ei, qui concedit esse aliquid, quo maius cogitari non possit in rerum natura*"). Ex quibus verbis concludo S. Thomam existimare, licet nemo in Ente infinito possit ostendere repugnantiam logicam, tamen ante exsistentiam *Entis a se aliunde* probatam non posse evidenter dirimi quaestionem, *num revera quidquam cogitemus, quo maius cogitari nequeat;* aliis verbis: sitne id quod nobis videmur cogitare, cum illam phrasim mente apprehendimus, *vere* intelligibile ut exsistens an solum *apparenter.*

V. Itaque fautoribus argumenti ontologici concedendum est inter conceptum Dei *obiectivum adaequatum* et Dei exsistentiam esse inseparabilem connexionem, sed negandum

est a nobis hanc connexionem *a priori* videri posse, quippe qui conceptu Dei comprehensivo careamus.

17. Pars I. Deum exsistere est veritas per se nota quoad se.

Illud iudicium est veritas per se nota quoad se, cuius praedicatum est ab essentia subiecti inseparabile. *Atqui* praedicatum huius iudicii „Deus exsistit" est ab essentia subiecti inseparabile; quia essentia Dei absolute idem est atque eius exsistentia, id quod monotheistis, quibuscum hoc loco disputamus, non est dubium et a nobis suo loco explicite probabitur. *Ergo* . . .

18. Pars II. Deum exsistere non est veritas per se nota quoad nos sive, quod ad idem redit, ex conceptu Dei solo non potest eius exsistentia probari.

Ex alicuius rei conceptu, de cuius veritate interna non evidenter constat, nihil certo inferri potest ut ei rei proprium. *Atqui,* quamdiu nescimus, num Deus actu sit, veritas interna conceptus eius nobis non est evidens; aliis verbis: nescimus, utrum id, quod apprehendimus, cum Deum cogitamus, sit aliquid, cuius exsistentia sit intrinsecus positive possibilis, an aliquid, cuius exsistentia sibi repugnet. *Ergo* non possumus ex solo conceptu Dei a priori probare Deum exsistere.

Prob. min. Ut in Psychologia rationali (n. 202 sqq.) ostendimus aliquam rem immaterialem, *a fortiori* Deum, nobis non possumus clare exhibere conceptu intuitivo et proprio, sed solum conceptu abstractivo, analogico, negativo-positivo. Porro, cum Deum huiusmodi conceptu cogitamus, eum necessario cogitamus ut Ens a se exsistens, quod sit principium eminens aliorum entium omnium. *Atqui,* num exsistentia talis Entis sit intrinsecus positive possibilis, tam diu non est evidens, quamdiu exploratum non est exsistentiam rerum huius mundi evidenter ita se habere, ut ex tali principio sit explicanda; id quod probari nequit nisi *a posteriori,* consideratis iis quae in hoc mundo sunt. *Ergo,* antequam exsistentia Dei *a posteriori* probata est, de veritate interna conceptus obiectivi eius evidentia perfecta non habetur.

Ad min. ult. Quod concipimus, cum concipimus *Ens a se,* quod sit principium eminens ceterorum, non potest esse

et non esse sicut cetera, quorum est principium, sed aut actu est, aut eius exsistentia intrinsecus realiter impossibilis est. *Ergo,* quamdiu non est evidens illud actu esse, nequit esse perfecte evidens eius exsistentiam intrinsecus realiter possibilem esse.

19. ***Obi. 1.*** *Ex mente S. Anselmi:* Nomine Dei significatur id, quo maius cogitari nequit. *Atqui* maius est, quod est in intellectu et re, quam quod est in illo tantum. *Ergo* Deus est revera.

Resp. *Dist. mai.:* . . . ita ut ante probationem *a posteriori* institutam evidens sit in exsistentia reali illius significati non latere repugnantiam, *nego mai.,* secus, *conc. mai., conc. min. Dist. cons.:* Deus exsistit, si conceptus obiectivus rei, qua maius cogitari nequit, sit evidenter intrinsecus verus, *conc. cons.,* quamdiu per demonstrationem exsistentiae Dei *a posteriori* institutam de exsistentia Dei nobis non constat, veritatem internam illius conceptus evidenter cognoscere et ex illo conceptu exsistentiam Dei ut evidentem veritatem inferre possumus, *nego cons.*

Nota. Minorem simpliciter concessi eam intelligendo secundum mentem S. Anselmi. Etenim, ut ex Libro eius apologetico patet, mens huius S. Doctoris non est, essentiam rei realiter exsistentis aliquid realitatis continere, quod in essentia rei pure possibilis non sit concipiendum; sed potius dicere vult: Essentia, quae eiusmodi est, ut non possit recte concipi ut mere intelligibilis sive intrinsecus possibilis, sed concipienda sit ut realiter exsistens, maior sive melior est quam essentia secundum se mere intelligibilis; id quod verissimum est.

Obi. 2. *Ex mente Cartesii:* Quidquid in idea clara et distincta alicuius obiecti continetur, de ipso affirmandum est. *Atqui* in idea clara et distincta Entis summe perfecti sive Dei continetur exsistentia. *Ergo* Ens summe perfectum sive Deus exsistit.

Resp. *Dist. mai.:* . . . in idea clara et distincta, de cuius obiecti veritate interna constat, *conc. mai.,* secus, *nego mai. Dist. min.:* Si de veritate interna obiecti ideae Entis summe perfecti constat, *conc. min.,* ante probationem exsistentiae Entis a se exsistentis *a posteriori* institutam de veritate interna obiecti ideae Entis summe perfecti constare potest et consequenter simpliciter affirmari potest exsistentiam contineri in conceptu eius, *nego min. Dist. cons.:* Admissa *minori* ut veritate evidenti, id sequitur, *conc. cons.*

Id ante probationem exsistentiae Entis a se exsistentis *a posteriori* institutam ex praemissis sequitur ut veritas evidens, *nego cons.*

20. ***Obi. 3.*** (Argumentum ontologicum a Leibniz non solum propositum, sed emendatum et perfectum.) Cf. De la démonstration Cartésienne de l'existence de Dieu du *R. P. Lami* (Opp. *Leibn.* [ed. *Erdmann*] p. 177). Deus exsistit, si exsistentia eius possibilis est. *Atqui* est possibilis. *Ergo* . . .

Prob. min. Ea exsistentia est possibilis, qua non supposita nihil est possibile. *Atqui* exsistentia Dei non supposita nihil est possibile. *Ergo* . . .

Prob. min. ult. Exsistentia Dei est exsistentia *Entis a se* et necessarii. *Atqui* exsistentia *Entis a se* et necessarii non supposita nihil est possibile. *Ergo* exsistentia Dei non supposita nihil est possibile.

Resp. *Conc. mai. Dist. min.:* Actualitate exsistentiae Dei *a posteriori* probata evidens est possibilitas huius exsistentiae, *conc. min.,* alio modo ea est evidens, *nego min. Dist. cons.:* Deum exsistere ex possibilitate exsistentiae eius nobis fieri potest evidens, *nego cons.,* de facto *a posteriori* fieri potest evidens, *conc. cons.*

Ad prob. min. conc. mai. Dist. min.: Id ex conceptu Dei *a priori* est evidens, *nego min.,* alio modo fieri potest evidens *conc. min., dist. cons.* ut *min.*

Ad prob. min. ult. \ *conc. mai.* \ *Dist. min.:* Id evidens fieri potest ex natura *Entis a se,* postquam eius exsistentia *a posteriori* probata est, *conc. min., a priori* hoc est evidens, *nego min., dist. pariter cons.*

21. ***Obi. 4.*** Veritatem esse per se notum est quoad nos. *Atqui* Deus est veritas. *Ergo* Deum esse per se notum est quoad nos. Cf. *S. Thom.,* S. th. 1, q. 2, a. 1, obi. 3.

Resp. *Dist. mai.:* i. e. *aliquid* esse verum, *conc. mai.,* exsistere primam veritatem, *nego mai. Contrad. min.:* Deus est nihil plus nisi aliquid, quod sit verum, *nego min.,* est prima veritas, *conc. min., nego cons.*

Obi. 5. Per se quoad nos notum est eum esse, qui est. *Atqui* Deus est is qui est. *Ergo* Deum esse per se quoad nos notum est.

Resp. *Dist. mai:* . . . i. e. eum non posse non esse, quem evidenter iam constat *esse, conc. mai.,* . . . i. e. eum esse, cuius essentia est esse eiusdem, *nego mai. Contrad. min.:* Ex conceptu Dei ut *eius, qui est, a priori* constat eum non posse non esse, dummodo evidenter constet eum esse, *conc. min. a priori* ex conceptu Dei ut *eius, qui est,* exsistentia eius evidens est, *nego min., nego cons.*

Art. 2.

Reicitur traditionalismus et solvuntur argumenta theologica ei faventia.

22. *Assertum. Omnem humanam Dei cognitionem vel saltem omnem cognitionem, qua homo Deum clare et distincte apprehendit ut Deum verum, ultimatim naturali necessitate niti in supernaturali revelatione primitiva non recte statuitur.*

Ut vidimus in Psychologia rationali (n. 282 sqq.), secundum asseclas traditionalismi rigidi omnes ideae intellectuales ultimatim repetendae sunt ex revelatione primitiva supernaturali, cum traditionalismi magis mitigati fautores eidem revelationi nobis traditae tribuant omnes ideas claras et distinctas rerum spiritualium et religiosarum atque obligationum moralium. Itaque priores nullam prorsus, posteriores vero nullam claram et distinctam Dei cognitionem homini absque fide revelationis traditae possibilem esse censent. Contra quos (Op. et l. c.) probavimus eo modo, quo traditionalistae rigidi volunt, nullam ideam intellectualem oriri posse, traditionalismum autem mitigatum et Deo, hominis Creatori sapientissimo, iniuriosum esse, et id quod statuit sine ullo solido fundamento ratum certumque habere. Praeterea argumenta, quibus ex natura humana et ex natura veritatum suprasensilium sumptis traditionalismus visus est fulciri posse, inania esse ostendimus.

Reliquum est, ut hoc loco aliqua argumenta solvamus, quae eatenus traditionalistis favent, quatenus iis *apparenter* probatur exsistentiam Dei lumine naturali rationis non posse demonstrari.

23. ***Obi. 1.*** Deum esse est articulus fidei. *Atqui* articuli fidei non sunt demonstrabiles. *Ergo* exsistentia Dei non est demonstrabilis.

Resp. *Dist. mai.:* . . . articulus fidei sensu latiori acceptus, i. e. veritas aliqua a Deo supernaturaliter revelata et ab Ecclesia Dei proposita, *conc. mai.*, articulus fidei sensu stricto acceptus, i. e. veritas rationis naturalis usu solo non attigibilis, *nego mai., contradist. min., nego cons.* Cf. *S. Thom.*, S. th. 1, q. 2, a. 2 ad 1, ubi dicit: „Deum esse et alia huiusmodi, quae per rationem naturalem nota possunt esse de Deo, ut dicitur Rom. 1, non sunt articuli fidei, sed praeambula ad articulos. Sic enim fides prae-

supponit cognitionem naturalem, sicut gratia naturam et perfectio perfectibile; nihil tamen prohibet illud, quod secundum se demonstrabile est et scibile, ab aliquo accipi ut credibile, qui demonstrationem non capit."

Itaque S. Thomas videtur sentire ea, quae de Deo demonstrative naturaliter cognoscibilia sunt, ab eo, qui demonstrationem capit, non posse fide credi, sed exsistentiam Dei eatenus tantum credi posse, quatenus vel demonstratur alicui, qui vim demonstrationis non perspicit, vel quatenus obiective aliquid prorsus indemonstrabile involvit, ut mysterium SS. Trinitatis. De hac re plures aliter sentiunt, ut v. g. Toletus (In p. 1 S. th. *S. Thomae,* p. 67 ad 2).

24. ***Obi. 2.*** Deus non inutiliter revelavit se esse et quae sint attributa essentiae suae. *Atqui,* si haec naturaliter cognoscibilia sunt, Deus dicendus est ea inutiliter revelasse. *Ergo* . . .

Resp. *Conc. mai., nego min.* Etenim sine revelatione supernaturali maxima pars generis humani neque facile neque brevi tempore neque sine erroris admixtione exsistentiam Dei cognoscere potest, id quod bene explicat Aquinas Contra gent. lib. 1, cap. 4.

Obi. 3. Qui Deum exsistere probare vult, necessario supponit Deum esse aliquid. *Atqui* qui hoc supponit, ad probationem instituendam exsistentiam Dei sibi probandam supponit et consequenter petitionem principii committit. *Ergo* qui Deum exsistere probare vult, necessario committit petitionem principii.

Resp. *Dist. mai :* . . . Deum, quatenus hac voce intelligitur Ens primum et supremum, esse aliquid, *nego mai.*, Deum, quatenus hac voce intelligitur nomen Dei, *esse secundum communem hominum existimationem significativum Entis primi et supremi, conc. mai. contrad. min., nego cons.* Cf. *S. Thom.,* S. th. 1, q. 2, a. 2 ad 2.

25. ***Obi. 4.*** Essentia Dei et esse Dei absoluta necessitate sunt unum idemque; quare quaestio, quid sit Deus, et quaestio, num sit Deus, substantialiter sunt una eademque quaestio. *Atqui* quaestio, quid sit Deus, sola ratione naturali non est solubilis. *Ergo* etiam quaestio, num sit Deus, sola ratione naturali solvi non potest (cf. *S. Thom.,* Contra gent. lib. 1, cap. 12, § „Ad hoc autem dicendum" et § „Nec hoc debet").

Resp. I. *Dist. ant. mai.:* Essentia Dei, prout est in se, et esse Dei, prout est in se, *conc. ant. mai.*, essentia Dei, prout est in se, et esse Dei, *prout actu principiat mundum exsistentem, nego ant. mai.* Etenim, cum Deus mundum libere creaverit, id,

quod conceptu obiectivo principii mundum *actu principiantis* continetur, *essentiae* Dei non convenit absoluta necessitate; quamquam Deus de facto qua Creator mundi *est* sive *exsistit*, neque actio creatrix ab essentia eius realiter distinguitur. *Dist. cons. mai.:* Quaestio, quid sit Deus secundum se, et quaestio, num sit illud, quod intelligitur Deus secundum se, substantialiter sunt una eademque quaestio, *conc. cons. mai.*, quaestio, quid sit Deus secundum se, et quaestio, *num sit Deus relative spectatus ut causa prima mundi actualis*, substantialiter sunt una eademque quaestio, *nego cons. mai.*

Dist. min.: Quaestio, quid sit Deus respectu rerum huius mundi, sola ratione naturali non est solubilis, *subdist. min.:* non immediate et *a priori*, *conc. min.*, non mediate et *a posteriori*, *nego min.* Quaestio, quid sit Deus in se, non est sola ratione naturali solubilis, *subd. min.:* non adaequate, *conc. min.*, non aliquatenus, *iterum subd. min.:* non ante quaestionem, quid sit Deus respectu rerum huius mundi, *conc. min.*, hac quaestione soluta, *nego min.*, *nego cons.*

Resp. II. Omitto *mai.* *Dist. min.:* Non est perfecte solubilis, ita ut habeamus conceptum Dei intuitivum, *conc. min.*, non est imperfecte solubilis, ita ut habeamus conceptum Dei *verum*, licet abstractivum et negativo-positivum, *nego min.*, *dist. pariter cons.*

26. ***Obi. 5.*** Si demonstraretur Deum esse, id demonstraretur ex effectibus eius. *Atqui* ex effectibus eius demonstrari nequit. *Ergo* non potest demonstrari Deum esse.

Prob. min. Ex effectu causae secundum perfectionem suam nullo modo proportionato non potest demonstrari, quae sit causa eius. *Atqui* effectus Dei nullo modo *ei* sunt proportionati secundum perfectionem suam; nam effectus Dei sunt finiti, ipse Deus autem est infinitus (cf. *S. Thom.*, S. th. 1, q. 2, a. 2, obi. 3).

Resp. *Conc. mai.*, *nego min. et cons. Ad prob. min. dist. mai.:* Ex effectu causae secundum perfectionem suam nullo modo proportionato non potest cognosci, *cuius naturae* sit causa, quae eum produxerit, *subd. mai.:* non perfecte, *conc. mai.*, non imperfecte, *nego mai.* Ex effectu causae secundum perfectionem suam nullo modo proportionato non potest cognosci, *quod ens singulare* sit causa eius, *subd. mai.:* quoties constare non potest ad eum producendum unum tantum ens determinatum idoneum esse, *conc. mai.*, quoties de hoc constare potest, *nego mai.*, *conc. min.*, *nego cons.* Cum omne agens, *saltem secundum quid* agat sui simile, ex omni effectu *natura* causae *aliqualiter* cognosci potest,

licet effectus longissime distet a causae perfectione, ut v. g. vestigium vel scriptura hominis ab homine. Porro, quoties plures causae certo effectui producendo pares sunt aut saltem non evidenter impares, saepe pro certo affirmare non possumus, a qua causa singulari sit hic vel ille effectus. Sed aliter res se habet, si effectui aliqua insunt, quae prudenter referri non possint nisi ad ens individuum determinatum ut causam. Iam vero demonstratio Dei a nobis postea proponenda ita exhibebitur, ut primum clare ostendatur omnia, quae effecta sunt, ultimatim pendere a causa non facta, et dein demonstretur hanc causam non factam non posse esse nisi unam, infinite perfectam. Unde evidens fiet unum Ens infinite perfectum esse causam primam omnium, quae facta sunt, et viceversa omnia, quae se manifestant ut entia finitae perfectionis, esse entia facta, quorum ortus ultimatim debeatur uni illi Enti infinite perfecto.

27. ***Obi. 6.*** Deus verus est Beatissima Trinitas. *Atqui* exsistentia Beatissimae Trinitatis naturaliter demonstrari nequit. *Ergo* exsistentia Dei veri naturaliter non potest demonstrari.

Resp. *Dist. mai.:* . . . et nullatenus vere concipi potest, quin explicite concipiatur Beatissima Trinitas, *nego mai.,* . . . attamen vere concipi potest, quin explicite concipiatur Beatissima Trinitas, *conc. mai., conc. min., nego cons.* Deum verum vere concipio, cum concipio Ens per essentiam exsistens vel Ens perfectionis illimitatae. Quod cum concipio, implicite concipio Beatissimam Trinitatem, quatenus obiectum formale conceptus mei *a parte rei absoluta necessitate* identificatur cum Beatissima Trinitate.

Art. 3.

De fide Dei naturali quae dicitur.

28. *Scholion. Non est iis assentiendum, qui, alius alio modo, concedunt quidem Deum exsistere firma quadam persuasione naturali, cui ipsi nomen fidei tribuunt, prudenter teneri, sed nequaquam stricte demonstrari posse.*

Sub finem saeculi praeteriti et decurrente hoc saeculo plures fuerunt monotheistae, qui existimabant hominem lumine rationis naturalis eo quidem pervenire posse, ut ipsi certitudine quadam morali constaret esse unum Deum infinite perfectum; attamen hanc certitudinem non ita se habere, ut dici possit oriri demonstratione sensu stricto accepta. Inter eos, qui, alius ob alias rationes alioque modo,

ita sentiebant, imprimis commemorandi videntur hi auctores.

29. 1. *Kant.* Hic, cum esset iunior, exsistentiam Dei existimavit legitime probari ex rerum possibilium essentiis, quippe quae qua res intelligibiles fundarentur in Ente per essentiam suam exsistente. Addidit ad probationem complendam ex harmonia multiplici et mirabili, quae a nobis in essentiis intelligibilibus rerum inter se comparatis detegeretur et quae iisdem consequenter potentialiter contineretur, evidenter concludendum esse ad exsistentiam Entis necessarii summe intelligentis [1]. Sed duodeviginti annis postquam hanc demonstrationem elaboravit, Kant principiis scepticis ab Hume statutis deceptus suam *Rationis purae crisim (Kritik der reinen Vernunft)* evulgavit. In hoc libro idearum nostrarum obiectivitatem, quatenus eae experientiam transcendunt, nobis certam esse negat. Quod ideam Dei attinet, eam ponit in numero principiorum regulativorum rationis theoreticae, quorum veritas nobis evidenter patere non possit. Attamen exsistentiam Dei ut postulatum rationis practicae vult fide quadam naturali firmiter tenendam esse, quia homo secus non possit constanter sequi *imperativum categoricum rationis practicae,* quo ad vitam honestam agendam impellatur. Quae theoria Kantiana quam multa contineat a recta ratione aliena et naturae mentis humanae prorsus contraria, vide apud *Frick,* Logica n. 313 sqq., et in Psychologia rationali huius *Cursus* n. 275 sqq.

30. 2. *Iacobi (Fred. Henricus)* crisi Kantiana et idealismo pantheistico a Fichte elaborato commotus de exsistentia Dei per intellectum ratiocinantem invenienda desperans asseruit praeter facultatem sentiendi et praeter eam intelligendi facultatem *(Verstand)*, qua phaenomena huius mundi corporei conciperemus et de iis ratiocinaremur, nobis inesse facultatem intelligendi altiorem *(Vernunft)*, qua res ab experientia sensili remotas, imprimis ipsum Deum, immediate perciperemus. Huic intellectui suprasensilia immediate percipienti illum intellectum inferiorem, qui notiones et ratiocinia formaret,

[1] Cf. *Kant,* Der einzige mögliche Beweisgrund zu einer Demonstration des Daseins Gottes. Argumenta hoc opere a Kant tradita nuperrime declaravit et crisi subiecit *Hontheim,* Theodicaea n. 460 sqq.

subservire tamquam facultatem perceptiones eius declarantem et evolventem. Qui non attendit ad perceptionem et quasi tactum *(Gefühl)* intellectus sui superioris, conceptibus et ratiociniis intellectus inferioris iudicio Iacobi ineluctabiliter incidit in atheismum. Apprehensionem illam, qua intellectus superior eius opinione Deum immediate percipit et quodammodo tangit, vocat fidem *(Glauben)*.

Facile patet hanc theoriam omni solido fundamento carere. Nisi enim falso supponas Kant probasse cognitionem intellectus evidenter veram non posse haberi nisi de rerum phaenomenis, non est, cur dicas intellectum ratiocinantem non posse ascendere ad res suprasensiles. Porro intellectus ille superior, qui a Iacobi in medium profertur ad defectus inferioris supplendos, et sub aspectu logico et sub aspectu psychologico prorsus reiciendus est. Est enim facultas lumine evidentiae obiectivae carens et immediate id percipiens, ad quod anima rationalis corpori unita naturaliter nullo modo pervenire potest nisi per discursum rationis vel fidem auctoritatis alienae (cf. *Frick*, Logica n. 420. 422. Psychologia rationalis h. *Cursus* n. 202 sqq.).

31. 3. *Hamilton.* Secundum hunc idea Entis infiniti, ad quam ratione pervenimus, est idea mere negativa, utpote cuius possibilitas interna a nobis nullo modo concipi possit (cf. Lectures on Metaph. vol. II, Appendix III, d). Quamquam igitur ex natura nostra intellectuali et morali legitime concludimus ad Deum personalem (Lectures on Metaph. I, 28 sqq.), tamen *fide tantum* tenere possumus eum esse infinitum.

Ad haec respondemus: Possibilitas interna realis sive positiva Entis infiniti nobis *a priori* quidem non patet; sed exsistentia Entis per essentiam sive a se exsistentis *a posteriori* probata ex iis, quae huic Enti propria esse clare demonstratur, evidens fit illud esse Ens vere infinitum et consequenter Ens infinitum esse intrinsecus verum, quia ab *esse* ad *posse* valet illatio.

32. 4. *Mansel.* Hic existimavit tantum abesse, ut ratione demonstrare possemus Deum esse vere infinitum, ut ratione ne intelligere quidem possemus praedicata, quae de Deo infinite perfecto edicenda sunt, non contradictorie inter se

opponi (Bampton Lectures [ed. 3] p. 57 sqq., Philosophy of the Conditioned p. 34 sqq. 155 sqq.). Rationes, quibus Mansel id probare et necessitatem ostendere conatus est ad fidem confugiendi, ne in atheismum incidamus, Herb. Spencer adhibuit ad agnosticismum fulciendum (First principles [ed. 2] cap. 2, p. 39 sqq.). De iis, absoluta Dei exsistentiae demonstratione, dicendum erit. Hoc loco notare sufficiat Mansel habitudinem naturalem mentis humanae ad esse obiectivum percipiendum non satis considerare, sed subiectivismo Kantiano nonnihil laborare.

33. 5. *Kuhn* docuit menti hominis essentialiter inesse ideam Dei, non ut Dei cognitionem, sed ut principium cognitionis eius. In lumine huius ideae homo ad cognitionem Dei certam pervenire potest ex consideratione mundi; attamen haec cognitio certa non est stricte demonstrativa. Nam, ut homo de exsistentia Dei fiat certus, non sufficit, ut argumenta, quae pro ea afferri possunt, perspiciat; sed insuper necesse est ideam Dei, quam sibi innatam habet, moribus inhonestis non esse obscuratam. Itaque cognitio Dei naturalis neque est immediata intuitio naturalis neque est cognitio mediata talis, ut soli ratiocinio debeatur; quare Kuhn eam appellavit *fidem (Glauben).*

34. *Contra hanc opinionem haec mihi videntur dicenda:*

1. Natura intellectus humani ea est, ut clare ostendi possit ei non esse ullam ideam specialiter innatam (cf. quae exposuimus in Psychologia rationali p. 73—107 et p. 163 ad 173).

2. Kuhn nobis concedit naturalem Dei cognitionem non haberi nisi *mediatam;* concedit etiam hanc cognitionem in homine „spiritus immaculati“ esse *certissimam;* neque tamen fatetur eam posse esse certam *vi ratiocinii solius.*

Atqui haec logice considerata non videntur simul stare posse. Nam omnis cognitio *naturalis,* quae et mediata et certa sit, ex aliquo ratiocinio resultet necesse est. Etenim, cum naturaliter de aliqua re mediate certus sum, aut sum certus propter auctoritatem eius, qui rem testatus est, aut propterea, quia rationes veritatis rei discurrendo ipse perspexi. In hoc altero casu manifesto ex veritatibus mihi iam notis, inter se comparatis, evidenter cognovi iis stantibus

veritatem aliam esse admittendam, i. e. ope ratiocinii solius factus sum certus de re. In priori illo casu autem rem mihi relatam cum scientia et veracitate testis, de quibus mihi iam constabat, comparans intellexi illam ab eo veritati conformiter communicatam et consequenter pro vera esse habendam.

Si cognitio naturalis certa et mediata aliter quam ut evidens conclusio rationis demonstrantis haberi potest, evidentia obiectiva ut criterium universale verae certitudinis naturalis tollitur, et inducitur periculum scepticismi. Ceterum id, quod Kuhn animadvertit, *homines vitiis deditos minus aptos esse ad res divinas intelligendas,* verissimum est. Sed ratio non est, quod argumentis sufficienter perspectis motiva ad conclusionem ut certam intelligendam non habeantur; sed inde potius ratio eius facti repetenda est, quod eiusmodi homines aut propter sensus internos vitiis corruptos non possunt intellectum sufficienter applicare ad argumenta intelligenda, aut quod hanc applicationem negligunt vel recusant, ne turbentur in sua vivendi ratione (cf. de opinione Kuhn quae habet *Hontheim,* Theodicaea n. 77 sqq.).

35. ***Obi.*** Qui ex rebus finitis effectis concludit Ens infinitum esse causam earum, in conclusione plus ponit, quam per praemissas licet. *Atqui* aliter quam ex rebus finitis exsistentia Entis infiniti demonstrari nequit. *Ergo* nullo modo potest demonstrari.

Resp. *Dist. mai.:* Qui id concludit ex necessitate causae primae rebus finitis efficiendis proportionatae *immediate, conc. mai.,* qui ex necessitate causae primae rebus finitis efficiendis proportionatae primum non concludit nisi exsistere *Ens a se,* et dein ex iis, quae *Enti a se* evidenter propria sunt, concludit exsistere unum Ens infinitum, quod sit causa prima omnium rerum finitarum effectarum, *nego mai.*

Urgebis. Qui ita concludit, ex conceptu Dei ut *Entis a se* probat exsistentiam Dei ut entis infiniti. *Atqui* haec argumentatio *substantialiter* non videtur differre ab argumento ontologico, quod supra reiectum est ut invalidum. *Ergo* etiam argumentatio proposita videtur esse invalida.

Resp. *Dist. mai.:* . . . ex conceptu *Entis a se,* de cuius conceptus veritate interna, postquam *Ens a se* exsistere *a posteriori* probatum est, nullum potest esse dubium, *conc. mai.,* ex conceptu *Entis a se* quoad veritatem suam internam adhuc dubio, *nego*

mai., nego min., quia, ut supra ostendimus, qui argumento ontologico utuntur, ex conceptu Dei quoad veritatem suam internam adhuc dubio arguunt ad exsistentiam Dei.

Urgebis. *Ens a se,* ad quod per demonstrationem a posteriori pervenis, etiam a pantheistis admittitur. *Ergo* demonstratio Dei infiniti eius conceptui superstructa videtur minus solida (cf. verba cl. *Kuhn* apud *Hontheim,* Theodicaea n. 85).

Resp *Dist. ant.:* . . . et pantheistae conceptui eius addunt praedicata, quae ei logice evoluto evidenter repugnant, *conc. ant.,* ab iis admittitur cum sequelis suis logicis, *neg. ant., nego cons.,* donec vitium in demonstratione a nobis modo breviter indicata et postea evolvenda ostendatur.

Caput II.

Quibus rationibus exsistentia Dei demonstrari possit.

36. *Praenotanda.* Quamquam, ut saepius iam significavimus, ad Dei exsistentiam probandam absolute sufficit demonstrare exsistere *Ens a se,* et dein ex conceptu huius Entis cetera Dei attributa evolvere; tamen rem practice spectantibus nobis evidens est eiusmodi demonstratione *sola* fini nobis proposito parum satisfieri. Etenim deductiones logicae ex conceptibus abstractis si solae proponuntur, multis minus satisfaciunt, praesertim cum animadvertant *Ens a se* etiam apud pantheistas et materialistas inveniri. Quare magnopere expedit exsistentiam Dei ita probare, ut ex modo argumentandi multipliciter et quodammodo palpabiliter (Act. 17, 27) pateat admittendum esse Ens personale mundo et homine superius, et ipsum *Ens a se* necessario esse Ens personale summum, Deum personalem (n. 8). Itaque ad id uberius evincendum triplici argumentorum genere utemur, quae nominibus demonstrationis Dei metaphysicae, physicae, moralis distingui solent.

Art. 1.

De exsistentiae Dei demonstratione metaphysica.

37. *Praeliminaria.* Demonstratione exsistentiae Dei metaphysica quae dicitur ex praedicatis, quae entibus huius mundi pro essentia sua limitata necessario conveniunt, explicite

concluditur ad exsistentiam Dei, quatenus hic concipitur vel ut *Ens a se* vel sub aliqua alia notione Deo vero exclusive propria, quales sunt notiones primi spiritus, absolutae immutabilitatis, absolutae independentiae etc. Aliis verbis: demonstratione illa metaphysica ratio ultima redditur veritatis obiectivae, quam indagamus inquisitionibus metaphysicis in res huius mundi.

Eius demonstrationis quinque potissimum viae distinguendae videntur, quarum quattuor priores breviter proponuntur apud *S. Thom.*, S. th. 1, q. 2, a. 3. Differunt hae viae inter se, quatenus praedicata divina praedicatis creaturarum opposita, quibus *Ens a se* per singulas vias se nobis manifestat, sunt diversa.

38. Etenim a) ex *motu* rerum sive ex earum in ulteriorem perfectionem nisu concluditur ad Ens immobile, non perfectibile, ut ad principium rerum mobilium et perfectibilium.

b) Ex *efficientia* rerum novarum, quam in rebus iam exsistentibus animadvertimus, concluditur ad causam primam non factam eorum omnium, quae facta sunt, et postquam evidenter ostensum est totalitatem generis humani esse effectam, concluditur ad causam primam intelligentem et voluntate libera praeditam sive Deum personalem.

c) Ex *contingentia illius esse, quo substantiae singulares corporeae in certa specie constituuntur,* concluditur ad Ens primum quoad essentiam suam *completam* non solum *hypothetice* necessarium (ut spiritus finiti), sed *absolute.*

Nota. Res corporeas quoad essentiam suam specificam mutabiles *S. Thomas,* S. th. 1, q. 2, a. 3, c, § „Tertia via", vocat *possibilia,* quatenus scl. possunt esse et non esse, prout esse sumitur sensu strictiori pro *esse in specie completo.* (Cf. ad hunc modum loquendi Quodlib. 9, a. 3; S. th. 1, q. 9, a. 2; *ibid.* q. 46, a. 1, obi. 1; q. 104, a. 1, obi. 1.

d) Ex *gradibus* entitatis et bonitatis multitudini rerum communis concluditur ad rem summam, cuius perfectionem res secundum gradus perfectionis genericae et transcendentalis differentes similitudinarie magis vel minus participent.

e) Ex *veritate interna idearum intellectualium* (sive quod ad idem redit, rerum pure possibilium) concluditur ad aeternam veritatem in se subsistentem.

39. Has quinque argumentandi vias breviter his appellationibus distinguere poteris:

a) argumentum *cineseologicum* (κίνησις = motus);

b) argumentum *cosmologicum* (κόσμος = mundus, qui *rerum novarum efficientia* servatur et renovatur);

c) argumentum *alloiologicum* (ἀλλοίωσις = mutatio, quod nomen hoc loco intelligendum est de mutatione *essentiae specificae* subiectorum materialium);

d) argumentum *henologicum* (ἕνωσις = unio; hoc enim argumento datur ratio entitatis communis, qua res genere et specie diversae quodammodo uniuntur, quatenus id, ad quod ratio entis se extendit, magis minusve participant;

e) argumentum *ideologicum* (ἰδέα = idea, forma mente repraesentata).

§ 1.

Exponitur argumentum ex motu rerum (cineseologicum).

Thesis II.

40. **Ex motu rerum probatur exsistentia primi motoris nullatenus mobilis sive perfectibilis, qui est Ens a se sive Deus.** (Cf. *S. Thom.*, S. th. 1, q. 2, a. 3, c. § „Prima autem".)

St. Q. 1. Motus (κίνησις) ab Aristotele definitus est (Phys. lib. 3, cap. 1) ἡ τοῦ δυνάμει ὄντος ἐντελέχεια, ᾗ τοιοῦτον, i. e. actus entis in potentia *qua talis*, quam definitionem considerans S. Thomas inter alia haec dicit: „Actus imperfectus habet rationem motus, et secundum quod comparatur *ad ulteriorem actum ut potentia*, et secundum quod comparatur *ad aliquid imperfectius ut actus*" (In Arist. Phys. lib. 3, lect. 2, n. 3). Aliis verbis: res *sensu maxime proprio* movetur, cum nititur in ulteriorem perfectionem accidentalem, manens secundum speciem eadem. Et hunc solum motum, qui est nisus actualis de statu imperfectiori ad statum perfectiorem, in argumentatione nostra supponimus, non vero motum de perfecto ad imperfectum, ut v. g. de vigore virili ad infirmitatem senilem.

2. Exempla motus, qui a nobis ad thesim demonstrandam accipitur, habemus: a) motum localem eatenus solum, quatenus

res, quae localiter movetur, nisu actuali pollet ad ulterius progrediendum et alias res sua agendi vi continuo afficiendas; b) motum augmenti in entibus viventibus; c) motum alterationis sive rerum inanimatarum sive viventium eatenus tantum, quatenus tendit ad rem secundum certam qualitatem magis perficiendam, ut v. g. cum aqua magis magisque calefit, cum manus usui artis magis adaptatur. Huc etiam referimus nisum animalium ad se ipsa perficienda secundum vitam suam sensitivam et nisum hominum ad evolutionem vitae intellectivae.

3. Thesis nostra duas continet partes. Parte I. probatur exsistentia primi motoris nullatenus mobilis; parte II. hunc motorem esse Deum ostenditur.

41. Pars I. Ex motu rerum probatur exsistentia primi motoris nullatenus mobilis.

Ubique in rerum natura et in ipso homine motum observamus, prout motus intelligitur nisus rei in ulteriorem perfectionem sui. *Atqui* eiusmodi motus esse non potest, nisi exsistit primus motor nullatenus mobilis. *Ergo* huius exsistentia ex motu rerum vere sequitur.

Prob. min. Quidquid movetur, ab alio movetur eo sensu, quod nulla res sua vi *sola* moveatur, sed etiam res ab ipsa distincta in motum eius influat. *Atqui* non potest in motum omnis rei, quae movetur, res ab ipsa distincta influere, nisi exsistit primus motor nullatenus mobilis. *Ergo* motus rerum esse nequit absque eo.

Prob. mai. probat. min. a) *ab experientia et ex psychologia quoad motum in rebus huius mundi.*

Res mundana, quae motu nititur ad se ulterius perficiendam, aut movetur motu non vitali aut motu vitali. *Atqui* neutro motu per se solam movetur. *Ergo* . . .

42. *Prob. ult. min. p. partes.* 1. Res, quae motu non vitali nititur ad se ulterius perficiendam, legi inertiae subest, i. e. per se statum suum ne incohative quidem mutat. *Atqui* res, quae ita se habet, manifesto per se solam non movetur, sed a re ab ipsa distincta ad motum impellitur.

2. Res, quae motu vitali in sui perfectionem nititur, aut intelligitur corpus vivum se nutriens, aut organismus sensitivus

in operationes vitae sensitivae tendens, aut anima humana vitam intellectivam evolvens. *Atqui* nulla ex his rebus per se solam se movet. *Ergo* . . .

Ad min. ult. Experientia universali teste corpus vivum in actu nutritionis a determinato alimentorum in ipsum influxu pendet, et organismus sensitivus ad motum vitae sensitivae incipiendum actione obiecti sensilis excitatur. Porro ex psychologia constat animam humanam in omni motu vitae intellectivae sive in omni operatione intelligendi et volendi indirecte pendere ab influxu per obiecta sensilia in organismum sensitivum exercito (cf. Psychol. huius *Cursus* n. 124 sqq.). *Ergo* . . .

Prob. mai. probat. min. b) *a priori et universaliter* cum *S. Thom.,* S. th. 1, q. 2, a. 3, c. Quidquid motu in sui perfectionem tendit, secundum hunc statum plus realitatis habet, quam priusquam moveretur; consequenter secundum statum motu priorem erat minus quam secundum statum motus. *Atqui* id, quod est minus altero, per se solum non potest esse ratio huius. *Ergo* ens nondum motum per se solum nequit esse ratio, cur incipiat moveri in sui perfectionem [1].

43. *Prob. min. probat. min. qua asseritur non posse omnem rem, quae movetur, quoad motum suum subesse influxui rei ab ipsa distinctae, nisi exsistat primus motor nullatenus mobilis.*

1. Exsistat necesse est primus motor, qui ita moveat, ut ipse non sit praemotus ab alia re.

Res *B,* quae aliam rem *A* ad motum actualem praemovet, vim, qua hoc facit, aut habet eo ipso, quod exsistit, aut non. *Si illud prius,* ipsa res *B* manifesto est primus motor, qui moveat non praemotus; *sin alterum,* res *B,* cum ipsa ad eam vim in se actuandam per se solam se movere non possit, influxui tertiae rei *C* eandem debet. De influxu autem huius rei *C* in rem *B* idem valet quod de influxu rei *B* in rem *A*. Ex quo patet numerum motorum, qui ita moveant, ut ipsi sint praemoti, sine fine crescere, nisi admittas primum motorem

[1] Duae probationes illius principii „Quidquid movetur, ab alio movetur" ita inter se habent, ut priori ostendatur illud principium *in rebus motis nobis notis* revera verificari, posteriori autem illud principium esse *sensu stricto universaliter* verum.

non praemotum. *Atqui* eiusmodi series infinita motorum, qui et ipsi sint praemoti, admitti nequit. *Ergo,* ut unaquaeque res, quae movetur, influxui rei ab ipsa distinctae subesse possit, necesse est exsistat primus motor non praemotus.

Prob. min. ult. Ut hoc loco abstrahamus a possibilitate multitudinis rerum actu exsistentium, quae nullo modo concedenda est, ut alibi videbimus, certe *facta hypothesi illius seriei infinitae motorum, qui omnes et singuli sint praemoti, nulla est res, quae dici possit auctor totius motus,* aliis verbis: totus motus exsisteret sine ratione sufficienti. *Atqui* hoc intrinsecus repugnat. *Ergo* series infinita motorum, qui omnes et singuli sint praemoti, admitti nequit.

Ad mai. Ab adversariis frustra dicitur non requiri auctor totius motus, quia series infinita rerum, quae simul sint res motae et res moventes, rationem sufficientem in se ipsa habeat, eo ipso quod sit series infinita, cuius nullum sit initium. *Hoc non posse* admitti ita patet: In serie illa infinita, cuius omnia membra sunt moventia, quae singula sunt ab alio mota, nullum habetur membrum, quod *per se solum* sit ratio sufficiens *ullius motus inchoandi;* debet autem motus in *singulis* membris inchoatus esse, quia secus non omnia membra sunt moventia ab alio mota.

Atqui motus totalis, qui *secundum omnes partes suas* est motus *inchoatus* et in nullo membro habet rationem sufficientem *ullius* primae inchoationis, eam nequit habere in tota serie, quia repugnat in multitudine esse rationem sufficientem *totalem* facti alicuius, cuius in nullo membro multitudinis habetur ratio sufficiens partialis. *Ergo* . . . Cf. praeterea n. 60.

44. *2. Exsistat necesse est primus motor nullatenus mobilis.*

Primus motor, qui non praemovetur, per solam exsistentiam sibi sufficit ad agendum in aliud. *Atqui* nullum ens, quod in permansione exsistentiae ab altero ente pendet, sibi ad agendum per solam exsistentiam sufficit, quia sibi repugnat ens esse magis perfectum ad agendum quam ad essendum. *Ergo* primus motor in permansione exsistentiae a nulla re ab ipso diversa pendet. *Atqui,* quod est eiusmodi, est plane immobile, cum supra probatum sit nullam rem sola sua vi se movere posse. *Ergo* . . .

45. Pars II. Primus motor immobilis est Ens a se sive Deus.

Ut modo vidimus, primus motor in permansione exsistentiae a nullo ente alio pendet. *Atqui* ens eiusmodi non potest esse a causa effectum. *Ergo* exsistit vi essentiae suae solius sive est essentia absoluta necessitate exsistens sive *Ens a se* (cf. *Frick,* Ontologia n. 349).

Prob. min. Ens a causa effectum vi essentiae suae solius nullo modo est in ordine exsistentiae realis. *Atqui,* quod vi essentiae suae solius nullo modo est in ordine exsistentiae realis, exsistentiam non solum qua exsistentiam incipientem, sed etiam qua exsistentiam durantem influxui causae suae debet, quia eius essentia secundum se est pure possibilis. *Ergo* in permansione exsistentiae a causa pendet; unde evidens est ens, quod in permansione exsistentiae a nullo ente pendet, non posse esse a causa effectum.

46. ***Obi. 1.*** Corpus iam in motu positum sola vi sibi insita ulterius movetur. *Ergo* falsum est, quidquid movetur ab alio, moveri.

Resp. *Dist. ant.:* . . . sola vi secundum potentiam sibi insita et per corpus, quo ad motum inchoandum impulsum est, ad actum reducta, *conc. ant.,* secus, *nego ant., nego cons.*

Obi. 2. Homo sola virtute intellectus agentis se perficit ad intelligendum et vi eiusdem luminis immobilis de una intellectione ad aliam progreditur (cf. Psychol. rat. auct. n. 157 sqq. 172. 254). *Ergo* ad animam humanam intellectualiter agentem illud principium „*Quidquid movetur etc.*“ non est applicabile.

Resp. *Dist. ant.:* . . . postquam sensu externo et interno obiecti sensilis actione modificato et ad agendum excitato ad virtutem intellectus agentis obiecto intelligibili applicandam actuatus sive praemotus est, *conc. ant.,* secus, *nego ant., nego cons.*

47. ***Obi. 3.*** Homo, quoties libere aliquid eligit, et generatim quodcumque ens intellectuale, quod *in tempore* libere aliquid eligit, sola virtute voluntatis liberae se movet de potentia certae electionis ad actum eiusdem. *Atqui* hoc admisso evidenter non stat illud principium „Quidquid movetur etc.“ *Ergo* . . .

Resp. *Dist. mai.:* Antequam influxu rei sibi externae secundum intellectum praemotus sit ad obiectum eligibile sibi qua enti secundum rationem appetenti praesentandum, *nego mai.,* postquam ita praemotus est, *trans. mai., contrad. min., nego cons.* — Dixi *trans. mai.,* quia etiam stante praesentatione obiecti per in-

tellectum facta non potest dici voluntas *sub omni respectu* sola sua virtute de obiecto eligibili agere. Sed ad principium, de quo hoc loco agitur, nihil refert, utrum id possit necne, quia illud principium cum libertate arbitrii componitur, *dummodo ne ullum ens liberum in tempore quidquam eligat, quin influxu entis sibi externi ad obiectum eligibile considerandum praemotum sit.*

48. *Corollarium. Ergo exsistit unus Deus personalis perfectionis illimitatae sive Deus infinite perfectus.*

Praenota. Quamquam attributa primaria *Entis a se,* quae hoc corollario brevissime complectimur, libro II., quando de attributis divinis agemus, fusius per plures theses declaranda et ab impugnationibus vindicanda sunt, iuvat tamen hoc loco eorum cum aseitate connexionem quasi in nucleo exhibere, ut tironibus theologiae naturalis evidens fiat *Ens a se* logice neque cum materialismo neque cum pantheismo stare (cf. ad haec *Frick,* Ontologia n. 351 sqq.).

Ut de veritate corollarii propositi omnino constet, haec ex ordine demonstrabimus: 1. *Ens a se* est ens absolute necessarium; 2. *Ens a se* est unum sive unicum; 3. *Ens a se* est perfectionis illimitatae; 4. *Ens a se* est natura intellectualis in se subsistens sive ens personale.

1. ***Ens a se*** *est ens absolute necessarium. Prob. Ens a se* est essentia, quae et realiter exsistit, et cuius exsistentiae realis nulla est ratio praeter ipsam. *Atqui* eiusmodi essentia non potest esse indifferens ad exsistendum, et essentia quae non potest esse indifferens ad exsistendum, absoluta necessitate exsistit sive est ens absolute necessarium. *Ergo* Ens a se est ens absolute necessarium.

Prob. min. Nulla essentia potest exsistere absque ratione sufficienti; porro, quod est nihil in ordine exsistentiae realis, non potest esse ratio sufficiens exsistentiae ullius. *Atqui,* si essentia, quae et realiter exsistit, et cuius realis exsistentiae nulla est ratio praeter ipsam, ad exsistendum esset indifferens, aut sine ulla ratione sufficienti exsisteret, aut haberet rationem sufficientem exsistentiae suae aliquid, quod est nihil in ordine exsistentiae realis. *Ergo* . . .

49. *2.* ***Ens a se*** *est unum (unicum). Prob.* Omnis exsistentia realis *qua talis* est una tantum, quia secus haberetur exsistentia una eademque realis pluribus entibus divisis realiter

communis, id quod sibi repugnat, ut in Logica ostensum est (cf. *Frick,* Logica n. 352 sqq.). *Atqui Ens a se,* ut sub *1.* probatum est, absoluta necessitate est exsistentia realis. *Ergo* non est exsistentia pluribus entibus a se exsistentibus, ab invicem divisis communis, sed una tantum, sive *Ens a se* est unicum.

3. ***Ens a se*** *est perfectionis illimitatae.* Ens, quod in se continet plenitudinem omnis esse, est perfectionis illimitatae, cum omnis perfectio sit *ens* (cf. *Frick,* Ontologia n. 168). *Atqui Ens a se* in se continet plenitudinem omnis esse. *Ergo* est perfectionis illimitatae.

Prob. min. Ens, quod est *formaliter,* quidquid per essentiam suam solam exsistere potest, et *eminenter,* quidquid per causam ab ipso distinctam ad exsistentiam potest reduci, in se continet plenitudinem omnis esse. *Atqui Ens a se* est *formaliter* illud primum et *eminenter* hoc alterum. *Ergo* . . .

Prob. min. p. partes.

a) *Ens a se* est idem atque Ens per essentiam suam solam exsistens, neque potest esse nisi unum *Ens a se,* ut sub *2.* modo probatum est. *Ergo Ens a se* est formaliter, quidquid per solam essentiam suam exsistere potest.

b) *Ens a se* et est ens primum et est ens unum sive substantia, quae non sit pluribus entibus ab invicem divisis communis. *Atqui* qua ens primum est causa adaequata omnium, quae per causam ab ipsis distinctam ad exsistentiam reduci possunt, et consequenter haec omnia vel formaliter vel eminenter continet; qua ens unum autem ea *formaliter* in se continere non potest, quippe *quae sint multa et multiplicis generis. Ergo* Ens a se *eminenter* in se continet, quidquid per causam ab ipso distinctam exsistere potest.

50. *4.* ***Ens a se*** *est natura intellectualis in se completa sive ens personale. Prob. Ens a se* esse naturam in se completam ex thesi II. patet. Nam ea thesi probatum est illud esse naturam primam non perfectibilem. *Atqui* natura prima non perfectibilis non potest esse subiectum incompletum (materia prima), sed debet esse essentia in se completa. *Ergo Ens a se* est essentia sive natura in se completa.

Eius autem naturam esse intellectualem hoc modo ostenditur ex perfectione eius illimitata, quam sub *3.* probavimus:

Ens a se qua ens infinite perfectum in se eminenter praecontinet omnia entia effecta et effectibilia. *Atqui* inter haec est multitudo animarum humanarum intellectualium, quas in Psychologia rationali ostendimus esse substantias spirituales (Op. c. n. 429 sqq. et 439 sqq.). *Ergo Ens a se* est eminenter intellectuale.

Ad min. Secundum ea, quae iam probavimus, *Ens a se* non est nisi ens unum et infinitum. *Atqui* animae humanae sunt multae et finitae. *Ergo* non sunt a se et consequenter sunt inter entia effecta et effectibilia.

51. *Schol. 1. Quomodo Aristoteles motorem immobilem probaverit.*

Aristoteles duplici via pervenit ad conclusionem exsistere motorem immobilem. Utramque viam exponit *S. Thom.,* S. c. gent. lib. 1, cap. 13. Cf. ad viam priorem *Aristot.,* Phys. lib. 7, cap. 1, et *S. Thom.,* In Arist. Phys. lib. 7 lect. 1. 2; ad viam posteriorem *Aristot.,* Phys. lib. 8, cap. 5, § 3 et cap. 6, et *S. Thom.,* In Arist. Phys. lib. 8 lect. 9, inde a § 5 usque ad lect. 13 inclus. Hanc alteram viam iniens Aristoteles duo supposuit, quorum unum est falsum, alterum vero commentum inane. Falso enim supposuit motum *necessario* esse ab aeterno. Id falsum esse mox apparebit, et S. Thoma duce id magis explicite ostendemus, quando lib. III. de duratione mundi a Deo creati agemus. Deinde Aristoteles etiam supposuit corpus caeleste se ipsum movere, ex quo sequeretur illud esse animatum, quae hypothesis recte dicitur fictio inanis.

52. *Schol. 2. Motor immobilis se movens.*

Deus, qui ab Aristotele consideratur ut primus motor immutabilis, secundum Platonem est primum ens se movens (De leg lib. 10, p. 893 sqq., Phaedr. p. 245). Quae conclusio admittenda est, dummodo motus sui intelligatur *intellectio et volitio actualis in se eminenter continens, quidquid homo facultates suas mentales gradatim evolvendo in se efficere potest;* aliis verbis: motus sui sensu non *formali,* sed *eminenti* vocabuli *motus.* Nam omnis motus sui *formaliter* acceptus est perfectio non *pura,* sed *mixta,* quia est *actus cum potentialitate ad actum ulteriorem* (cf. *S. Thom.,* S. th. 1, q. 18, a. 3 ad 1, et S. c. gent. lib. 1, cap. 13, § *„Sciendum autem“.*

§ 2.

Exponitur argumentum ex efficientia rerum mundanarum novarum (cosmologicum).

Thesis III.

53. Efficientia novarum substantiarum individuarum, qua esse specificum rerum viventium huius mundi corporei conservatur, reducenda est ad causam primam non factam a se exsistentem, Deum personalem, Creatorem materiae et animae humanae. (Cf. *S. Thom.*, S. th. 1, q. 2, a. 3, c. § „Secunda via".)

St. Q. Licet res vivae mundi corporei mole longe superentur a rebus inanimatis, dignitate iis multum praestant idque ita, ut sint partes principaliores mundi, quibus res vita carentes subserviunt. Quare recte dixeris sublatis rebus vivis orbem terrarum, quem imprimis spectare solemus, cum de mundo loquimur, iam non esse mundum, sed potius *ruinam mundi*. Substantiae autem vivae huius mundi corporei, cum singulae sint corruptibiles, secundum speciem suam perseverant vi generationis individuorum viventium novorum per viventia iam exsistentia. Ad quam rerum vivarum efficientiam respicientes per tres theseos partes haec statuimus:

54. *Pars I.* Efficientia rerum vivarum mundi corporei reducenda est ad causam primum non factam, a se exsistentem. Quo asserto figmentum eorum reicimus, qui res vivas nunc exsistentes per seriem infinitam causarum effectarum explicare conantur.

Pars II. Causa prima non facta rerum viventium non solum est *Ens a se,* sed etiam Deus personalis sive substantia intellectualis in se subsistens. Quod cum affirmamus, eos aggredimur, qui cum H. Spencer admittunt quidem mentem humanam non posse evitare hypothesim causae primae, sed hanc causam primam putant esse vim quandam amplius non declarandam, utpote de qua nihil sciamus, nisi quod per evolutionem phaenomenalem se nobis manifestet, cuius evolutionis neque initium neque finis assignari possit (*Spencer,* First Principles [ed. 2] cap. 2, p. 37; cap. 24, p. 552).

Pars III. Deus personalis, causa viventium prima, elementa materiae, quibus mundus corporeus constat, et animam

rationalem, qua homo formaliter constituitur homo, ex nihilo creavit, i. e. nullo subiecto praeiacente, cuius mutatione vel materia vel anima humana oriri posset, vi sibi interna secundum totum esse iis proprium effecit. Id contendentes non solum materialistas et agnosticos, sed etiam pantheistas oppugnamus. Neque tamen hoc loco inquirimus, utrum Deus materiam et animam humanam immediate per se creaverit an mediate per spiritum ab ipso creatum. Lib. III. videbimus hoc alterum fieri non potuisse. Ibi etiam ipsum conceptum creationis magis declarabimus. Hoc loco sufficit ostendere Deum esse Creatorem animae humanae et materiae *mediate saltem*.

55. Pars I. Res viventes recens ortae qua res singulares effectae reducendae sunt ad causam primam non factam a se exsistentem.

a) Qua res effectae res viventes sunt a causa prima non facta.

Arg. 1. (Ex eo, quod omni effectui antecedit causa.) Exsistentia *uniuscuiusque* rei effectae explicanda est per causam, quae fuit ante eam, ita ut ea causa *natura saltem* prior fuerit re effecta. *Atqui*, si non exsistit causa non facta, exsistentia *uniuscuiusque* rei effectae ita explicari nequit. *Ergo* exsistit causa prima non facta rerum effectarum.

De *maiori* constat ex ipso conceptu rei effectae.

Prob. min. Si non exsistit causa non facta, exsistentia *uniuscuiusque* rei effectae explicari non potest per causam, quae fuerit ante eam, nisi supponamus ante *unamquamque* rem effectam fuisse causam, quae et ipsa fuerit effecta. *Atqui* id sine absurditate supponere non possumus. *Ergo*, si non exsistit causa non facta prima rerum effectarum, exsistentia *uniuscuiusque* rei effectae non potest explicari per causam, quae fuerit ante eam.

Prob. min. ult. Cum supponimus ante *unamquamque* rem effectam fuisse causam, quae et ipsa fuerit effecta, implicite affirmamus *ante omnes et singulas res effectas fuisse rem, quae et ipsa fuerit effecta. Atqui* hoc suppositum sibi intrinsecus repugnat et consequenter absurditate non caret. *Ergo* . . .

56. *Arg. 2. (Ex eo, quod requiritur causa* ***totius*** *complexus rerum effectarum.)* Requiritur causa *totius* complexus rerum effectarum, sive hic complexus concipitur ut series finita sive ut series infinita. *Atqui* causa *totius* complexus non potest esse intra ipsum complexum rerum effectarum. *Ergo* est extra hunc complexum. *Atqui* extra complexum *totum* rerum effectarum non potest esse causa nisi causa non facta. *Ergo* exsistit causa non facta rerum effectarum.

Prob. mai. Totus complexus rerum effectarum per se est mere possibile quid. *Atqui,* quod per se est mere possibile quid, non exsistit nisi vi causae. *Ergo* requiritur causa *totius* complexus rerum effectarum.

Prob. min. Quod non exsistit nisi vi causae, non potest esse causa *omnium* rerum effectarum. *Atqui,* quidquid est intra complexum rerum effectarum, non exsistit nisi vi causae. *Ergo,* quidquid est intra complexum rerum effectarum, non potest esse causa *omnium* rerum effectarum sive *totius* complexus earundem.

b) *Causa prima non facta rerum viventium est* ***Ens a se*** *sive Deus.* Causa prima non facta, de qua agimus, est ens, quod ante res factas ita exstitit, ut eius exsistentiae non fuerit causa. *Atqui* ens, quod ante res factas ita exstitit, ut eius exsistentiae non fuerit causa, est ens per essentiam exsistens et consequenter est *Ens a se* sive Deus etiam nunc exsistens, quia, ut supra iam vidimus, *Ens a se* est ens absoluta necessitate exsistens.

57. Pars II. Deus personalis est illud *Ens a se,* a quo res viventes sunt ut a causa prima.

Inter res viventes sunt homines, qui in esse suo humano complentur animabus rationalibus, quas in Psychologia rationali (n. 439) ostendimus esse substantias intellectuales in se subsistentes, et quas necesse est esse res effectas, quia sunt multae et perfectionis finitae, cum *Ens a se* sit unum et ens infinitum (cf. n. 49). *Unde ita arguo:* Animae humanae et sunt res effectae et sunt substantiae intellectuales in se subsistentes. *Atqui* qua res effectae causam primam habent *Ens a se,* et qua substantiae intellectuales in se subsistentes causam primam habent *Ens a se* intellectuale sive Deum personalem.

Ergo Deus personalis est causa prima adaequata animarum humanarum. *Atqui* Deus personalis est idem *Ens a se* atque *Ens a se,* ad quod ut ad causam suam primam rem viventem unamquamque huius mundi reducendam esse antea probavimus; etenim non potest esse nisi unum *Ens a se.* *Ergo* Deus personalis est illud *Ens a se,* a quo res viventes sunt ut a causa prima.

58. Pars III. Deus personalis, qui est causa prima rerum viventium, est Creator materiae et animae humanae.

Neque ulla particula materiae neque ulla anima humana aliter oriri potuit quam creatione ex nihilo. *Atqui,* quidquid ex nihilo creatum est, dici debet a Deo personali ex nihilo creatum esse. *Ergo* unaquaeque particula materiae et unaquaeque anima humana a Deo personali ex nihilo creata est.

Prob. mai. per partes.

1. Si qua particula materiae non orta est ex nihilo, ea aut ex spiritu Deo inferiori emanavit aut ex ipso Deo, aut est a se. *Atqui* primum et alterum repugnat simplicitati omni spiritui proprio (cf. Psychol. rat. n. 430), tertium autem repugnat multitudini et limitationi particularum materiae, cum *Ens a se* sit unum et perfectionis illimitatae.

Ergo nulla particula materiae aliter orta est quam creatione ex nihilo.

2. Si qua anima humana non ex nihilo creata est, ortum suum aut debet emanationi ab ente intellectuali ab ipsa distincto (sive hoc ens sit anima parentis sive spiritus Deo inferior alius sive ipse Deus) aut materiae, quae ita mutata sit, ut ex ea anima humana quodammodo efflorescceret. *Atqui* primum repugnat simplicitati omnis entis spiritualis, alterum spiritualitati ipsius animae humanae (cf. Psychol. rat. n. 439 sqq.).

Ad ult. mai. Tertia hypothesis, animam humanam fortasse *a se* esse, iam exclusa est per ea, quae *parte II.* probavimus.

59. *Prob. min. arg*^{ti} *principalis.* Aut solus Deus aliquid ex nihilo creare potest aut etiam aliquod aliud ens praeter Deum. *Atqui,* si illud prius supponis, certe, quidquid ex nihilo creatum est, a Deo ex nihilo creatum esse dicendum est. Sin alterum placet supponere, saltem concedendum est illud ens, cui praeter Deum vis creatrix conveniat, esse suum et

potentiam agendi sibi propriam *mediate saltem* divinae ex nihilo creationi debere. Nam illud ens manifesto est *ens ab alio,* cum unum tantum possit esse *Ens a se. Atqui* omne *ens ab alio,* quidquid habet perfectionis, non solum *Enti a se* debet ut causae primae, sed etiam ut *causae primae ex nihilo creanti;* quia ens primum, quod praeter Deum unum a se exsistentem exstitit, ab hoc spiritu primo et simplici procedere non potuit nisi creatione ex nihilo. *Ergo,* si quod sit ens praeter Deum, quod ex nihilo aliquid creare possit, id suam ipsius exsistentiam suamque vim creatricem mediate saltem debet divinae ex nihilo creationi. *Atqui* hoc admisso, quidquid ex nihilo creatum est, vi creatrici Dei originem suam debet. *Ergo* dici debet ab ipso Deo ex nihilo esse creatum *mediate saltem.*

60. *Coroll. Ergo athei frustra appellant seriem infinitam causarum effectarum, ne cogantur admittere Deum Creatorem.* Ex argumentis enim nostris clare patet res effectas *natura sua* esse eiusmodi, ut sine causa non facta nullam seriem efficere possint, *a fortiori* non seriem infinitam. Sicut enim catena multis constans anulis non potest in aere suspensa esse, nisi vi aliqua sibi externa fulciatur, ita series rerum effectarum non potest exsistere nisi per causam non factam a tota serie distinctam. Et sicut catena in altum elevata, nisi fulciatur, eo vehementius deorsum ruit, quo pluribus componitur anulis, ita series quaelibet, quae fingatur entium effectorum, nisi sustentetur a causa non facta, eo gravius cum ratione sana collidit, quo plura ei tribuuntur entia.

Ceterum, etiamsi supponatur causa non facta, series infinita entium inter se succedentium, quae omnia ante tempus praesens exstiterint, ob duas rationes admitti nequit:

1. quia involvit successionem, cuius non fuerit initium. Enimvero successio quaelibet, quae absque initio semper fuerit, sibi intrinsecus repugnat. Unaquaeque enim successio involvit duo: aliquid unum, quod alterum praecedit, et hoc alterum, quod illo posterius est. *Atqui* hoc alterum, quod illo posterius est, manifesto incepit. *Ergo, cum ipsa successio sine hoc non habeatur,* nulla successio potest esse absque initio.

2. Quia involvit multitudinem actu infinitam rerum, quae omnes actu exstiterint, quam cum *S. Thoma,* S. th. 1, q. 7, a. 4

ostendemus esse reiciendam, quando de Dei infinitate lib. II. explicite agemus.

61. ***Obi. 1.*** *Ex mente H. Spencer:* Ad monotheismum probandum frustra demonstratur exsistere *Ens a se,* quia *Ens a se* omnino non possumus concipere.

Prob. ratio asserti. Ut *Ens a se* concipiamus, nobis concipiendum est ens, quod exstiterit sine initio, consequenter per tempus praeteritum infinitum. *Atqui* eiusmodi ens omnino non possumus concipere. *Ergo . . .*

Prob. min. Ut eiusmodi ens concipiamus, nobis concipiendum est tempus infinitum praeteritum. *Atqui* id concipere non possumus. *Ergo* . . . (cf. *Spencer,* First Principles [ed. 2] p. 31. 35).

Resp. *Nego assertum, ad probationem rationis asserti conc. ant. mai., dist. cons. mai.:* . . . quod ita exstiterit, ut tempori praeterito infinito subfuerit vel saltem ei coexstiterit, *nego cons. mai.,* quod tempori infinito praeterito *potuerit* coexsistere, *subd. cons. mai.:* tempori *actu* infinito praeterito, *nego cons. mai.,* . . . tempori *in potentia* infinito praeterito, *conc. cons. mai. nego min. et cons., ad prob. min. dist. mai.:* ut illud ullo modo *vere* concipiamus . . ., *nego mai.,* ut illud magis perfecte concipiamus . . ., *subd. mai.:* debemus concipere tempus *actu* infinitum praeteritum, *nego mai.,* tempus *in potentia* infinitum praeteritum, *subd. mai.:* conceptu intuitivo et pure positivo, *nego mai.,* conceptu abstractivo et negativo-positivo, *conc. mai.*

62. *Explico responsum.* Ut aliquam veram notionem *Entis a se* habeamus, sufficit, ut concipiamus ens, quod exsistat absque causa per solam essentiam suam. Porro, cum *Ens a se* magis perfecte concipimus, illud apprehendimus ut ens unum, infinitum, absque initio et fine immutabiliter durans, et consequenter ut ens, quod non subsit tempori, siquidem tempus fundatur in mutatione durationis (cf. *Haan,* Philos. nat. n. 92).

Neque *Ens a se* dici potest tempori *absoluta* necessitate coexsistere; nam, ut suo loco videbimus, *Ens a se* liberrimum est ad res mutabiles creandas et non creandas. Ex alia parte in eius duratione immutabili sive aeternitate omnis duratio rerum mutabilium et mutationi subiectarum sive omne tempus fundatur. Praeterea nullum momentum in praeterito assignabile est, quo prius non potuerint exsistere res mutabiles vi voluntatis liberae Entis primi a se exsistentis.

Ex quibus patet Ens a se esse eiusmodi, ut ante praesens momentum potuerit coexsistere tempori in infinitum longiori, quam illud tempus est, quod actu fuit. Neque tamen potuit co-

exsistere tempori praeterito *actu* infinito, quia hoc tempus repugnat, quippe quod involvat successionem non incipientem, quam a ratione alienam esse supra ostendimus.

Denique omnis conceptus temporis, quem formamus, *etiam temporis finiti,* non est intuitivus, sed ope discursus formatus; est igitur abstractivus, i. e. ex conceptibus intuitivis per intellectum agentem a rebus corporeis primum abstractis derivatus. *A fortiori* conceptus temporis *in potentia infiniti* est abstractivus. Idem conceptus est negativo-positivus; nam ex conceptu temporis finiti derivatur eo, quod discursu rationis intelligimus non esse tempus praeteritum conceptibile, cuius initium a tempore praesenti tanto intervallo distet, ut ante illud non potuerit esse aliud tempus.

63. ***Obi. 2.*** *Ex mente eiusdem:* Qui ad unum ens primum omnia reducit ut ad causam creatricem, huic causae etiam spatium tribuere debet ut effectum. *Atqui* hoc rationabiliter non potest, quia spatium nequit concipi ut res effecta, sed necessario concipitur ut aliquid, quod semper exstiterit (cf. First Principles [2 ed.] p. 34).

Resp. *Dist. mai.:* . . . huic causae spatium tribuere debet ut rem in se subsistentem ab ea effectam, *nego mai.,* . . . ut aliquid, quod ex rebus extensis ab ea causa effectis necessario *resultaverit, conc. mai., contrad. min., ad rationem min.* nego spatium actuale *formaliter qua tale* non posse concipi nisi ut aliquid, quod semper exstiterit, cum revera nihil aliud sit nisi distantia voluminalis inter limites extremos rerum extensarum ab ea causa effectarum (cf. *De San,* Cosmologia I, 481 sqq., et *Haan,* Philos. nat. n. 35 sqq.). Capacitas autem ad res extensas recipiendas, quam ut spatio actuali antecedentem cogitamus, omissis iis, quae sunt phantasiae, non est nisi possibilitas spatii formaliter spectati, quae possibilitas *proxime* fundatur in possibilitate rerum extensarum et *ultimatim* in immensitate Dei omnipotentis.

64. ***Obi. 3.*** *Ex mente L. Büchner et D. Strauss:* Series infinita causarum effectarum nequit dici impossibilis, etiamsi negetur exsistentia Dei *personalis. Nequit enim dici a ratione aliena haec hypothesis:* Materia cum vi sua et motu suo est aeterna et ab aeterno in aeternum agit secundum leges naturales immutabiles. Ita ex ea formantur variae substantiae, primum minus perfectae, dein magis perfectae, donec tandem oriatur genus humanum. Dein machina mundi usque ad certum gradum evoluta dissolvitur; sed motu materiae evolutio mundi similis priori repetitur et ita porro in infinitum (cf. *Büchner,* Kraft und Stoff [ed. 5] 9—34. 78. 86, et *D. Strauss,* Der alte und neue Glaube p. 225).

Resp. *Nego totum.* Nam illa hypothesis multipliciter repugnat, ut iam ex his patet:

65. a) Substratum illud materiale independenter a causa ab aeterno exsistens aut in sua natura non habuit rationem sufficientem aeternae exsistentiae aut habuit. Si primum, ponitur ens per se pure possibile absque causa exsistens; sin alterum, habetur *Ens a se* non intellectuale, quod supra (n. 50) ostendimus non posse exsistere.

b) Substratum materiale aut fuit aliquando homogeneum aut semper constabat partibus heterogeneis. Si primum, origo heterogeneitatis substantiarum, quae de facto exsistit in rerum natura, est absque causa proportionata; sin alterum, exsistebant *multa entia a se,* cum unum tantum sit conceptibile.

c) Motus aeternus materiae involvit status varios eius ab aeterno inter se succedentes sive successionem ab aeterno exsistentem, quam supra iam ostendimus repugnare (n. 60).

d) Ut in Philosophia naturali huius *Cursus* ostensum est, ex materia eiusque viribus non explicatur origo vitae (cf. *Haan,* Philos. nat. n. 151 sqq.). Multo minus ulla materiae evolutione oriri potuit anima spritualis humana (cf. Psychol. nat. huius *Cursus* n. 439 sqq. 499 sqq.).

66. ***Obi. 4.*** *Ex mente J. S. Mill:* Quantum scimus, elementa materialia, ex quibus res huius mundi constant, semper fuerunt. *Ergo* non est nobis ius ex rebus effectis concludendi res mundanas secundum constitutiva prima consideratas esse a causa ipsis externa (Essays on Religion p. 142 sq.).

Resp. *Dist. ant.:* Quantum scimus, si sola experientia est fons scientiae verae, *conc. ant.,* quantum scimus, ratiocinatione legitima in praemissis evidentibus fundata, *nego ant., nego cons.*

Obi. 5. *Ex mente eiusdem:* Exsistentia causae primae non videtur quadrare cum experientia nostra. *Ergo* non potest haberi pro conclusione certa philosophica.

Prob. ant. Experientiam consulentes non invenimus nisi causas factas (scl. factas *qua causas causantes*). *Atqui* causa prima est causa non facta. *Ergo* eius exsistentia non videtur quadrare cum experientia (Essays on Religion p. 144).

Resp. *Dist. ant.:* . . . non videtur quadrare cum experientia eo sensu, quod non sit *„factum experientiae“* quod dicunt, *conc. ant.,* non videtur quadrare cum experientia eo sensu, quod ex factis experientiae non inferatur legitima ratiocinatione, *nego ant., nego cons., ad prob. ant. conc. mai., conc. min., dist. cons.:*

Ergo causa prima non videtur quadrare cum experientia ita, ut sit causa eiusdem ordinis atque causae factae, *conc. cons.*, . . . non videtur cum ea quadrare ut causa ordinis altioris, qua sola causarum factarum exsistentia sufficienter explicatur, *nego cons.*

67. ***Obi. 6.*** *Ex mente eiusdem J. S. Mill.:* Conclusio, qua statuitur exsistere causam primam intelligentem, nititur in principio, quo asseritur non esse in effectu ullam perfectionem, quae non sit in causa eius. *Atqui* hoc principium gratis affirmatur. *Ergo* de conclusione causae primae intelligentis dubitare licet.

Prob. min. Sola experientia discere possumus, quae causa ad quem effectum supponenda sit. *Atqui* experientia nihil affert, quo illud principium fulciatur; immo, quo magis experientia extenditur, eo plura videtur afferre, quae illi principio opponuntur. Nam progressu scientiarum naturalium in dies firmatur persuasio entia mundana minus perfecta vi pollere ad se evolvenda in entia perfectiora. *Ergo* . . . (Essays on Religion p. 152).

Resp. *Dist. mai.:* . . . in principio, quo statuitur non esse in effectu ullam perfectionem, quae non sit in causa eius *totali, conc. mai.*, quae non sit in causa eius *partiali, nego mai., contrad. min., nego cons.*

Ad prob. min. dist. mai.: Quae causa *prima* ad quem effectum supponenda sit, *nego mai.*, quae causa *proxima, subd. mai.:* quoties legitima ratiocinatione non constat unum tantum esse ens, quod hic et nunc possit esse causa proxima talis effectus, *conc. mai.*, quoties id constat, *nego mai.*

Dist. p. 1. min.: Experientia nihil affert, quo illud principium recte explicatum fulciatur, *nego p. 1. min.*, quo illud principium non recte explicatum fulciatur, *conc. p. 1. min., dist. pariter p. 2. min. ad rationem min. dist. ass.:* Progressu scientiarum naturalium in dies firmatur persuasio entia minus perfecta vi pollere, qua *sub influxu causae primae increatae et cooperantibus causis secundis creatis* se evolvant in entia perfectiora, *subd. ass.:* in entia intra eandem speciem perfectiora, *conc. ass.*, in entia specifice perfectiora, *nego ass.*, . . . vi pollere *per se solam* sufficienti, qua se evolvant in entia perfectiora, *nego ass.*

68. ***Obi. 7.*** *Ex mente eiusdem:* Si mens *qua mens* non potest oriri nisi creatione ex nihilo, etiam mens creatoris mentis humanae eo modo orta sit necesse est. *Atqui,* si ita est, statuenda videtur series infinita causarum intelligentium sine causa prima intelligente. *Ergo* causa prima intelligens non videtur demonstrari posse (Op. c. p. 153).

Resp. *Nego suppositum argumenti.* Neque enim ex eo probamus exsistentiam causae primae intelligentis creatricis, quod mens *qua mens* supponat creatorem, sed ex eo quod mens *humana* non potuit oriri nisi creatione ex nihilo (cf. p. III. theseos). Quod spectat mentem *qua mentem*, ea aut est absque origine essentiae suae exsistentis, aut vi creatrice ex nihilo effecta sit necesse est.

Obi. 8. *Ex mente Darwin:* Argumentum, quo ex generis humani exsistentia concluditur exsistere primam causam intelligentem, supponit mentem humanam in conclusionibus suis infallibilem esse, etiamsi iis ducatur ad statuendum ens adeo sublime atque mirabile. *Atqui* de hac re iure dubitatur; siquidem tanta ad rerum veritatem cognoscendam aptitudo menti humanae, quae omnino videtur originem duxisse a mente alicuius animalis bruti, vix tribui potest. *Ergo* illud argumentum non videtur niti fundamento satis firmo (Life and letters of *Charles Darwin* ed. by *F. Darwin* vol. I, p. 311 sq.).

Resp. *Dist. mai.:* . . . supponit mentem humanam non falli in conclusionibus ullis evidenter legitimis ex principiis evidentibus derivatis, *conc. mai.*, in aliis, *nego mai., contrad. min. ad rationem min. nego* mentem humanam esse eius originis, quam Darwin ei assignat, cum ex Psychologia rationali evidenter constet eam esse substantiam spiritualem ex nihilo creatam; *nego* etiam capacitatem mentis ad iudicandum de rebus vel immediate vel mediate evidentibus esse *partialem* tantum (cf. Psychol. rat. huius *Cursus* n. 439 sqq. 499 sqq., *ibid.* n. 119 sqq. [contra positivistas], et *Frick,* Logica n. 376 sqq.).

69. ***Obi. 9.*** *Ex mente Kant:* Argumentum cosmologicum sub aspectu speculativo non est satis firmum. Nam hoc argumento fit illegitima applicatio principii causalitatis, quia hoc principium assumitur tamquam certum respectu eorum, quae transcendunt experientiam. Porro hoc argumento uti non possumus ad Deum infinite perfectum probandum, quin specie tenus solum evitemus argumentum ontologicum, quod certe non valet; revera enim, qui utitur argumento cosmologico, postquam ratiocinando pervenit ad primam rerum causam sive *Ens a se,* ex conceptu eius *a priori* probat exsistere ens infinitum, quo ipso manifesto incidit in argumentum ontologicum (cf. *Kant,* Kritik der reinen Vernunft [ed. 3] p. 636 sqq.; in versione anglica a *Max Müller* facta p. 523 sqq.).

Resp. *Nego assertum et utramque rationem additam.* Quod universalem valorem principii causalitatis attinet, is negari nequit,

nisi in scepticismum universalem incidere velimus (cf. *Frick*, Ontologia n. 300 sqq., et Psychol. rat. huius *Cursus* n. 279). Neque demonstratio infinitatis Dei ex conceptu *Entis a se, quod iam ut exsistens et consequenter ut realiter, positive possibile probatum est*, dici potest esse eadem atque argumentum ontologicum. Argumentum enim ontologicum est ex conceptu Dei, antequam de reali, positiva possibilitate obiecti huius conceptus ex demonstrata exsistentia illius obiecti evidenter constat (cf. quae diximus de argumento ontologico n. 16 sqq.).

§ 3.

Exponitur argumentum ex caducitate esse specifici rerum (alloiologicum).

Thesis IV.

70. Praeter res secundum esse suum specificum caducas exsistit aliqua res perpetua, eaque non solum hypothetice, sed absolute necessaria, quae nequit esse nisi Deus personalis. (Cf. *S. Thom.*, S. th. 1, q. 2, a. 3 „Tertia via". Ad modum loquendi, quo utitur S. Thomas hoc loco, cf. quae diximus n. 38.)

St. Q. Experientia teste substantiae singulares omnes, quae ex elementis chimicis materialibus componuntur, secundum esse suum specificum consideratae incipiunt et desinunt esse, sunt igitur *qua res huius vel illius speciei* caducae, temporaneae, secundum se mere possibiles. Quibus rebus consideratis thesi haec duo affirmamus:

1. Praeter totalitatem rerum caducarum exsistit aliqua res perpetua sive cuius exsistentiae non fuit initium, eaque ita exsistit, ut eius exsistentia non solum *hypothetice*, sed *absolute* necessaria sit.

Hypothetica necessitate perpetuo exsisteret aliquod, ens, quod quidem numquam non exsisteret, attamen rationem exsistentiae non haberet in sua natura, sed eam deberet actioni alius entis ab aeterno positae et in effectu suo perpetuo duranti. Absoluta autem necessitate id perpetuo exsistit, quod propter ipsam naturam suam non potest non exsistere.

2. Res absoluta necessitate exsistens non est natura quaedam prorsus ignota, non est substratum aliquod materiale neque est multitudo elementorum materialium, sed est substantia spiritualis actu intelligens sive Deus personalis.

71. Pars I. Exsistit aliqua res, quae absoluta necessitate semper fuit.

Praenota. Per ea, quae parte prima probantur, nondum evincitur, utrum illa „*aliqua res*“, de qua loquimur, sit res singularis an series infinita rerum, quae secundum substratum suum semper fuerint.

a) *Exsistit aliqua res, quae* ***semper*** *fuit.*

Nunc exsistunt multae res. *Atqui,* nisi aliqua res exsisteret, quae semper fuit, nunc nihil exsisteret. Ergo . . .

Prob. min. Nisi exsisteret aliqua res, quae semper fuit, *omnes* res, quae nunc sunt et olim fuerunt, aliquando nihil erant in ordine exsistentiae realis. *Atqui,* quod est nihil in ordine exsistentiae realis, non potest esse ratio sufficiens ullius rei realiter exsistentis. *Ergo,* nisi exsisteret aliqua res, quae semper fuit, omnes res, quae nunc sunt et olim fuerunt, incepissent exsistere absque ratione sufficienti, i. e. non incepissent exsistere et consequenter nunc nihil exsisteret.

b) *Exsistit aliqua res, quae non solum* ***semper*** fuit, sed etiam *absoluta* necessitate semper fuit. Si aliqua res vel aliqua rerum multitudo semper fuit, ita tamen, ut non fuerit *absoluta* necessitate, ea dicenda est *hypothetica* necessitate fuisse. Nam cum *per se* sit mere possibilis, non potuit semper exsistere, nisi quia ei numquam deerant, quae extrinsecus ad eius exsistentiam requirebantur et sufficiebant; et vice versa, quamdiu haec ei non deerant, non potuit non exsistere. Revera enim, si *etiam his stantibus* potuisset non exsistere, qua pure possibilis fuisset *active* indifferens ad exsistendum, id quod evidenter repugnat. Ex quo patet non solum *semper* aliquid exstitisse, quae est conclusio sub *a)* probata, sed etiam semper aliquid exstitisse *hypothetica saltem necessitate.* Quo supposito ita arguo:

Quidquid hypothetica necessitate semper exstitit (sive est unum ens sive fingitur esse series entium vel finita vel infinita), non exstitit nisi cum dependentia ab aliqua condicione semper impleta per rem, quae ab ipso diversa est, et quae numquam non exstitit. *Atqui* res ab omni ente hypothetica necessitate sine initio exsistente diversa, quae numquam non fuit, nequit esse nisi res, quae absoluta necessitate semper exstitit. *Ergo* eiusmodi res revera exsistit.

72. Pars II. Res, quae absoluta necessitate semper exstitit, est Deus personalis.

Res, quae absoluta necessitate semper exstitit, aut per solam essentiam suam semper exstitit et consequenter est *Ens a se,* aut semper exstitit per causam absoluta necessitate agentem. *Atqui* in hypothesi priori manifesto est Deus personalis, ut supra probavimus (n. 50); hypothesis autem posterior repugnat. Ergo res, quae absoluta necessitate semper exstitit, simpliciter dicenda est Deus personalis.

Prob. p. 2. min. Causa illa absoluta necessitate agens, quae fingitur rem absoluta necessitate semper exsistentem produxisse, aut est *Ens a se,* aut est effecta per *Ens a se* ut primam causam. *Atqui* non est *Ens a se,* quia hoc in sua substantia infinita eminenter praecontineat necesse est arbitrium liberum animae humanae et consequenter non naturali necessitate, sed voluntate libera res secundum se pure possibiles in exsistentiam vocat. Neque potest illa causa esse ens ab Ente a se exsistente causatum. Nam, cum ipsum Ens a se exsistens non absoluta necessitate ad extra agat, etiam nulla res ab eo diversa *absoluta* necessitate agere potest.

Nota. Obiectiones contra hanc thesim similes fieri possunt atque contra thesim III. Obiectiones contra attributa infinitatis et libertatis in argumentatione proposita incidenter commemorata explicite solventur lib. II. Interim exercitii scholastici gratia videatur *S. Thom.,* S. th. 1, q. 4, a. 2 et q. 19, a. 3.

§ 4.

Exponitur argumentum ex perfectione essendi rebus secundum gradus essentialiter diversos communi (henologicum).

Thesis V.

73. Ex gradibus entitatis et bonitatis essentialiter diversis, secundum quos res individuae huius mundi in genera et species dividuntur, recte concluditur a se exsistere essentiam aliquam, quae sit summe ens et summe bona, eamque esse eandem atque essentiam Dei personalis.

St. Q. Ex mineralogia et biologia omnibus notum est, quanta sit diversitas generum et specierum, secundum quae substantiae huius mundi inter se differunt. Quae diversitas

inde oritur, quod substantiae individuae aliae alias certis perfectionibus essentialiter superant. Quo fit, ut eas ad invicem comparantes formemus aliquam scalam essentiarum multis gradibus entitatis et bonitatis constantem; siquidem omnis perfectio *qua talis* est realis quaedam entitas et bonitas rationem communissimam entis et boni eo *intensius* continens, quo est excellentior (*Frick,* Ontologia n. 19 sqq. 162 sqq.). Quare res essentialiter perfectior quam alia recte dicitur esse natura, quae *magis* sive *intensius* sit ens quam haec alia, consequenter etiam *melior* quam haec.

Ad id attendentes plures SS. Doctores S. Thoma priores et ipse S. Thomas ex gradibus entitatis et bonitatis, qui in rebus huius mundi inveniuntur, ostenderunt esse aliquam essentiam summam et optimam, quae sit Deus. Inter varias argumentationes huc spectantes praecipua claritate et pulchritudine ea fulget, quam S. Anselmus proposuit Monolog. cap. 4. Eam inter multas alias argumenti henologici formas ex scriptis S. Augustini, S. Anselmi atque S. Thomae excerptas invenies apud *Hontheim,* Theodicaea p. 141. Ut appareat, quomodo in forma proponi possit, iam utramque theseos partem probabimus.

74. Pars I. Ex gradibus essentiarum efficitur a se exsistere aliquam essentiam, quae sit summe ens.

Probatur ex numero finito graduum eorumque inter se habitudine.

Multitudo graduum entitatis essentialiter diversorum, qui in omnibus rebus exsistentibus simul sumptis inveniuntur, necessario est finita, quia multitudo actu infinita realitatum simul exsistentium omnino repugnat. Unde evidens est inter illos gradus revera inveniri unum gradum summum et multos gradus hoc summo inferiores.

Atqui gradus entitatis essentialiter summus involvit exsistentiam alicuius substantiae, quae essentialiter sit summe ens, i. e. magis vel intensius ens quam ulla alia substantia exsistens. *Ergo* exsistit aliqua substantia, quae essentialiter sit summe ens. *Atqui* substantia, quae essentialiter est summe ens, est essentia a se exsistens. *Ergo* ex gradibus, de quibus agitur, efficitur esse aliquam essentiam a se exsistentem, quae sit summe ens.

Prob. ult. min. Substantia, quae est summe ens, suam prae omnibus aliis substantiis excellentiam essentialem nulli substantiae ab ipsa distinctae ut causae debere potest, neque potest eam omnibus substantiis aliis simul sumptis debere, quia in iis, sive distributive sive collective accipiantur, perfectio iis essentialiter superior *ne potentialiter quidem* continetur, *multo minus vel eminenter vel saltem formaliter,* id quod requiritur, ut possint esse causa substantiae, quae est summe ens. *Ergo* haec per suam essentiam est Ens exsistens sive est a se.

75. Pars II. Essentia a se exsistens, quae est summe ens, est eadem atque essentia Dei personalis.

Probatur ex conceptu aseitatis et animarum rationalium exsistentia.

Essentia a se exsistens, in qua eminenter praecontinetur multitudo animarum rationalium simplicium et spiritualium, est Dei personalis essentia, quia nequit esse nisi essentia summe simplex et spiritualis. *Atqui* essentia a se exsistens, quae est summe ens, est essentia eiusmodi. *Ergo* . . .

Prob. min. Cum repugnet conceptui aseitatis esse plura *entia a se* (n. 49), essentia a se exsistens, quae est summe Ens, est causa prima adaequata omnium aliarum essentiarum exsistentium. *Atqui* inter has est essentia humana, quam in Psychologia probavimus constare materia et anima rationali, simplici et spirituali, quae anima multiplicetur secundum multiplicationem corporum humanorum (cf. Psychol. rat. huius *Cursus* n. 430 sqq. 439 sqq. 511). *Ergo* essentia a se exsistens, quae est summe ens, est causa prima et adaequata multitudinis animarum rationalium. *Atqui* ea esse non potest, nisi est summe simplex et spiritualis. *Ergo* . . .

76. ***Obi.*** Qui a *substantia* summa repetit originem *substantiarum* inferiorum, sibi non constat, nisi ab *animali* summo repetat originem *animalium* inferiorum. *Atqui* hoc absque falsitate non potest. *Ergo* ne illud quidem.

Resp. *Dist. mai.:* Qui a substantia in *certo genere substantiae* summa repetit originem substantiarum in illo genere inferiorum, *conc. mai.,* qui a substantia *secundum intensitatem rationis entis omnia genera transcendentis* summa repetit originem substantiarum secundum intensitatem eiusdem rationis inferiorum, *nego mai., conc. min., nego cons.*

§ 5.

Exponitur argumentum ex veris et veritatibus idealibus (ideologicum).

Thesis VI.

77. Vera idealia et veritates ideales fundantur in Ente a se exsistente, quod est primum verum et prima veritas, Deus personalis.

St. Q. Vera idealia intelligimus rationes transcendentales et universales secundum valorem earum obiectivum spectatas. Ea enim, quae conceptibus entis, substantiae, viventis, animalis, hominis etc. exprimuntur, *qua talia* in rerum natura non inveniuntur, quia sibi repugnat aliquid exsistens *qua tale* pluribus entibus ab invicem diversis esse commune *ut constitutivum exsistentiae eorum* (cf. *Frick,* Logica n. 352 sqq.). Attamen iisdem rationibus res, quae exsistunt, revera *inadaequate* significantur; quare cum S. Thoma dicere debemus eas in rebus exsistentibus immediate fundari (cf. *S. Thom.,* 1. Sent., dist. 2, q. 1, a. 3, solutio § ‚Unde sciendum, quod ipsa conceptio intellectus tripliciter etc.'). Ita v. g. ratio entis habet fundamentum immediatum in omni substantia reali et in omni accidenti reali, quod sub ea ratione concipis, et simile quid dicendum est de omnibus rationibus universalibus.

78. Quae cum ita sint, rationes illae obiectivae sane dici nequeunt esse *omnino nihil.* Nam, quod omnino nihil est, non potest rebus exsistentibus diversimode inesse, uti illae rationes iis diversimode insunt. Potius igitur dicendae sunt esse *typi ideales,* quibus res exsistentes variis modis conformentur. Etiam recte dicuntur esse *res ideales intrinsecus possibiles.* Nam ea ratio mente exhibita est intrinsecus possibilis, cui sine repugnantia aliqua exsistentia realis conformari potest; quae explicatio rei idealis intrinsecus possibilis non minus rationi simplicissimae *entis* quam rationibus, ad quas ea contrahitur, convenit.

Praeterea, cum illae rationes obiectivae sint typi stabiles et immutabiles, quorum valor a nullo tempore, a nullo loco, a nulla re singulari huius mundi pendeat, res singulares, mutabiles, transitoriae, quas in hoc mundo experimur, non possunt esse fundamentum earum ultimum et adaequatum.

Itaque quaestio oritur, in quanam re illa vera idealia fundentur. Ad quam quaestionem respondemus eorum fundamentum esse Ens a se exsistens, quod sit *primum verum*, i. e. prima res in se intelligibilis; siquidem eatenus aliquid in se intelligibile est, quatenus in se exsistit.

79. Quod de *veris idealibus* asserimus, idem statuimus de *veritatibus idealibus*, quas intelligimus enuntiabilia ex veris idealibus formata secundum horum inter se relationes evidentes. Qualia enuntiabilia sunt axiomata et conclusiones fundamentales ex iis evidentes matheseos, logicae, metaphysicae, ethicae etc.

Universalis et immutabilis valor verorum et veritatum idealium secundum thesim fundatur in *Ente a se*, non solum ut primo vero, sed etiam ut prima veritate, i. e. ut in Ente, quod non solum sit res prima in se intelligibilis, sed etiam substantia intellectualis prima naturaliter actu intelligens sive Deus personalis.

Hac nostra ex veritatibus idealibus pro exsistentia Dei argumentatione saepe delectatus est S. Augustinus (cf. *Hontheim*, Theodicaea n. 216). Argumentum ab illo S. Doctore pulcherrime evolvitur *De libero arbitrio* lib. 2, cap. 11—39. Nucleus eius continetur his capitibus: 28. 29. 33. 34. 39.

Probatur thesis ex eo, quod vera idealia et veritates ideales non in se subsistunt.

80. Vera idealia et veritates ideales non sunt omnino nihil neque tamen in se exsistunt. *Atqui*, quod non est omnino nihil neque tamen in se exsistit, in re aliqua exsistente praecontineatur necesse est ut in fonte et fundamento veritatis suae idealis. *Ergo* vera idealia et veritates ideales in aliqua re exsistente ita praecontinentur. *Atqui* haec res non est alia nisi Deus personalis, primum verum et veritas prima. *Ergo* Deus personalis exsistit et qua verum primum et veritas prima est fons et fundamentum verorum veritatumque idealium.

Prob. min. subs. per partes. a) *Haec res est Ens a se sive Deus, primum verum.* Vera idealia et veritates ideales sunt realitates universales, immutabiles, ab omni tempore et loco et re qualibet singulari, *quae sit contingens*, prorsus indepen-

dentes. *Atqui* eiusmodi realitates fontem et fundamentum evidenter habere non possunt nisi *essentiam absoluta necessitate exsistentem, nullis temporibus nullisque locis circumscriptam,* qualis essentia non est nisi essentia *Entis a se* sive Dei. *Ergo Ens a se* sive Deus est fons et fundamentum reale verorum et veritatum idealium et consequenter exsistit ut primum verum.

b) *Haec res est Deus personalis, veritas prima.* Inter vera idealia est essentia specifica, spiritualis animae rationalis, cui propria est aptitudo ad progressum intellectualem indefinite magnum. *Atqui* eiusmodi essentia fontem et fundamentum adaequatum nequit habere nisi Ens a se exsistens actu summe intelligens, i. e. Deum personalem, primam veritatem. *Ergo* hic est fons realis et fundamentum essentiae idealis animae rationalis. *Atqui Ens a se,* quod sub a) probavimus esse fontem realem et fundamentum verorum veritatumque idealium quarumlibet, non potest realiter differre a Deo personali, prima veritate; quia unum tantum *Ens a se* esse potest (n. 49). *Ergo* Deus personalis qua prima veritas est fons realis et fundamentum omnium verorum veritatumque idealium.

81. ***Obi. 1.*** Dei exsistentia non potest demonstrari nisi ex rebus a Deo effectis. *Atqui* argumento ideologico ex his non demonstratur. *Ergo* eo argumento non demonstratur.

Prob. mai. Si Dei exsistentia aliter demonstratur quam ex rebus a Deo effectis, *a priori* demonstratur. *Atqui a priori* demonstrari nequit. *Ergo* . . .

Resp. *Dist. mai.:* . . . nisi ex rebus a Deo effectis, ita ut in processu demonstrationis eae res considerandae sint vel *ut effectae* vel *sub aliquo alio aspectu, quem mens eas contemplans in iis invenit, conc. mai.,* . . . solum ex rebus a Deo effectis *qua effectis, nego mai. Dist. min.:* Argumento ideologico exsistentia Dei non demonstratur ex rebus a Deo effectis *ut effectis, conc. min., conceptus obiectivi transcendentales et universales,* ex quibus demonstratio procedit, *non sunt hausti ex contemplatione rerum a Deo effectarum, nego min., nego cons.*

Ad prob. mai. dist. mai.: . . . i. e. si exsistentia Dei ita demonstratur, ut demonstrationis fundamentum non sit haustum ex rebus a Deo effectis, *conc. mai.,* si exsistentia Dei ita demonstratur, ut non ipsae res a Deo effectae *qua tales* sint fundamentum demonstrationis, *nego mai., conc. min., nego cons.*

Obi. 2. Argumento ideologico ex idea *entis ut sic* concluditur ad Deum ut *Ens a se*. *Atqui* haec conclusio non valet. *Ergo* argumentum est infirmum. — *Prob. min.* Si haec conclusio valet, etiam haec valeat necesse est: Habeo ideam entis infiniti. *Ergo* exsistit Deus ut ens infinitum. *Atqui* haec non valet. *Ergo* . . .

Resp. *Conc. mai., nego min.* et *cons. Ad prob. min. nego mai., conc. min., nego cons.* Revera magna est disparitas inter eas duas probationes. Conceptus enim *entis ut sic* verificatur in unaquaque re huius mundi et consequenter certo est interne verus. De veritate autem interna conceptus *entis infiniti* ante Dei exsistentiam *a posteriori* probatam evidenter non constat (cf. n. 18).

Art. 2.

De exsistentiae Dei demonstratione physica.

82. *Praeliminaria.* Cum exsistentiae Dei demonstratione metaphysica ex rationibus rerum mundanarum magis abstractis ad Ens supremum a se exsistens ascendamus, demonstratione eiusdem physica in factis concretis nitimur, quae vel omni homini passim obvia sunt vel saltem ita se habent, ut homines scientiarum naturalium et historiae generis humani peritos latere nequeant.

Omnibus enim hominibus patet ordo multiplex rerum corporearum in certos determinatosque effectus producendos conspirantium. Porro neminem, qui scientias naturales et historiam generis humani sufficienter coluerit, fugere potest esse in rerum natura aliquam energiarum commutationem, imprimis motus localis in calorem et huius in illum; corpora viva corporibus inanimatis *essentialiter* superiora esse; multa decursu aetatum generis humani in mundo esse facta, quae ex viribus hominum et rerum corporearum nullo modo explicari possint.

83. Quibus factis suppositis quattuor formari possunt argumenta physica ad Dei exsistentiam probandam:

1. argumentum teleologicum ex ordine rerum in certos fines (τέλος = finis);

2. argumentum entropologicum ex conversione motus in calorem (ἐντροπή = conversio ad aliquid);

3. argumentum biologicum ex ortu vitae corporeae (βίος = vita);

4. argumentum thaumatologicum ex effectibus mirabilibus vires hominum et rerum corporearum superantibus (θαῦμα = res mira).

Singulis his argumentis satis certo probatur exsistere Deum, prout notione vulgari concipitur ut Ens relative supremum, a rebus huius mundi distinctum et in eas influens. Quae probatio id saltem praestat, quod probandum est, ut materialismus et agnosticismus confundantur. Ut autem evidenter pateat exsistere Deum personalem, prout notione scientifica concipitur ut Ens a se unum et infinite perfectum, conclusiones argumentorum physicorum modo demonstrationi metaphysicae proprio ulterius evolvendae sunt.

Ex quattuor autem illis argumentis, quae iam commemoravimus, per modum theseos non proponemus nisi primum (teleologicum), quod et antiquissimum est et omnibus facillime evidens fit. Vim ceterorum breviter tantum indicabimus.

§ 1.

Exponitur argumentum ex ordine mundi (teleologicum).

Thesis VII.

84. **Est in mundo corporeo ordo multiplex, non solum materialiter, sed formaliter teleologicus, cuius auctor immediatus magna pollet sapientia, et cuius auctor supremus est Deus personalis.** (Cf. *S. Thom.*, S. th. 1, q. 2, a. 3, c. § „Quinta via".)

St. Q. I. *Ordinis* vocabulum sensu philosophico latissimo acceptum significat habitudinem quamlibet unius ad alterum; quo sensu apud Aquinatem saepissime occurrit. Sensu magis stricto acceptus ordo communiter intelligitur status plurium inter se coniunctorum naturae et viribus tum singulorum tum totius multitudinis congruus. Ordinem ita intellectum philosophi antiqui, M. T. Cicerone teste (De off. lib. 1, cap. 40), definiverunt *„compositionem rerum aptis et accommodatis locis"*. Eodem sensu acceptus ordo a S. Augustino definitus est *„parium dispariumque sua cuique loca tribuens dispositio"* (De civ. Dei lib. 19, cap. 13).

II. Iamvero ex collocatione plurium rerum corporearum naturae et viribus tum singulorum tum totius multitudinis accommodata necesse est resultet certus effectus communis, qui correspondeat operationibus omnium sive ad invicem sive ad aliquid omnibus extrinsecum directis. Eiusmodi effectus dici potest terminus sive *finis materialis* ordinis; cui opponitur *finis formalis* vel externus, is scl., quem ens intelligens res aliquas ordine certo componens intendit[1]. Quodsi ex ordine resultat unus finis materialis nulli alii fini materiali subordinatus, ordo dici potest *simplex;* sin ordo tendit in fines materiales multos variis modis inter se coordinatis et subordinatis, ordo est *multiplex.*

85. III. Quibus explanatis facile patet in omnibus partibus mundi nobis noti multiplicem ordinem inveniri. Ut vel pauca tangam, ordo multiplex cernitur in his:

a) orbes cosmici in spatio ita collocati sunt, ut, cum singuli oboediunt legi communi gravitatis et secundum hanc legem alii alios attrahunt, omnes simul sumpti se habeant per modum machinae amplitudinis stupendae, quae de saeculo in saeculum secundum omnes partes suas modis maxime variis ordinatissime moveatur;

b) terra nostra eam ad solem positionem continuo servat, ut sol lucem et calorem pro natura sibi insita per intervallum longissimum spargens in hoc orbe nostro quattuor anni tempora regulariter producat et ubique terrarum vitam vimque agendi corporum excitet atque foveat;

c) elementa materialia in terra et ad superficiem eius ea proportione distributa sunt, ut orbis terrarum constituatur habitaculum innumeris plantarum et animalium speciebus adaptatum; id quod eo magis mirandum est, quia una eademque elementorum compositio chimica vel physica multis viventium finibus inservit, ut v. g. aqua et aër atmosphaericus;

d) est artificiosissima organorum viventium structura, utpote quae ita se habeat, ut ad finem quadret tum singulorum organorum tum totius naturae entis vivi, quod tibi facile persuadebis legendo, quae physiologi tradunt de oculo,

---

[1] Recte igitur etiam dicitur ordo „coniunctio plurium in communem aliquem finem“ (*Haan,* Philos. nat. n. 81).

aure, manu hominis vel de aliis structuris organicis satis exploratis;

e) gradatim et regulariter organismi embryonales in typum speciei suae proprium evolvuntur, et talis est nutrimentorum ad *singulas* partes viventium assimilatio, quae congruat corpori, *ut est unum totum;*

f) species viventium inferiores ad utilitates superiorum operantur et mundus irrationalis ad vitam generis humani non solum organicam, sed etiam intellectualem adaptatus est;

g) miri sunt instinctus, quibus animalia bruta ducuntur, ut sibi et proli suae in futurum provideant, quales instinctus observantur v. g. in fibris, in avibus migrantibus, in apibus, in formicis aliisque [1].

86. IV. His igitur suppositis parte I. theseos nostrae asserimus ordinem mundanum multiplicem non solum *materialiter,* sed etiam *formaliter* esse teleologicum, i. e. collocationes et compositiones illas rerum naturalium, de quibus supra diximus, non solum naturali quadam necessitate tendere in effectus determinatos, naturae et viribus tum partium tum totius multitudinis correspondentes; sed etiam illas collocationes et compositiones causam primam habere Ens aliquod intelligens, rebus illis superius, quod per eas illos effectus voluerit obtinere. Quod cum statuimus, praeter eos, qui cum Epicuro ordinem mundanum fortuito atomorum concursui tribuunt, adversarios habemus omnes cuiuslibet descriptionis monistas, qui ordinem nihil esse declarant nisi naturalem rerum earumque activitatis evolutionem. Notandum autem est ad partem I. apte defendendam eam non niti in assumptione *omnia in mundo esse bene ordinata;* immo ne hoc quidem asserimus *omnia in mundo physico, prout opponitur mundo morali, esse bene ordinata.* Quamquam enim hoc alterum assertum, ut postea videbimus, omnino verum est, tamen hoc

[1] Praeter opera, quibus scientiae naturales systematice traduntur, ad varias partes ordinis mundani illustrandas inter alia haec usui esse poterunt: *Janet,* Final causes; *C. Darwin,* The formation of vegetable mould through the action of worms; Sir *J. Lubbock,* Ants, bees and wasps: *M. Bach,* Die Wunder der Insectenwelt: *Berthold,* Das Naturschöne; *Altum,* Der Vogel und sein Leben; *Wasmann,* Der Trichterwickler.

loco non est evidens, neque hoc loco difficultates, quae contra id fieri possunt, ita intelligibiliter solubiles sunt ut postea, postquam de Providentia divina egerimus. Itaque hoc loco ut fundamentum theseos nihil aliud asseritur nisi id, quod unicuique obvium est, esse in mundo corporeo *multiplicem ordinem rerum naturaliter tendentem in effectus varios pulchritudinis et utilitatis.*

87. *Parte II.* asserimus duo: a) Auctor ordinis mundani immediatus, i. e. illud ens intelligens, quod rationem ordinis mente concepit, et ordinem ipsum vel per se vel per entia intelligentia sibi ministrantia instituit, est ens magnae sapientiae.

b) Abstrahendo a quaestione, num auctor *immediatus* ordinis mundani potuerit esse ens intelligens a Deo personali diversum, pro certo statuimus Deum personalem esse auctorem *supremum* ordinis. Itaque Deum personalem declaramus non solum auctorem supremum *rerum,* quae ordinatae sunt, sed etiam auctorem *ordinatae earundem collocationis et in certos effectus conspirationis.*

88. **Pars I. In mundo corporeo est ordo multiplex, non solum materialiter, sed formaliter teleologicus.**

Ordo multiplex materialiter teleologicus, quem in mundo corporeo inveniri nemo negare potest, *materiae exsistentia data,* aut casu ortus est, aut ex viribus materiae, in qua habetur, *absoluta* necessitate naturali resultavit, aut enti a tota illa materia ordinata diverso, sed non intelligenti debetur, aut ab ente intelligente, materiam regente institutus est. *Atqui* tres hypotheses priores admitti nequeunt. *Ergo* quarta ut vera ordinis mundani explicatio habenda est.

Ad mai. Disiunctio in *mai.* facta sane completa est. Nam ordo ille, qui nunc est, in germine suo aut semper erat, aut non semper erat. Sed in germine suo semper esse non potuit, quin esset motus rerum aeternus, quem intrinsecus repugnare iam ostendimus (cf. n. 60). Consequenter ordo mundanus in germine suo consideratus aliquando incepit. Data autem materia, ordo aut per accidentalem rerum materialium concursum incepit, aut originem habuit a causa in eum efficiendum directa. In priori hypothesi ordo manifesto casui

fortuito debetur, in hypothesi autem posteriori causa in eum efficiendum directa aut erat non intelligens aut intelligens. Si erat non intelligens, aut erat a materia ordinata et viribus huic naturalibus non realiter distincta, aut erat ab iis realiter distincta. Si primum, ordo ex viribus materiae ordinatae absoluta necessitate resultavit; sin alterum, ordo debetur enti a tota materia ordinata diverso, sed non intelligenti. *Ergo* constat de *mai.*

89. *Prob. min. per partes.* 1. *Ordo mundanus non est a casu.* Quamquam res huius mundi *secundum quid* dici possunt aliquando accidentaliter sive casualiter concurrere, quatenus concurrunt praeter hominum praevisionem et intentionem, tamen *simpliciter* nequeunt dici ita concurrere. Nam concursus accidentalis rerum *simpliciter talis* cum nulla causa actu causante necessario connectitur, sed est sine causa. *Atqui* eiusmodi concursus est contra principium causalitatis universaliter verum. *Ergo* non habetur. *Atqui* concursus rerum materialium, qui sit *accidentalis simpliciter,* admittendus est, si ipsum germen ordinis mundani praesentis sive *ipsa prima collocatio rerum materialium in ordinem praesentem secundum leges naturales tendens* ***casui*** tribuitur. *Ergo . . .* [1]

90. 2. *Ordo mundi non debetur viribus materiae solis, ita ut absoluta necessitate eum effecerint.*

Ut de hac parte *min.* perfecte constet, sufficit ostendere solis viribus materiae non potuisse oriri haec, quae ordini praesenti mundano omnino essentialia sunt:

a) systema nostrum solare;

b) distributionem elementorum materialium in terra et ad superficiem eius viventibus accommodatam;

---

[1] Casum simpliciter talem admitti non posse etiam ab hominibus scientificis rerum naturalium peritis, Huxley, professore illo Londinensi celeberrimo, testante, facile conceditur. Ipse enim asserit rerum naturalium peritia gigni persuasionem firmam legem causalitatis *omnibus temporibus et sub omnibus circumstantiis* valere. „The one act of faith in the convert to science is the universality of order, and of the absolute validity, in all times and under all circumstances, of the law of causation . . . Such faith is not blind, but reasonable, because it is invariably confirmed by experience, and constitutes the sole trustworthy foundation for all action." Life and Letters of Charles Darwin by *F. Darwin,* vol. II, chap. 5, p. 200. Hoc caput scriptum est a cl. Huxley.

c) organisationem viventium corporeorum et instinctus, quibus bruta sibi et proli suae provident. — Iam singula ostendemus.

a) Systema nostrum solare non solis viribus materiae ortum est.

Cum astronomis modernis supponamus eam distributionem ordinatam materiae, quae ad systema solare, quod nunc est, constituendum fieri debuit, effectam esse viribus elementorum materialium aliter per spatium antea distributorum et inter se agentium. In hac hypothesi, ne principio causalitatis contradicamus, nos asserere necesse est ordinem praesentem systematis solaris ex priori elementorum distributione propterea naturaliter prodiisse, quia elementa ita disposita erant, ut ordinem praesentem *virtualiter* continerent, aliis verbis: quia iam erant ita collocata, ut essent causae ordini praesenti efficiendo perfecte proportionatae. Quodsi collocatio ordinem praesentem proxime praecedens eumque virtualiter continens non fuit prima, eam explicare possumus per aliam collocationem, quae eam praecesserit eique efficiendae non minus par fuerit quam ipsa praesenti ordini. Neque tamen licet in infinitum regredi in collocationibus ad praesens systema solare naturaliter tendentibus supponendis. Hoc enim in infinitum regressu involveremur in hypothesim successionis, quae fuerit ab aeterno, quam alibi (n. 60) probavimus esse intrinsecus contradictoriam.

Ergo ponenda est aliqua prima elementorum materialium collocatio, quae fuerit ordinis *praesentis* principium naturale, non vero principium naturale *ullius alius* ordinis vel *melioris* vel *deterioris* vel *confusionis.*

Atqui collocatio eo sensu prima, *quod ei nulla alia in* ***praesentem*** *ordinem naturaliter directa antecesserit,* manifesto non potest solis viribus materiae ordinatae tribui, nisi velimus contra omnem rationem et experientiam universalem admittere materiam solis suis viribus de uno statu posse transire in alium, qui in priori virtualiter non contineatur.

Ergo ea collocatio elementorum materiae, quae fuit principium naturale systematis solaris praesentis, non debetur solis materiae ordinatae viribus. Consequenter systema nostrum solare non solis materiae qua constat viribus ortum est.

91. b) *Elementorum materialium in terra et ad superficiem eius distributio viventibus accommodata non est tribuenda solis materiae viribus.*

Illa ad vitam viventium elementorum materialium adaptata distributio manifesto non absoluta necessitate ex ipsis elementis eorumque viribus fluit. Neque enim habetur, nisi quatenus res diversae certis et determinatis proportionibus inter se combinantur iisque *talibus, quae earum naturis prorsus accidentales sint.* Ita v. g. naturis nitrogenii, oxygenii, hydrogenii, carbonis evidenter accidentale est, quod ea elementa in aëre athmosphaerico ita inter se combinantur, ut aërem salubrem potius quam pestiferum constituant.

Ergo requiritur causa ab ipsis elementis eorumque viribus diversa, quae ea modo vitae viventium accommodato distribuerit.

92. c) *Organisatio viventium et instinctus, quibus bruta sibi et proli suae provident, non debentur solis viribus materiae.*

Viventium organisatio involvit adaptationem particularum materiae ad principium vitale, et brutorum actiones in suam prolisque suae utilitatem instinctive ordinatae sensum in iis supponunt. Atqui principium vitale et *a fortiori* perceptio sensilis solis materiae viribus oriri non potest, id quod ostensum est in Philosophia naturali et Psychologia (*Haan,* Philos. nat. n. 151 sqq. Psychol. rat. auctoris n. 24 sqq.).

Ergo ad organisationem viventium et actiones brutorum instinctive in finem utilitatis ipsorum et prolis directas explicandas plus requiritur quam materia eiusque vires.

93. 3. *Ordo mundi non debetur causae, quae materiae ordinatae externa quidem sit, sed non intelligens, sive, quod ad idem redit, ille ordo debetur causae intelligenti, materia ordinata superiori.*

Ordinem mundi sine causa materiae ordinatae externa explicari non posse ex iis, quae sub 2. modo probavimus, evidens est. Iam probabimus eam causam non posse esse ens intelligentia carens, sed necessario pollere intellectu.

Arg. 1. (Ex eo, quod ens non intelligens non potuit esse causa ***principalis*** *ordinis.)*

Causa ordinis rebus corporeis ordinatis externa non intelligens aut eo ipso, quod exsistebat, sive ante ullam exsistentiae suae modificationem, elementa materialia mundi ordinavit,

aut postquam ipsa mutata est. *Atqui* neutra hypothesis apta est ad originem ordinis explicandam. *Ergo* ordo mundi non est a causa non intelligenti, sed necessario a causa intelligenti.

94. *Prob. min. p. partes.* a) Causa ordinis mundani, quae sine sui mutatione praevia ordinem materiae effecerit, aut erat *a se* aut *ab alio.* Si erat *a se,* non potuit esse nisi ens infinite perfectum, intellectus in se subsistens, ut iam alibi probavimus (n. 50). Si vero *ab alio* erat, non potuit ante sui modificationem elementa materiae ordinare, nisi a causa sua simul cum exsistentia impulsum naturalem ad ordinem efficiendum recepit. *Ergo* in hoc casu non fuit causa *principalis,* sed *instrumentalis* tantum ordinis effecti.

b) Admissa hypothesi, secundum quam causa non intelligens ordinis mundani, cum iam exsisteret, ita mutata est, ut ad elementa materiae ordinanda ageret, quaeritur, quaenam fuerit causa illius mutationis. Manifesto enim illud ens non intelligens non potuit se sola sua vi mutare et ad elementa materiae in ordinem certum redigenda impellere, quia hoc supposito de potentia subiectiva transisset in actum subiectivum cum evidenti principii causalitatis violatione (n. 41 sqq.). *Ergo* etiam in hac altera hypothesi ens non intelligens, elementis materiae ordinandis externum non potuit ea primum disponere nisi impulsu a causa sibi externa recepto, ita ut *ipsum esset causa instrumentalis tantum ordinis,* non vero principalis.

Neque vis huius argumenti enervari potest per regressum ad alias causas non intelligentes. Hoc enim regressu perveniremus ad causas non intelligentes numero actu infinitas ordinis mundani, quae rationi repugnant dupliciter: a) qua multitudo causarum instrumentalium sine ulla principali; b) qua multitudo actu infinita rerum, quae omnes actu exstiterint (cf. n. 60 sub fin.).

95. *Arg. 2. (Ex connexione necessaria inter adaptationem ad fines materiales futuros et apprehensionem intellectualem eorum finium.)*

Causa ordinis mundani rebus corporeis ordini subiectis externa coaptationes materiae effecit principiis vitalibus innumeris plantarum et brutorum atque vitae hominum utilis-

simas easque tales, quae profectui mentali et delectationi spirituali hominum pulchritudine et sublimitate sua mire sint accommodatae. Porro eas adaptationes effecit multo ante effectus utiles, pulchros, sublimes ex iis resultantes; id quod ex doctrina astronomorum, geologorum, palaeontologorum atque biologorum clare patet.

Atqui eiusmodi adaptationibus efficiendis causa ordinis nullo modo proportionata erat, nisi effectus futuri utiles, pulchri, sublimes erant *normae,* secundum quas res corporeas combinabat. *Ergo* hoc negari nequit. *Atqui* effectus futuri non poterant esse normae combinationum efficiendarum, nisi ut fines earum intendebantur, et ut fines earum intendi non poterant, nisi intellectualiter a causa ordinis apprehendebantur. *Ergo* hoc affirmandum est, et consequenter causa ordinis est ens intelligens.

96. *Arg. 3. (Arg. speciale ex instinctu brutorum.)*

Bruta instinctive ad fines futuros sibi et proli suae utiles artificia exsequuntur, quae tantam intellectualem perspicientiam eorum finium et mediorum iis correspondentium supponunt, ut hominibus per saecula laborandum fuerit ad illos fines et modos, quibus media a brutis adhibita iis congruerent, investigandos. *Atqui* bruta, cum ita instinctive agunt, non reguntur intellectu proprio, quippe quo evidenter careant (*Haan,* Philos. nat. n. 192 sqq.). *Ergo* intellectu alieno reguntur, quae directio primarie et fundamentaliter in eo consistat necesse est, quod *causa ordinis inter res brutis utiles et brutorum appetitiones naturales has et illas praeviderit et mutuam earum harmoniam intenderit.*

97. **Pars II. Auctor immediatus ordinis mundi magna pollet sapientia, et auctor eius supremus est Deus personalis.**

1. *Auctor ordinis immediatus magna pollet sapientia.*

Illud ens intelligens magna pollet sapientia, quod naturas rerum innumerarum ita perspectas habet, ut earum vires ad fines multiplices inter se vel coordinatos vel subordinatos aptissime disponat. *Atqui* auctor immediatus ordinis mundani est ens intelligens eiusmodi, ut ex rebus mundanis ordinatis et cum iis, quae parte I. de causa or-

dinis earum probata sunt, comparatis unicuique evidens est [1]. *Ergo* . . .

2. *Auctor supremus ordinis est Deus personalis.*

Auctor immediatus ordinis mundi aut est Ens intelligens a se exsistens aut ens intelligens ab alio factum. In priori hypothesi sane Deus personalis est sicut immediatus ita et supremus auctor ordinis mundi. In altera autem hypothesi illud ens intelligens, utpote ens immateriale, est ens a Deo personali ex nihilo effectum et qua tale in exsistendo et agendo a voluntate libera creatoris omnino pendet. *Atqui* hoc supposito ordinem neque intelligere neque intendere potest, nisi Deus personalis, quem iam probavimus esse infinitum (n. 49), eum ab aeterno intellexit et intendit, aliis verbis: nisi ipse fuit auctor supremus ordinis. *Ergo* de hoc constat.

98. ***Obi. 1.*** *Ex mente Kant:* Concedendum quidem est res naturales sub directione hominis intelligentis in fines efficiendos combinari, in quos *per se* non tendant; attamen ex hoc non videtur evidenter sequi eas per se solas absolute *non posse* in fines combinari, qui eiusmodi finibus artificialibus similes sint. *Atqui* hoc admisso de auctore intelligente ordinis mundani non videtur argumento teleologico *evidenter* constare posse, quippe quod nitatur in analogia, quae intercedit inter opera naturae et opera artis. *Ergo* videtur illud argumentum potius valde suasivum quam evidens; quamquam conclusio eius ad auctorem intelligentem ordinis sine dubio est explicatio ordinis unica, quae in experientia nostra fundamentum positivum habeat et homini prudenti probetur (cf. *Kant*, Kritik der reinen Vernunft [ed. 3] p. 654; in vers. angl., a *Max Müller* facta p. 537).

Resp. *Conc. mai.*, sed *nego suppositum min.*, argumentum teleologicum in *sola analogia illa niti posse et debere.* Argumentum a nobis propositum nititur in eo, quod ordini mundi aliqua propria sunt, quorum sola causa intelligens possit esse ratio sufficiens, scl. *adaptationes ex solis materiae viribus rerum corporearum ad invicem ordinatarum non explicabiles et ad effectus futuros directae, qui a tempore, quo ipsae adaptationes primum factae sunt,*

[1] Pulcherrimas huius sapientiae illustrationes affert Tongiorgi (Theol. nat. n. 32). Perpulchra etiam sunt, quae ad sapientiam ordinatoris mundi illustrandam habentur apud *Ciceronem*, De natura deorum lib. 2, cap. 34. 37.

longissimo temporis intervallo distent. Ceterum Kant laudandus est, quod concedit, etiamsi hoc argumentum in sola analogia nitatur, eius conclusionem rationi probari *prae omnibus aliis ordinis mundani explicationibus.* Lectu digna etiam sunt, quae de effectu ordinis mundi in mentes hominum nullis theoriis philosophicis praeoccupatas dicit (Op. c. p. 651 sq.; in vers. angl. c. p. 535 sq.).

99. ***Obi. 2.*** *Iterum ex mente Kant:* Argumentum teleologicum, si quid probat, certe non probat nisi exsistentiam architecti intelligentis huius mundi, non probat id, quod imprimis probandum est, esse creatorem materiae (Op. c. p. 655 sq.; in vers. angl. c. p. 538).

Resp. *Dist. ass.:* Ex ordine ipso proxime non plus probat, *conc. ass.,* quatenus metaphysica de auctore ordinis ratiocinatione ulterius evolvitur, non plus probat, *nego assertum.* Concedimus autem argumentum sine hoc supplemento ab argumento metaphysico (cosmologico) derivato non probare nisi causam intelligentem rebus mundanis ordinatis superiorem. Quae Kant addit, ut ostendat ipsum argumentum cosmologicum non valere ad teleologicum perficiendum, iam alibi refutavimus (n. 69).

Obi. 3. *Ex mente J. S. Mill:* Deus verus est omnipotens; sibi autem repugnat ens omnipotens certa media artificiose in certos fines ordinare. *Ergo* Deus verus non videtur esse auctor supremus ordinis mundani.

Prob. ant. p. 2. Ens omnipotens, cum omnia possit efficere, per media quaelibet finem quemlibet attingere potest. *Atqui* eiusmodi ens stulte ageret apparatus mediorum ad fines artificiose instituendo. *Ergo* sibi repugnat ens omnipotens (quod sine dubio est summe sapiens), certa media artificiose in certos fines ordinare (Essays on Religion p. 176 sq.).

Resp. *Conc. ant. p. 1., nego ant. p. 2., nego cons. — Ad prob. ant. p. 2. nego mai., transeat min., nego cons. Maior* neganda est, quia ens omnipotens non potest id efficere, quod intrinsecus contradictorium est. Aliquando autem assecutio certi finis sine medio *intra latitudinem quandam determinato* sibi intrinsecus repugnat. Ita v. g. sibi intrinsecus repugnat esse animalia, quae *naturaliter* vivant et se nutriant sine alimento naturae suae congruo, vel Deum agnosci et amari a creaturis irrationalibus.

100. ***Obi. 4.*** *Ex mente Darwin:* Admisso supremo ordinatore mundi eventus quilibet per vires rerum naturalium effectus dici debet esse ab illo decretus, v. g. quod hirundo per aërem volans hoc momento hanc muscam capit. *Atqui* hoc videtur vix credi-

bile. *Ergo* . . . (cf. Life and Letters of C. Darwin by *F. Darwin,* vol. I, p. 309).

Resp. *Dist. mai.:* . . . per decretum, quod realiter distinguatur a decreto, quo exsistentia et ultimus finis rerum omnium simul sumptarum decreta sunt, *nego mai.,* per decretum, quod sit idem cum hoc decreto, *subd. mai.:* eventus quilibet per vires rerum naturalium effectus ab auctore supremo mundi debet esse decretus propter se sive ut finis, *nego mai.,* debet *sub aliquo saltem respectu* decreto Dei subesse ut medium ad finem, *conc. mai., contradist. min., nego cons.* Deum pro infinita sua sapientia uno decreto aeterno et libero omnia ordinare ex iis, quae decursu theol. nat. probabuntur, elucebit.

Insto. *Ex mente Darwin:* Organismus humanus non videtur subfuisse decreto divino; secus enim non contineret organa quaedam inutilia, rudimentaria (Op. c. vol. II, p. 382).

Resp. *Nego assertum, ad rationem additam nego suppositum asserti,* constare scl. illa organa hominis, quae dici solent rudimentaria, vere esse eiusmodi organa eo sensu, quo Darwin hoc vocabulum accepit ad significandas reliquias quasdam organisationis praeteritae inferioris in organisatione praesenti superioris. Ut de hoc constaret, theoria Darwiniana deberet esse certa. Sed a certitudine eam longissime distare, immo solida probabilitate carere ostensum est in Philosophia naturali (*Haan,* Philos. nat. n. 222 sqq. Idem nuperrime fusius ostendit *Hontheim,* Theodicaea n. 646 sqq.). Praeterea omnino negandum est illa organa esse inutilia, tum quia ex ignorantia finis eorum nobis non licet concludere ea nulli fini inservire, tum quia non desunt physiologi, qui finem eorum probabilem aliquem assignare non dubitent, ut, v. g. Carpenter sequens Paget (Human Physiology [ed. 8] p. 281).

101. ***Insto iterum.*** *Ex mente Darwin:* Innumeri dolores, quibus entia viva sentientia affliguntur, multo facilius explicari videntur, si dicuntur esse effectus a selectione naturali et viventium de sua exsistentia pugna inseparabiles, quam si declarantur esse a Deo summe sapiente et bono decreti (Op. c. vol. I, p. 311).

Resp. *Nego assertum,* nam:

1. selectio naturalis, si aliquando fuisset, tamquam lex naturalis ad auctorem intelligentem reducenda esset, non minus quam ceterae rerum naturalium ad certos fines adaptationes;

2. selectio naturalis ut factum in se considerata nullo modo demonstrata est;

3. Deum sapientem et bonum effectus dolorosos decernere, ita ut in iis tamquam in fine ultimo delectetur, rationi non con-

sonat, sed nulla est repugnantia in eo, quod eos velit ut media ad finem bonum; hac de re plura in tractatu de Providentia divina;

4. admissa explicatione Darwiniana nulla haberetur explicatio eorum dolorum, qui abusu libertatis humanae tum hominibus tum brutis infliguntur.

102. ***Obi. 5.*** *Ex mente Fr. A. Lange:* Si est institutor ordinis mundani, certe sapientia huius eo ordine considerato nobis obscuratur potius quam commendatur. Nam semina pleraque a viventibus generata finem naturae suae nullo modo attingunt, cum mox post ortum suum exstinguantur (Geschichte des Materialismus [ed. 2], II, 246 sq.). Similia inveniuntur apud Mill (Essays on Religion p. 28 sqq.) et in periodico Fortnightly Review (Nov. 1890) p. 766.

Resp. *Nego ass., ad rationem additam dist. ass.:* . . . finem naturae suae nullo modo attingunt in falsa hypothesi perfectam et imperturbatam germinum vitalium evolutionem esse vel finem eorum ultimum vel saltem finem eorum proximum ab auctore naturae *absolute* intentum, *conc. ass.,* . . . ea hypothesi falsa non facta, *nego ass.* Postea a nobis probabitur finem *absolute* ultimum rerum a Deo creatarum esse gloriam Dei externam obiectivam et formalem, et finem *relative* ultimum, qui realiter coincidit cum *fine absolute ultimo ultimatim perfecto,* esse felicitatem aeternam creaturarum rationalium. Itaque entia omnia irrationalia et corpus humanum corruptibile non sunt nisi media ad finem ultimum eaque, experientia teste, talia, quae multis modis fini ultimo inservire possint. Ita v. g. ovum gallinae non minus fini ultimo inservire potest, cum ab homine adhibetur ut nutrimentum vel medicamentum, quam cum evolvitur in novum gallum vel gallinam. Ex quo vides corporum ad vivendum naturaliter aptorum evolutionem imperturbatam neque esse finem ultimum eorum neque *necessario* esse finem eorum proximum a Deo *absolute* intentum.

103. ***Obi. 6.*** *Ex mente nonnullorum modernorum:* Non est ratio, cur mirabilem viventium organisationem ad causam intelligentem iis externam reducamus. Nam vis, qua illa structura oritur, iis insita est (cf. *Caird,* Introduct. to the Philosophy of Religion p. 146 sq.).

Resp. *Nego ass., ad rat. add. dist. ass.:* . . . antequam causa intelligens elementa materiae ad certum principium substantiale vitale ab iis diversum ordinavit et hoc principium iis indidit, *nego ass.,* postquam hoc fecit, *subd. ass.:* organisatio oritur vi viventibus insita, ita ut haec vis sit causa eius proxima, *conc. ass.,* ita ut sit causa eius prima, *nego ass.*

Obi. 7. *Ex mente eorum, qui casui tribuunt ordinem mundi:* Sicut non repugnat notas typographicas fortuito proiectas ita in terram cadere, ut ex iis vocabula certas ideas exprimentia componantur; ita non repugnat atomos coniunctionibus fortuitis ad effectus determinatos pulchritudinis et utilitatis, quibus ordo mundanus continetur, praedisponi. *Ergo* non requiritur alia causa ordinis.

Resp. *Nego ant. et paritatem allatam.* Nulla enim proiectio notarum typographicarum *simpliciter* fortuita est, licet sit fortuita respectu intellectus et voluntatis hominis eas notas proicientis, quatenus ille causas, quae praeter voluntatem ipsius, vi cuius proiectio valde inadaequate determinatur, vel necessario vel aliquando etiam libere in effectum proiectionis influunt, neque perfecte cognoscit neque secundum modum, quo influunt, perfecte inter se comparare potest. Sed concursus atomorum, quem athei Epicurum sequentes fingunt, esset *absolute* sive *simpliciter* fortuitus, i. e. sine ulla causa ei efficiendo proportionata ortus. Nam, cum ex supposito adversariorum ordinator intelligens excludatur, et cum atomorum motus aeternus, ut alibi ostendimus, intrinsecus repugnet (n. 60), ille concursus oriri non potuit nisi per motum aliquem *primum* alicuius rei corporeae sine motore primo, aliis verbis: supponendum est rem corpoream aliquam per se solam posse de quiete ad motum transire, quod falsum esse demonstratum est (n. 41 sqq.).

104. Ceterum, si atheis possibilitatem concursus impossibilis atomorum, quem fingunt, relinqueremus, nihil tamen efficerent ad ordinem mundanum explicandum, quia

1. nulla est vera probabilitas innumeras atomos per spatium infinitum distributas, sed nullo modo ordinatas concursu fortuito ullum certum et constantem ordinem effecturas esse; immo nulla est vera probabilitas inter atomos numero paucas per spatium infinitum sine ordine exsistentes ullo motu fortuito definitum et constantem ordinem oriturum esse, id quod secundum ipsum probabilitatis computum dudum ostendit Gutberlet (Theodicee p. 27 sqq.; apud *Pesch,* Philos. nat. p. 76 sq.).

2. Entia viventia non sunt machinae ex solis atomis compositae, sed in iis habetur atomorum ad principium atomis superius ordo multiplex; quare ad ordinem pulcherrimum, qui in corporibus viventibus et in materiae inanimatae ad utilitatem viventium accommodata distributione cernitur explicandum, fictio concursus fortuiti atomorum prorsus nihil valet.

Nota. Ex his, quae hucusque exposita sunt, aliorum quoque argumentorum, quibus vis argumenti teleologici a modernis impetita est, solutio sat facile patet. Videsis *Hontheim*, Theodicaea n. 327—335; et obiectiones ex Hume et Lessing collectas et refutatas *ibid.* n. 443—457 incl.

§ 2.

De ceteris argumentis physicis.

105. *Schol. 1. De argumento ex conversione energiarum (entropologico).*

Rerum physicarum peritis testibus energiae corporum non thermicae gradatim in calorem convertuntur, et calor ipse in id tendit, ut per totum mundum aequilibretur. Qua lege naturae supposita ita licet arguere ad exsistentiam Dei, prout Deus notione vulgari intelligitur Ens relative supremum, i. e. mundo nobis noto superius.

Energiarum non thermicarum gradualis in calorem conversio ipsiusque caloris ad aequilibrium nisus ostendit series mutationum mutuarum rerum corporearum, quae nomine *„processus mundi“* aliquando comprehendi solent, non fuisse ab aeterno, sed *incepisse. Atqui* non potuerunt *incipere*, nisi est Deus. *Ergo* . . .

Prob. mai. Abstrahimus hoc loco a motus aeterni impossibilitate metaphysica alibi demonstrata et, sola lege conversionis energiarum supposita, ita evincimus veritatem *mai.* Si mutationes illae non incepissent, sed ab aeterno fuissent, secundum legem suppositam omnis energia non thermica dudum in calorem transisset, et processus mundanus propter calorem ubique aequilibratum cessasset. *Atqui* consequens huius propositionis condicionalis est falsum. *Ergo* etiam antecedens.

106. *Prob. min.* Si mutationes mutuae corporum aliquando inceperunt, materia corporea, in qua inceperunt, aut ipsa incepit esse, aut ipsa fuit ab aeterno. Si ipsa incepit esse, Deus est creator materiae. Sin ipsa fuit ab aeterno, processus mutationum aut incepit in materia omni energia antea carente, aut incepit in materia, quae antea fuerit in statu energiae aequilibratae. *Atqui* in neutra hypothesi in ea incipere potuit nisi Deo exsistente. *Ergo* . . .

Prob. ult. min. Si processus mutationum incepit in materia, quae omni energia antea carebat, a Deo eius partes prius energizandae erant; sin incepit in materia, quae antea erat in statu energiae aequilibratae, processus ille non potuit incipere, nisi Deus extrinsecus materiae motum indidit. *Ergo* . . .

Nota. Contra hoc argumentum aliqua allata sunt vel intrinsecus repugnantia vel sine solido fundamento ficta. De iis agit *Hontheim,* Theodicaea n. 344 sqq.

107. *Schol. 2. De argumento ex prima origine vitae organicae (biologico).*

Praeter demonstrationem metaphysicam argumenti cosmologici, qua art. 1, § 2 ex entibus viventibus *ut individuis effectis* ad Deum personalem ut primam eorum causam et ulterius ad Deum ut creatorem materiae et animae humanae conclusimus, ex ipsa vita organica viventium corporeorum derivari potest aliquod argumentum physicum ad exsistentiam Dei ut auctoris intelligentis supramundani vitae organicae probandam. Quod argumentum nititur

a) in lege biologica per decennia proxime elapsa, imprimis observationibus cl. Pasteur magis magisque patefacta: *„Omne vivum a vivo“;*

b) in differentia specifica, qua viventia non viventibus praestant, quam differentiam sensus communis hominum facile admittit, et philosophus nullo negotio evincit ex discriminibus constantibus, quibus corpora viva et non viva, biologis et experientia communi testibus, inter se distant (cf. *Haan,* Philos. nat. n. 146 sqq.). *Quibus suppositis ita arguitur:*

108. Data materia aeterna et dato motu eius aeterno, ut contra omnem rationem volunt athei, certe corpora viventia neque in orbe terrarum neque in ulla alia universitatis rerum parte tam diu exsistebant, quamdiu fuit motus materiae, quia hunc motum ea praecedere necesse fuit, ut aptum iis praepararetur habitaculum. *Ergo* omnis vita organica incepit. *Atqui* non potuit incipere per solas vires materiae, quia corpora viva non vivis *specifice* superiora sunt. *Ergo* incepit ab ente materia altiore, quod ei indidit principia substantialia vitalia, a materia diversa eamque vivificantia. *Atqui,* ut clare ostenditur in Psychologia rationali, inter haec principia est

aliquod principium intelligens, scl. anima rationalis, a qua est omnis vita organica corporis humani ut a forma eius substantiali (cf. op. nostrum Psychol. rat. n. 466 sqq.). *Ergo* exsistit causa proportionata huius principii corporis humani, quae manifesto non potest esse nisi ens intelligens mundo superius.

109. *Schol. 3. De argumento ex miraculis (thaumatologico).*

Praenota. Cum ad perfectam huius argumenti expositionem tractatus sat longus scribendus sit, *viam* tantum indicabimus, qua ad id instituendum pervenire possis.

Miraculum sensu stricto acceptum definiunt opus sensibile, insolitum, supernaturale et divinitus factum (cf. *Haan,* Philos. nat. n. 111). Hoc loco facilioris argumentationis gratia voce miraculi intelligimus *effectum aliquem in rebus corporeis communi naturae cursui oppositum, ex viribus materiae et hominum non explicabilem et ex modo, quo se habet tum in se tum ad alios similes effectus, cognoscibilem ut opus alicuius causae intelligentis et moraliter bonae, vitam hominum et naturam corpoream regentis.* Hac explicatione facta auctoritatem hominum doctorum et fide dignorum appellabimus pro asserto libros S. Scripturae multaque alia scripta nominatim recensenda, quibus facta mirabilia vires materiae et hominum superantia narrantur, esse fide humana digna. His expeditis ex magna multitudine miraculorum, quae inde a temporibus Moysis, legislatoris Iudaeorum, usque ad interitum Hierosolymorum apud Israelitas facta sunt, et ex innumeris miraculis, quibus Christus, apostoli, martyres aliique sancti Ecclesiae catholicae, dum vitam agebant, glorificati sunt, nec non ex miraculis, quae ad invocationem et usu reliquiarum Christi, Beatae Virginis et aliorum sanctorum facta sunt et etiam nunc aliquando fiunt, ea seligemus, quae facilius ut opera vires naturales corporum et hominum superantia cognoscuntur.

110. Quibus chronologice ordinatis et inter se comparatis sat facile apparebit decursu aetatum multa facta esse, quae menti contemplanti se manifestent

a) ut facta viribus corporeis superiora;

b) ut facta, quorum causa sit Ens spirituale, mundum corporeum et hominum fata regens;

c) ut effectus alicuius Entis, quod finaliter faveat virtuti et resistat iniquitati;

d) ut effectus alicuius Entis, quod eventus futuros distincte praesciat, et cui pateant liberae hominum volitiones futurae.

His ostensis habebimus hoc argumentum:

Decursu aetatum generis humani contra communem naturae cursum multa contigerunt, quae accuratius inspecta et inter se comparata se manifestant ut effectus alicuius Entis spiritualis intelligentiae et bonitatis mirae et magnae, mundo et hominibus dominantis. *Atqui* notione talis Entis abunde exprimuntur, quae notione Dei vulgari continentur. *Ergo* Deus, prout hac notione exhibetur, revera exsistit.

Art. 3.

De demonstratione exsistentiae Dei morali.

111. *Praeliminaria.* Demonstratio, de qua iam acturi sumus, nititur in eo, quod homines vel omnes vel plerique vitae suae ratione sive moribus suis significant et quodammodo testantur se pendere ab aliqua divinitate, prout haec notione vulgari concipitur ut Ens intelligens homine et mundo corpore superius. Id autem homines partim *implicite et virtualiter,* partim *explicite et formaliter* testantur.

Implicite duplici modo homines moribus suis significant se a divinitate pendere: a) quatenus insatiabili flagrant beatitudinis desiderio; vera enim beatitudo nequit haberi nisi in Deo (*Cathrein,* Philos. mor. n. 16 sqq.); b) quatenus fatentur sibi numquam licere contra legis naturalis principia primaria agere. Hanc enim legem Deus indidit animis eorum.

Explicite autem inde ab antiquissimis temporibus omnes nationes hominum sua agendi ratione fatebantur se a divinitate pendere, eo quod fidem eius tuebantur eamque cultu religioso venerabantur.

Quae cum ita sint, tria apte distinguimus argumenta moralia exsistentiae Dei:

1. argumentum eudaemonologicum (ex desiderio beatitudinis; εὐδαίμων = beatus);

2. argumentum deontologicum (ex agnitione obligationis moralis; δέον = obligans);

3. argumentum ethnologicum (ex formali testimonio nationum; τὰ ἔθνη in N. T. = gentiles).

§ 1.

Exponitur argumentum ex beatitudinis desiderio (eudaemonologicum).

Thesis VIII.

112. Appetitus naturalis, quo homines in beatitudinem feruntur, est indicium certum exsistere Deum, prout concipitur esse natura spiritualis homine superior et fons uberrimus veritatis.

St. Q. Ad demonstrationem theseos nostrae haec supponuntur: 1. Homo *naturaliter* beatitudinem desiderat, prout haec indeterminate spectata intelligitur plena appetitus rationalis quietatio. Id negari non posse in Psychologia clare probavimus (cf. Psychol. rat. auct. n. 348 sq. 351).

2. Hominis natura non est radicaliter monstruosa, ita ut homo secundum optimam naturae suae partem in id necessario feratur, quod illusorium est. Quam suppositionem homines sanae mentis naturaliter semper veram habuerunt, eamque viri culti aetatis nostrae, utpote qui ‚humanitatem' plurimi habeant, non facile negabunt.

Praeterea notandum videtur nos nihil suscipere probandum, nisi quod tenore theseos expressum est. Ut enim ex ipso beatitudinis desiderio exsistentiam Dei personalis, *prout notione scientifica paulum evoluta exhibetur ut Ens infinite perfectum,* evidenter demonstretur, probandum est voluntati humanae satisfieri non posse nisi *bono vere infinito;* id quod in Ethica demonstratur (cf. *Cathrein,* Philos. mor. n. 16).

113. *Probatur thesis ex eo, quod naturali beatitudinis desiderio debet obiectum reale correspondere, quo homo beari possit.* Homo naturaliter appetit esse beatus. *Ergo,* cum naturae desiderium non recte dicatur illusorium, exsistit obiectum reale, quo ei satisfiat. *Atqui* hoc obiectum non potest esse nisi natura spiritualis homine superior, quae sit fons uberrimus veritatis. *Ergo* eiusmodi natura exsistit; consequenter exsistit Deus, prout notione vulgari concipitur.

Prob. min. p. partes. 1. Cum beatitudo sit *finis* naturalis animae humanae *spiritualis,* capacitas voluntatis huius animae

non potest expleri bono aliquo non spirituali, quia secus non esset proportio inter finem, qui naturam animae perficiat necesse est, et ipsam hanc naturam. *Ergo* obiectum reale, quo desiderio naturali beatitudinis satisfiat, non potest esse nisi natura spiritualis. Facile etiam patet hanc naturam esse homine superiorem, quia homo eo ipso, quod appetit beatitudinem, ostendit se sibi non sufficere.

2. Possessio naturae spiritualis, qua homo beandus est, alia cogitari nequit nisi contemplatio eius intellectualis. *Quare ita licet arguere:* Cum homo intellectu omni enti cognoscendo sit remote proportionatus, voluntate naturaliter desiderat, ut, quantum per limites naturae licet, omnia vera eorumque cum causis eorum connexionem apprehendat. Consequenter sine uberrima veritatis cognitione non potest fieri beatus. *Atqui* hanc acquirere nequit, nisi natura spiritualis, cuius contemplatione beandus est, sit fons uberrimus veritatis. *Ergo* obiectum reale beatitudinis humanae non solum est natura spiritualis, sed etiam fons uberrimus veritatis.

Nota 1. Quomodo argumentum eudaemonologicum facillime compleri possit ope demonstrationis metaphysicae, ostendetur n. 121 *(schol.)*.

Nota 2. Obiectiones, quae contra hanc thesim fieri possunt, sunt eaedem fere atque eae, quae in psychologia allatae sunt contra appetitionem voluntatis *sub specie boni* (cf. Psychol. rat. n. 343), contra exsistentiam desiderii beatitudinis (Op. c. n. 354, obi. 3), contra animae post mortem permansionem et activitatem (Op. c. n. 459 sqq.).

§ 2.

Exponitur argumentum ex obligationis moralis agnitione (deontologicum.).

Thesis IX.

114. **Ex agnitione principiorum legis naturalis, quae in genere humano moraliter universo invenitur, recte concluditur exsistere Deum, prout concipitur ut legislator invisibilis, cui totum genus humanum subiciatur.**

St. Q. Lex naturalis secundum *S. Thomam* est participatio legis divinae aeternae in creatura rationali (S. th. 1. 2, q. 91, a. 2).

Lex autem aeterna est ratio divinae sapientiae, secundum quod est directiva omnium actionum et motionum creaturarum (ibid. q. 93, a. 1). Respectu igitur hominis *libere* agentis lex aeterna consistit in dictamine practico mentis divinae, quo Deus statuit regulas homini libere servandas, ut vitam suam ordinet modo naturae suae adaequate spectatae conformi (cf. *Cathrein,* Philos. mor. n. 85. 152. 156). Quae regulae, quatenus homini solo rationis lumine innotescere possunt, constituunt legem naturalem. Haec autem lex a diversis hominibus usu rationis pollentibus non aeque perfecte cognoscitur et ad actiones suas particulares non aeque recte applicatur. Inde est, quod dictamina conscientiae, quibus homines de bonitate vel malitia actionum sibi eligibilium vel a se positarum iudicant, in aliis hominibus aliter se habent. Sed his non obstantibus normae quaedam primariae legis naturalis homines plerosque non latent; qua de re aetate nostra sufficienter constat (cf. *Cathrein,* Moralphilosophie tom. I, Appendix). Eiusmodi normae sunt: Homo rationem potius sequi debet quam passionem animalem ei oppositam; Parentibus debetur reverentia; Suum cuique est tribuendum etc. Ratio humana, quatenus naturali facilitate pollet ad tales normas constanter ut rectas agnoscendas, dicitur pollere habitu naturali principiorum operabilium sive synderesi (συντήρησις). (Cf. *S. Thom.,* S. th. 1, q. 79, a. 12.)

115. Itaque thesis nostra nititur in universalitate synderesis hominibus insitae, non autem in conscientiae de actionibus particularibus dictaminibus. Neque tamen negamus etiam ex his, prout in plerisque hominibus se habent, ad exsistentiam Dei ut legislatoris hominum omnium satis bene concludi. Sed argumentum ita institutum, utpote quod proficiscatur ab *explicita* agnitione Dei ut legislatoris, potius est forma specialis argumenti ethnologici quam argumentum deontologicum. Supponimus ad demonstrationem id, quod homines plerique, paucis pessimistis exceptis, facile concedent, naturam humanam rationalem non esse *irremediabiliter* mancam ad exsequenda dictamina categorica rationis practicae, neque esse ita monstruosam, ut ratio dictet absoluta necessitate esse certam agendi normam servandam, quin connexio huius necessitatis cum natura humana ab homine in eam reflectente ullo modo intelligi possit.

116. *Probatur thesis ex relatione actuali inter synderesim et libertatem arbitrii hominum.*

Homines, quamquam consentiunt primaria legis naturalis principia esse normas agendi, quae numquam recte violentur, tamen libertate arbitrii pollent ad ea in actionibus suis externis et imprimis in volitionibus suis internis negligenda. Praeterea historia et experientia testibus maxima hominum pars non raro se pronos sentiunt ad ea libere violanda, multi de facto ea libere violant, quorum sortem si comparaveris cum sorte eorum, qui ea libere observant — *abstractione facta ab omni fide Entis personalis homine superioris et ab omni spe, amore atque pace et gaudio spirituali eam fidem sequente —*, saepissime invenies eos, qui legis naturalis praecepta servant, peius habere quam eos, quia ea negligunt.

Atqui haec oppositio inter rationem legis praecepta categorice dictantem et voluntatem adeo pronam ad ea libere violanda, inter sequelas tristes constantis observationis et sequelas iucundas transgressionis contumacis, evidenter ostendit naturam humanam esse irremediabiliter mancam et plane monstruosam, nisi exsistat Deus, legislator personalis hominum, cui totum genus humanum subiciatur, et qui sit in vita futura actionum bonarum remunerator, vindex malarum. *Ergo,* cum suppositio naturae humanae prorsus mancae et monstruosae nulli homini probari possit, exsistentia Dei admittenda est.

117. *Prob. min. p. partes.* 1. Natura humana certe est irremediabiliter manca, si non est remedium contra pronitatem voluntatis liberae ad amplectenda ea, quae ratio dictat esse abhorrenda, ne lex naturae laedatur. Neque solum contra mala moralia externe apparentia remedium requiritur, sed imprimis necesse est voluntatibus hominum praesto esse motiva, quibus efficaciter absterreantur, ne *libere* sibi placeant in *cogitationibus* et *desideriis* legi naturali oppositis. Nam rectitudo moralis hominis *substantialiter* consistit in voluntatis liberae habitudine recta ad legis naturalis normam, non in actionibus externis. *Atqui* Dei exsistentia non supposita nullum remedium efficax contra illa peccata interna assignari potest. Nam considerationes illae, quibus nonnulli virtutem absque religione commendare solent, ad mentes plurimo-

rum hominum habitualiter movendas certe non sunt aptae. *Ergo* . . .

2. Natura humana est plane monstruosa, si id absolute praecipit, quod nihil iuvat, ut desiderio naturali beatitudinis perfectae satisfiat. *Atqui* Dei legislatoris exsistentia dempta principia legis naturalis dictando revera id praecipit, quod nihil iuvat, ut homo vere fiat beatus, quia in illa hypothesi post mortem nulla beatitudo est speranda et, quidquid felicitatis durante vita corruptibili gustatur, amaritudinibus non caret. *Ergo* . . .

118. 3. Ex altera parte historia Ecclesiae Christi teste fides in Deum, legislatorem et remuneratorem talem, qualem se generi humano revelasse christiani catholici credunt, omnino efficax est, qua infirmitas voluntatis humanae ita sanetur, ut homo molesta et difficilia quaelibet, quae secundum legis naturalis praecepta sustinenda et exsequenda sunt, timore et amore Dei atque beatitudinis spe firmatus constanter ferat et praestet. Id luculenter patet tum ex actis martyrum tum ex vitis innumerabilium christianorum sanctitate eminentium. Idem ex eo quoque elucet, quod apud catholicos, qui vere eam fidem corde tenent, quam ore profitentur, *dummodo media gratiae, quae credunt a Deo instituta esse, regulariter et sincere adhibeant,* habitualis et late grassans morum pravitas numquam invenitur. Denique efficacia illius fidei in Deum a christianis catholicis agnitum inde mire elucet, quod, si quando ad tempus aliquem coetum catholicum morum corruptela infecit, verbo divino per aliquot dies frequentius audito et ponderato apud plerosque seria solet sequi vitae emendatio. — *Ergo* fides in Deum a christianis catholicis agnitum revera ea remedia infirmitatis humanae continet, de quorum veritate constare debet, ne natura humana habenda sit manca et monstruosa.

119. ***Obi. 1.*** Voluntas hominis sequitur intellectum. *Atqui* etiam Deo legislatore non agnito homo intelligere potest virtutem esse vitio praeferendam. *Ergo* potest eam voluntate amplecti, et consequenter non recte arguitur ex indigentia morali hominis exsistere Deum. *Confirm. arg.* ex vita honesta multorum, qui Deum non agnoverunt.

Resp. *Dist. mai.:* . . . i. e. homo nihil vult, nisi quod ipsi *sub aliquo saltem respectu* conveniens videatur, *conc. mai.*, . . . i. e. homo nihil vult, nisi quod intelligit sibi simpliciter *secundum naturam suam adaequate spectatam* convenire, *nego mai., contrad. min. Dist. cons. p. 1.:* Hoc potest aliquando, quando non est valde difficile, *conc. cons. p. 1.*, hoc potest semper et in summis difficultatibus, *nego cons. p. 1.* et *nego cons. p. 2. Min.* contradistinguendo negavi Dei exsistentia non agnita hominem posse intelligere virtutem sibi *simpliciter* esse convenientem, i. e. ita convenientem, ut numquam, ne interne quidem, agere liceat nisi secundum virtutem. Etenim Deo non agnito nemo definire potest, qui sit finis hominis. Quid vero homini simpliciter conveniens sit, ex natura eius et consequenter ex vero fine naturae eius diiudicandum est.

Motiva virtutis ab atheis et agnosticis allata revera vulgo hominum non esse valde utilia ad progressum moralem faciendum ex historia generis humani patet. Neque adversarii recte provocant ad fructum futurum educationis agnosticae. Nam fructus praesens est eiusmodi, ut nemo rationabiliter dubitare possit, quin futurum sit, ut eiusmodi educatione licentia vulgi in dies crescat. Praeterea synderesis singulis hominibus dictat *sibi* esse bonum agendum et malum vitandum. *Ergo ei, quae nunc est, indigentiae morali hominum*, praesto esse debet auxilium efficax, nisi natura humana habenda est manca et monstruosa.

Ad confirm. transeat. ass. Non est quaestio de vita honesta aliquorum agnosticorum sub condicionibus prosperis inter christianos degentium, qui volentes nolentes saepe agunt secundum mores christianos. Sed est quaestio, qualis futura sit *vita generis humani* fide in Deum legislatorem et remuneratorem universaliter sublata.

120. ***Obi. 2.*** Multi, qui Deum et caelum et infernum crediderunt, nihilominus crimina atrocissima commiserunt. *Ergo* etiam fide Dei ut legislatoris et remuneratoris non sanatur infirmitas moralis generis humani.

Resp. (ex supposito agi de fide in Deum, quem christiani catholici agnoscunt). *Dist. ant.:* . . . qui veritates illas numquam serio considerarunt, *conc. ant.*, qui eas serio et frequenter et tempore, quo tentabantur, considerarunt, *nego ant., nego cons. Dein retorqueo argumentum.* Passiones hominum tantae sunt vehementiae, ut etiam multi, qui in Deum et caelum et infernum credunt, non obstantibus motivis gravissimis et *per se* efficacissimis, quibus a peccato absterreantur, aliquando atrocissime peccent. *Ergo* genus

humanum, illis motivis per atheismum vel agnosticismum sublatis, certo certius in vitia et flagitia ruet.

121. *Scholion. Ope demonstrationis metaphysicae facillime ostenditur legislatorem invisibilem argumento deontologico probatum et Ens homine superius spirituale, quo secundum argumentum eudaemonologicum homo beandus est, esse Deum personalem infinitum.*

Nam lex naturalis quodammodo enascitur ex ipsa natura rationali et spirituali hominis, quae non potest esse nisi opus Dei personalis infiniti, qui eam ex nihilo creavit (n. 49. 50. 58. 59). Quo supposito facile quoque intelligitur capacitatem intellectus humani ad omne ens aliquo modo cognoscendum revera extendi ad Deum personalem, infinitum. Cui capacitati cum ex parte voluntatis respondeat desiderium naturale, Ens illud spirituale, quod argumento eudaemonologico ostendimus tamquam fontem uberrimum veritatis esse beatitudinem obiectivam hominis, non potest non esse ipse Deus personalis infinitus [1].

§ 3.

Exponitur argumentum ex nationum de Dei exsistentia consensu (ethnologicum).

Thesis X.

122. **Ex generis humani in agnoscenda divinitate consensu moraliter universali evidenter demonstratur exsistere numen, i. e. maiestatem quandam intelligentem, hominibus superiorem iisque colendam sive Deum notione vulgari expressum.**

St. Q. Cum asserimus genus humanum in divinitate agnoscenda constanter consensisse, non contendimus in omnibus vel plerisque hominibus constanter fuisse cognitionem claram unius Dei veri; sed id solum affirmamus ubique gentium constanter agnitum esse numen aliquod, i. e. aliquam naturam homine excellentiorem, quae in fata humana influat, et cui honor et cultus debeatur. Gentes polytheistae eam

[1] Inter eos, qui argumento ex hominis natura morali desumpto potissimum movebantur, eminet Cardinalis Newman (cf. *Newman*, Apologia p. 323).

naturam sibi fingunt ut in pluribus individuis diversimode exsistentem. Multae ex iis haec individua divina uni supremo deo subesse existimant. Omnes autem de coetu deorum suorum varia narrant, quae a Deo vero plane sunt aliena. Quare recte dicuntur non habere notionem Dei nisi obscuram, incompletam, depravatam. Sed minime dicendae sunt notione Dei omnino carere, quatenus hac notione concipitur *maiestas intelligens, homine superior, a qua homo et mundus corporeus aliquo modo pendeat.* Consentiendum igitur est S. Thomae, qui docet nomen Dei, prout a monotheista et polytheista usurpatur, neque univocum neque aequivocum, sed analogum esse (S. th. 1, q. 13, a. 10).

123. Homines autem plerosque revera constanter credidisse exsistere aliquod numen homine et mundo superius ita in aperto est, ut etiam nostra aetate verum maneat illud Ciceronis: ‚In hominibus nulla gens est neque tam immansueta neque tam fera, quae non, etiamsi ignoret, qualem habere Deum deceat, tamen habendum sciat' (De leg. lib. 1, cap. 8, n. 24). Huius rei testes habemus auctores permultos, qui in religiones generis humani accuratius inquisiverunt. Ita v. g. Tylor asserit: „Ex innumeris testimoniis, quae nobis praesto sunt, id unum mihi videtur certo concludendum esse, fidem entium spiritualium inveniri apud omnes tribus rudes, de quibus nobis perfectius innotuit." [1]

Oskar Peschel, ethnologus acatholicus, haec habet: „Ad quaestionem, num alicubi terrarum aliqua tribus umquam inventa sit, quae sensibus et notionibus religiosis prorsus careret, indubitanter respondendum est: Nullibi et numquam." [2]

C. P. Tiele, assyriologiae professor: „Assertum", inquit, „esse aliquas nationes vel tribus, quae careant religione, aut observationibus minus ratis aut conceptibus minus claris ni-

[1] „So far as I can judge from the immense mass of accessible evidence, we have to admit that the belief in spiritual beings appears among all low races with whom we have attained to thoroughly intimate acquaintance" (*Tylor,* Primitive Culture I, 384).

[2] „Stellen wir uns die Frage, ob irgendwo auf Erden ein Volksstamm ohne religiöse Anregungen und Vorstellungen jemals angetroffen worden sei, so darf sie entschieden verneint werden" (*Oskar Peschel,* Völkerkunde [ed. 5] p. 260).

titur. Nam tribus vel natio, quae non crederet esse entia homine superiora, nullibi inventa est; iique viatores, qui id affirmarunt, factis manifestis postea refutati sunt.“ [1]

F. v. Hellwald [2], Max Müller [3], Gustav Roskoff [4] idem statuunt. Praeterea auctor, quem ultimum commemoravi, ea, quibus Sir J. Lubbock probare conatus est revera esse aliquas gentes absque ulla religione, sine solido fundamento ab eo argumenta certa existimata esse diligenter ostendit. Id etiam videre poteris apud Flint (Antitheistic theories lect. 7). De fide tribuum rudium accuratius agit *Schneider,* Naturvölker II, 347—413. De fide omnium nationum gentilium tum antiquarum tum recentium multa testimonia collegit Ch. Pesch (Der Gottesbegriff in den heidnischen Religionen).

124. *Probatur thesis ex characteribus, qui generis humani de exsistentia numinis consensui proprii sunt.*

Illud iudicium nequit esse erroneum, quod ita se habet, ut origo eius necesse sit ultimatim fundetur in veritate obiectiva rei, quae eo affirmatur. *Atqui* tale est generis humani de exsistentia numinis iudicium. *Ergo* hoc iudicium non potest esse erroneum.

Prob. min. Iudicium, quod est

a) de obiecto, de quo, quid sentiendum sit, ad vitam practicam hominum plurimum interest; quod praeterea

b) plerisque hominibus omnium locorum et temporum constanter commune est; quod

---

[1] „Die Behauptung, dass es Völker oder Stämme ohne Religion gäbe, beruht auf ungenauer Beobachtung oder auf Begriffsverwechslung. Einen Stamm oder ein Volk, das an keine höhern Wesen glaubte, hat man noch nirgends gefunden, und Reisende, die diese Behauptung aufstellen, sind später durch die Thatsachen widerlegt worden“ (*C. P. Tiele,* Kompendium der Religionsgeschichte [ed. german.] p. 7 sq.).

[2] Cf. *F. v. Hellwald,* Naturgeschichte des Menschen p. 95.

[3] Cf. *Max Müller,* Science of Language, 2. series, p. 436, ubi dicit: „All nations join in some way or other in the words of the Psalmist, ‚It is He that hath made us, and not we ourselves‘.“

[4] Cf. *Gustav Roskoff,* Das Religionswesen der rohesten Naturvölker, imprimis p. 178, ubi ex factis observatis haec concludit: „Es ist bisher noch kein Volksstamm ohne jegliche Spur von Religiosität betroffen worden.“

c) nullo argumento principiis rectae rationis et factis experientiae probatur adversari; quod porro

d) est eiusmodi, ut nulla eius origo probabilis assignari possit nisi veritas obiectiva rei, quam affirmat, hominibus innotescens; ex hac sola explicari potest atque debet, quia secus admittitur aut naturalis rationis in falsum tendentia aut effectus sine causa ei proportionata, quorum utrumque est absurdum.

Atqui generis humani de exsistentia numinis iudicium his proprietatibus praeditum est. *Ergo* hoc iudicium dicendum est inde ortum esse, quod veritas obiectiva exsistentiae numinis hominibus innotuit.

125. *Prob. min. ult. p. partes.*

a) Illius iudicii obiectum multum valere ad omnem vitam practicam per se patet. Si enim exsistit numen homini colendum, hic cultus est officium primarium hominis.

b) Illud iudicium revera plerisque hominibus omnium locorum et temporum esse constanter commune patet ex iis, quae homines historiae et ethnographiae periti nobis tradunt (cf. Opp. supra c.).

c) Tantum abest, ut illud iudicium ullo argumento probari possit adversari principiis rationis et factis experientiae, ut etiam primarii omnium aetatum philosophi illud ex iis, quae experientiae subsunt, secundum principia rationis evidenter inferendum esse existiment.

Ita enim iudicabant Plato et Aristoteles, ita S. Augustinus et S. Thomas Aquinas, ita innumeri alii philosophi ingenio et doctrina praestantes. Et sicut illi exsistentiam numinis evidenter probari posse existimabant, ita per tria saecula proxime elapsa multi homines rerum naturalium gnari, iique lumina primi ordinis inter cultores scientiae naturalis, exsistentiam maiestatis divinae pro veritate explorata habebant. Inter quos eminent Kepler[1], Baco[2],

[1] Vide orationem pulcherrimam, qua Kepler conclusit suum de harmonia mundi opus (apud *Max Müller,* Science of language, 1. series, p. 111).

[2] „Nec Deus umquam edidit miraculum, quo converteretur atheus (??), *quia poterat ipso naturae lumine ad notitiam Dei perduci* . . . Quod sit

Newton[1], Leibniz[2], ut omittam Kopernicum, Galilei, Cartesium, Secchi aliosque, qui non solum Deo christianorum, sed etiam Ecclesiae catholicae constanter adhaeserunt.

126. Neque quidquam ab agnosticis modernis affertur, quo demonstrent mundum non recte explicari Dei personalis exsistentia supposita. Immo Huxley[3] fatetur difficultates theologo solvendas nostra aetate non esse graviores, quam fuerint temporibus antiquis. Concedit quoque mundum sola virtute divina creatum esse, sine repugnantia concipi posse et fortasse verum esse[4].

Darwin fassus est se consideratione ordinis mundani et excellentiae intellectualis hominis quandoque ita affici, ut

---

Deus, quod rerum habenas tractet, quod summe potens, quod sapiens et praescius, quod bonus, quod remunerator, quod vindex, quod adorandus, *etiam ex operibus eius demonstrari et evinci potest*" (*Baco de Verulam,* De dignitate et augmentis scientiarum, lib. 2; apud *Stöckl,* Geschichte der neuern Philosophie I, 21; in versione anglica a Montagu edita p. 135 sq.).

[1] „Elegantissima haecce solis, planetarum et cometarum compages non nisi consilio et dominio Entis intelligentis et potentis oriri potuit." ... „Hic omnia regit non ut anima mundi, sed ut universorum dominus ... Aeternus est et infinitus, omnipotens et omnisciens" (*Newton,* Philosophiae naturalis principia mathematica lib. 3, Schol. generale).

[2] „Praeter *mundum* seu *aggregatum* rerum finitarum datur Unum aliquod *dominans,* non tantum ut in me anima vel potius ut in meo corpore ipsum ego, sed etiam ratione multo altiore. Unum enim dominans universi non tantum regit mundum, sed et fabricat et facit et mundo est superius et, ut ita dicam, extramundanum, estque adeo ultima ratio rerum. Nam non tantum in nullo singulorum, sed nec in toto aggregato serieque rerum inveniri potest sufficiens ratio exsistendi" (*Leibniz,* De rerum originatione radicali, opp. [ed. Erdm.] p. 147).

[3] „Not a solitary problem presents itself to the philosophical Theist at the present day, which has not existed from the time that philosophers began to think out the logical grounds and the logical consequences of Theism" (Life and Letters of Charles Darwin by *F. Darwin,* vol. II, cap. 5, p. 203).

[4] „The ‚Mosaic writer' is taken to imply that, where nothing of a material nature previously existed, this substance appeared. That is perfectly conceivable, and therefore no one can deny that it may have happened . . . It appears to me that the scientific investigator is wholly incompetent to say any thing at all about the first origin of the material universe" (Nineteenth Century, Feb. 1886, p. 201 sq.).

sibi *durante hac affectione* videretur esse coactus ad causam primam intelligentem cogitandam [1].

127. Quod autem dubitationes a Spencer, Mill, Darwin aliisque modernis contra exsistentiam Dei allatas attinet, eas iam ostendimus esse futiles (cf. n. 61 sqq. 98 sqq.).

Earum futilitas inde confirmatur, quod decenniis proximis viri multi exstiterunt rerum naturalium insigniter periti, qui ex legibus naturae accuratius observatis argumenta petebant ad certitudinem exsistentiae Dei sapientissimi confirmandam, ut v. g. Carpenter [2], Epping [3], Faye [4], Mivart [5], Wasmann [6].

d) Illud iudicium, quo homines plerique exsistentiam numinis affirmant, non potuit *qua iudicium moraliter universale* primum oriri nisi ex eo, quod hominibus veritas eius obiectiva evidenter patebat. Nam si originem eius aliter explicare velis, statuas necesse est illud ortum esse aut ex fide alicui auctoritati irrationabiliter adhibita aut ex rationis conclusione non bene fundata aut ex utroque fonte simul. *Atqui* nihil ex his rationi consonat. *Ergo* ex sola evidentia obiectiva exsistentiae numinis origo illius iudicii repeti potest.

Ad ult. mai. Disiunctio sane est completa, quia repugnat iudicium *sine aliqua specie veri.* De re autem non per se evidenti non potest iudicium cum specie veri oriri nisi aut per fidem aut per rationis discursum. Ex quo videbis, quam

---

[1] „Another source of conviction in the existence of God, connected with the reason and not with the feelings, impresses me as having much more weight" (than the common belief of mankind spoken of before). „This follows from the extreme difficulty or rather impossibility of conceiving this immense and wonderful universe, including man, with his capacity of looking far forwards and far into futurity, as the result of blind chance or necessity. When thus reflecting, I feel impelled to look to a First Cause having an intelligent mind in some degree analogous to that of man, and I deserve to be called a Theist" (Life and Letters [Autobiography] I, 311 sq.).

[2] Cf. *Carpenter,* Vegetable Physiology chap. X, n. 376.

[3] Cf. *Epping,* Der Kreislauf im Kosmos, quo opusculo materialistarum motus cosmici explicationes refutantur.

[4] Cf. *Faye*, Sur l'origine du monde p. 114, quo loco ille insignis astronomus fatetur sine Deo intelligente mundum non posse explicari.

[5] *Mivart,* On Truth chap. 26. „A First Cause" pp. 450—499.

[6] *Wasmann,* Der Trichterwickler p. 58 sqq. 118 sqq. 166 sq.

sit absonum, hominum de Dei exsistentia iudicium aut *timori* aut cum aliquibus modernis consolationis vel delectationis *desiderio* tribuere.

128. *Prob. ult. min. p. partes.* α) Ut iudicium, quo exsistentia numinis ab hominibus affirmatur, ex fide irrationabili alicui auctoritati praebita derivetur, supponenda est aliqua fraus antiqua, quae commissa sit vel a parentibus, qui fictione numinis filios voluerint coercere, vel ab hominibus publicis, quales sunt sacerdotes, principes, doctores, legislatores, qui praetextu auctoritatis supermundanae sibi delegatae civibus suis imposuerint.

Atqui eiusmodi fraus admitti non potest, ut explicetur, quomodo illud iudicium primum factum sit moraliter universale. Nam fides divinitatis ita nata in animis hominum sapientiorum mox exstincta esset (cf. *Cicero,* De nat. deor. lib. 2, cap. 2, n. 5). Neque enim contra hoc recte affertur genus humanum per multa saecula adeo rude fuisse, ut nulli invenirentur homines sufficienter apti ad talem fraudem detegendam. Huiusmodi enim fictioni ea obstant, quae de rebus gestis populorum antiquissimorum (Hebraeorum, Aegyptiorum, Chaldaeorum, Assyriorum, Babyloniorum, Persarum, Indorum, Sinensium) memoriae tradita sunt. Porro, quamquam fuerunt homines publici, qui auctoritatem suam appellatione numinis firmabant, tamen nullum huius rei exemplum afferri potest, quod fidei universali exsistentiae divinitatis antecesserit.

129. β) Iudicium moraliter universale, quo divinitatis exsistentia affirmatur, non potuit oriri ex conclusione rationis minus solide fundata. Nam qui id autumant, nihil afferunt ad hypothesim suam fulciendam nisi *fictiones vanas et ridiculas,* quae substantialiter non praestant iis, quae a Lucretio olim allatae sunt, ut illa fictio H. Spencer, religionem oriri potuisse ex eo, quod homines primum sibi persuasissent sibi semper adesse socium; quam persuasionem paulatim natam esse ex phaenomenis umbrae corporis proprii, echus in silvis nobis respondentis, etc. Hoc modo primum ortam esse notionem animae homini inhabitantis et postea ideam spirituum homine superiorum (cf. The Principles of Sociology I; apud *Hontheim,* Theodicaea n. 412). Praeterea contra huiusmodi fictiones haec duo animadvertenda sunt: 1. Si hic fuisset ortus fidei

in exsistentiam Dei, ea fides non perseverasset in tot milibus hominum omnium aetatum sapientia et fortitudine insignium; 2. qui eum ortum fidei in exsistentiam Dei supponunt, simul supponere debent genus humanum *initio* fuisse in statu quodam feritatis, ex quo paulatim ascenderit ad animi culturam homine rationali dignam. Ea autem hypothesis est historice falsa.

γ) Neque potuit iudicium, de quo agimus, oriri ex fide irrationabili auctoritatis et conclusione male fundata rationis simul sumptis. Nam, ut sub α et β ostendimus, neutra earum causarum *ad veram universalitatem illius de exsistentia numinis iudicii* ***fundandam*** quidquam valere poterat. *Atqui* duae causae, quarum neutra ad certum effectum inchoative producendum quidquam valet, etiam coniunctim eum producere nequeunt. *Ergo* . . .

130. *Coroll. Ergo Ens a se sive Deus personalis, quem argumento cosmologico demonstravimus exsistere (thesi III.) est numen hominibus prae ceteris entibus homine superioribus colendum.*

Nam, si quid homine superius ei colendum est, id cultu dignum esse non potest nisi propter excellentiam sibi internam et suam in res mundanas potentiam. *Atqui* sub utroque respectu Deus personalis prae ceteris entibus homine superioribus colendus est, quia ipse est fons eminens omnis excellentiae in essendo et omnis potentiae in agendo. *Ergo* . . .

131. ***Obi. 1.*** Qui multos deos exsistere putat, exsistentiam Dei negat potius quam affirmat. *Atqui* gentes pleraeque consentiunt in opinione multos esse deos. *Ergo* exsistit consensus populorum in Dei exsistentia neganda, non vero in ea affirmanda.

Resp. *Dist. mai.:* . . . si existimat esse unum Deum supremum et praeter eum multos deos inferiores, qui naturam divinam similitudinarie excellentius participent quam homines, et a quibus homines aliqualiter pendeant, *nego mai.*, si omnes illos deos habet entia a se exsistentia, ab invicem divisa, aequalia, *subd. mai.:* eius fides *obiective* spectata *logice* involvit negationem Dei, *conc. mai.*, eius fides *subiective* spectata pro obiecto non habet Deum, prout hic obscure concipitur ut maiestas quaedam mundo superior, *nego mai., trans. min., nego cons.* — Apud gentes plerasque videtur semper perseverasse notio aliqua *obscura* Dei unius supremi. Praeterea non solum ex S. Scriptura (cuius veritas historica ab exegetis catholicis probatur) omnino certum est, sed etiam

ex aliis fontibus historicis summa probabilitate concluditur monotheismum fuisse primam eamque universalem generis humani religionem. Nam ex libris sacris Indorum, Sinensium, Persarum, ex scriptis cuneiformibus Assyriorum et ex monumentis hieroglyphicis Aegyptiorum omnino constat eas nationes aetatibus prioribus multo melius de divinitate sensisse quam posterioribus (cf. *Ch. Pesch,* Gottesbegriff etc. I, 1 sqq. 24 sqq. 87 sqq. 115 sqq.).

132. ***Obi. 2.*** Qui nimium probat, nihil probat. *Atqui* qui Dei exsistentiam ex consensu populorum probat, nimium probat. *Ergo* nihil probat.

Prob. min. Qui probat multos esse deos, nimium probat. *Atqui* qui ex consensu populorum Dei exsistentiam probat, multos esse deos probat; exsistit enim populorum consensus in multitudine deorum statuenda. *Ergo* . . .

Resp. *Conc. mai., nego min. et cons., ad prob. min. conc. mai., nego min. et cons., ad rat. min. nego* hunc consensum umquam fuisse completum et constantem. Populi enim numquam *eandem* multitudinem deorum statuerunt, numquam *unanimiter* asseruerunt *plura entia vere suprema,* numquam *consenserunt in negatione unius Entis vere supremi.* Debuerunt autem in una saltem ex his tribus opinionibus consentire, ut recte dici possint consensisse in multitudine deorum statuenda. Tota vis probationis nititur in *natura superhumana, hominibus reverenda, a nationibus omnibus agnita.*

133. ***Obi. 3.*** Persuasio, quae progressu educationis intellectualis debilitatur, non potest niti veritate obiectiva. *Atqui* generis humani de exsistentia Dei persuasio progressu educationis intellectualis debilitatur, quia nostra aetate, qua exactae scientiae studia magis florent quam umquam antea, multi viri docti aut dubitant, num Deus exsistat, aut negant de eius exsistentia quidquam certi statui posse. *Ergo* . . .

Resp. *Dist. mai.:* Persuasio, quae progressu educationis intellectualis *per se* debilitatur, *conc. mai.,* quae *per accidens* debilitatur, *nego mai., contrad. min.: . . . per se, nego min., per accidens, subd. min.:* in generis humani parte maiori et meliori, *nego min.,* in hominibus *comparative* paucis, *conc. min.*

Ad rat. min. nego ex facto allato sequi generis humani, i. e. hominum plerorumque, de exsistentia Dei persuasionem aetate nostra debilitari. Ipsum autem assertum facti secundum se spectatum ita distinguo: Illi viri docti, absolute quidem multi, sed comparative pauci, dubitando vel negando exsistentiam Dei ita oppugnant, ut dubitationis vel negationis suae nullam rationem

umquam afferant, quae sit vel veritas rationis per se evidens vel conclusio ex veritate evidenti rationis aut facto scientifice explorato legitime deducta, *nego ass.*, dubitationem vel negationem suam fulcire moliuntur, aut supponendo theorias inanes a ratione et experientia alienas, aut ex factis et rationis veritatibus deducendo conclusiones illegitimas, *conc. ass.* Nos iuremerito illud assertum hoc modo distinxisse clare patet ex difficultatibus ab agnosticis allatis (cf. n. 61 sqq. 98 sqq.).

134. ***Obi. 4.*** Exsistunt 503 milliones Buddhistarum. *Atqui* Buddhistae sunt athei. *Ergo* non constat de consensu generis humani moraliter universi.

Resp. *Transeat mai., dist. min.: Aliqui* philosophi Buddhistae, *conc. min.*, vulgus Buddhistarum, *nego min.* De numero Buddhistarum non videtur ita certo constare (cf. *Hontheim*, Theodicaea p. 230, n. 1 marg.). Certum autem est vulgus Buddhistarum firmiter credere in numina intelligentia superhumana (cf. *Ch. Pesch*, Gottesbegriff II, 1, 4 sq., de Buddhistis Sinensibus, 57 de Buddh. Iaponensibus, 64 sq. de Buddh. Tibetanis, 68 de Buddh. Nepalesiis, 73 sq. de Buddh. Birmanis, 77 sqq. de Buddh. Siamesiis, 84 de Buddhistis Singhalesiis (in insula Ceylon).

Obi. 5. Sunt multi pantheistae. *Atqui* pantheistae non admittunt intelligentiam supramundanam. *Ergo* non constat de consensu in eiusmodi intelligentiam.

Resp. *Dist. mai.:* i. e. nationes pantheisticae, *nego mai.*, homines pantheistae, *subd. mai.:* absolute multi, *conc. mai.*, comparative ad totum genus humanum, *nego mai., trans. min.*, quia solummodo valet de pantheismo *perfecto.*

135. ***Obi. 6.*** Consensus universalis generis humani per multa saecula constanter habuit verum id, quod progressu astronomiae probatum est esse falsum, scl. terram stare et solem et stellas circa terram moveri. *Ergo* consensui etiam universali et constanti non est fidendum.

Resp. *Dist. ant.:* . . . ea firmitate et constantia, qua veram habuit Dei exsistentiam, *neg. ant.*, tenuit illud per modum opinionis, cuius improbabilitatem plerique non suspicabantur, *conc. ant., nego cons. ob disparitatem.* Nam 1., generis humani de solis et siderum motu consensus non erat de re ad vitam practicam hominum pertinente, de qua quid sentiendum sit omnium multum intersit. Quare quoad illum motum facile potuerunt acquiescere alicui opinioni non bene fundatae, quam commendabat apparentia sensilis. Sed generis humani de Dei exsistentia consensus spectat rem, quae est summi momenti ad vitam recte ordinandam. In

tali re credenda tot milia hominum sapientium non perseverassent, nisi de eius veritate constitisset.

2. Illa de solis et siderum motu hypothesis ab hominibus sapientioribus nequaquam semper habita est veritas explorata (cf. *Schiaparelli,* Die Vorläufer des Kopernikus im Alterthum p. 84 sqq.; apud *T. Pesch,* Welträthsel II, 311 sq.). Ipse S. Thomas de suppositionibus systematis Ptolemaici ita iudicat: „Non tamen oportet dicere has suppositiones esse veras, quia forte secundum aliquem alium modum nondum ab hominibus comprehensum apparentia circa stellas salvatur" (lib. 2 De caelo, lect. 17).

3. Ea de motu solis et siderum opinio communis facile explicatur ex apparentia sensili ab hominibus pro rei veritate habita; e contrario hominum de numinis supramundani exsistentia consensum nemo ad alium fontem probabilem reducere potest nisi ad obiectivam illius exsistentiae evidentiam (cf. n. 128 sq.).

136. ***Obi. 7*** (cf. *Fr. A. Lange,* Geschichte des Materialismus [ed. 2] p. 3, 68 sq. *D. F. Strauss,* Der alte und der neue Glaube n. 33. 34). Homo naturaliter timet pericula ingentia, quae a viribus rerum naturalium inseparabilia sunt, naturaliter etiam inclinat ad formas ideales a rebus exsistentibus abstrahendas. *Atqui,* hac utraque naturae humanae proprietate supposita, fides exsistentiae Dei vel ex desiderio auxiliatoris supramundani vel ex appetitu formas ideales fingendi et ex delectatione aesthetica hanc fictionem sequente explicari posse videtur. *Ergo* non certo constat eam fundari in evidentia obiectiva veritatis.

Resp. *Conc. mai., dist. min.:* Utraque illa proprietas iuvare potuit hominem, ut veritatem obiectivam exsistentiae Dei vel revelatione primitiva acceptam facilius et constantius servaret, vel ex ordine physico rerum mundanarum et sua ipsius natura intellectuali et morali promptius concluderet, *conc. min.,* utraque proprietas commemorata vel seorsum vel simul cum altera potuit esse fundamentum proximum stabilis de exsistentia Dei persuasionis moraliter universalis, *nego min., nego cons.* Quamquam enim homines facilius credunt id verum esse, quod cupiunt, ut sit, tamen desiderium solum non sufficit, ut homo mentis sanae umquam id verum habeat, quod nulla specie veritatis obiectivae commendatur, neque fallax veritatis species sufficit, ut maior et melior pars generis humani constanter firmiter teneat id verum esse, quod neque rationibus evidentibus probatur neque evidenter credibile est, *imprimis cum agitur de re in totam vitae institutionem influente.*

Caput III.

De atheismo.

137. *Praenotanda.* Postquam Dei exsistentiam pluribus argumentorum generibus probavimus, ad conclusiones nostras amplius confirmandas multum iuvabit quaerere de ea mundi explicatione philosophica, secundum quam exsistentia Dei omnino neganda aut certe omnis de ea inquisitio ut problema insolubile negligenda est. Quae est hypothesis atheismi, qui apte dividitur in atheismum dogmaticum et scepticum. Ab atheismo pantheismus perfectus *logice explicatus* vix quidem distat, attamen, quia pantheistae Deum sub certo respectu mundo opponunt, eorum systemata atheismo non accensemus, sed postquam lib. II. de attributis esse divini egerimus, ea seorsum considerabimus. Itaque hoc loco contra eas theorias agemus, quae opponuntur tum monotheismo tum polytheismo tum pantheismo, quamquam aliqua dicenda erunt, quae etiam contra pantheismum valent.

Art. 1.

De habitudine atheismi ad veritatem et virtutem.

Thesis XI.

138. **Atheismus tum dogmaticus tum scepticus sive agnosticismus rationi magnopere repugnat et ad vitam hominum universaliter applicari nequit, quin sequatur generis humani ruina moralis et socialis.**

St. Q. Atheismus est nomen genericum earum theoriarum, quibus *explicite* aut statuitur Ens personale supramundanum non esse, aut asseritur omnem de eo quaestionem esse insolubilem et negligendam. Theoriae priores continent atheismum dogmaticum, posteriores atheismum scepticum sive agnosticismum. Atheismus dogmaticus saeculo XVIII. aperte propositus est a barone *De Holbach* in opere La contagion sacrée ou histoire naturelle de la superstition (cf. *Stoeckl,* Geschichte der neuern Philosophie I, p. 383, n. 6), vehementissime propugnatur in opere, quod inscribitur Système de la

nature, ed. 1770 (cf. *Stoeckl* op. c. p. 386, n. 5). Hoc saeculo defensus est a L. A. Feuerbach (cf. *Stoeckl* op. c. II, p. 438, n. 2 sqq.) et L. Büchner (cf. op. c. II, p. 441, n. 2). Agnosticismo praelusit David Hume (cf. op. c. p. 297, n. 7 sq.); inter eos, qui ei hoc saeculo adhaeserunt, eminent Aug. Comte (cf. op. c. II, p. 491, n. 4 et p. 496, n. 17 sqq.) et H. Spencer (in opere First Principles, part. 1, cap. 2).

139. Pars I. Atheismus rationi magnopere repugnat.

Arg. 1. (Ex eo, quod laedit principium causalitatis.) Absurdum est principium causalitatis aut non ut certum admittere aut arbitrarie ad experientiam restringere. *Atqui* atheismus, ut ex thesibus II—X clare patet, *logice* stare nequit, quin aut unum aut alterum fiat. *Ergo* est absurdus.

Arg. 2. (Ex eo, quod opponitur dignitati animae humanae.) In Psychologia probavimus animam humanam esse substantiam spiritualem et libertate arbitrii praeditam (cf. Psychologia rationalis, Theses XII, XXX, XXXVI—XXXVIII, XLII). *Atqui* atheismus utrumque aut negat aut nihil de eo sciri posse affirmat. *Ergo* rationi contradicit.

140. *Arg. 3. (Ex* ***arbitraria*** *iudicandi norma hominis athei.)* A ratione prorsus alienum est multa, de quibus non potest haberi nisi certitudo quaedam moralis sensu latiori accepta, ut practice indubia admittere, et simul negare prudenter pro vero haberi eam rem exsistere, cuius exsistentiam plerique homines, ii imprimis, qui sapientia, fortitudine, probitate maxime excellebant, semper habuerunt principium primum et eminens omnium rerum, quae sunt. Porro illa rectae rationis laesio eo maior est, si agitur de exsistentia alicuius rei agnoscenda, quae exsistere nequit, quin homini sit summe reverenda, colenda, amanda. *Atqui* homo, qui atheismo adhaeret, ad eum modum agendi tenendum cogitur. Nam, cum Dei exsistentiam aut negat aut incertam habet, ab ea re pro vera habenda abstinet, de qua dubitare optimus et sapientissimus quisque semper nefas habuit, et quae exsistere nequit, quin homini sit summe reverenda, colenda, amanda. Interim multa, quae ab hominibus narrantur, vel quae per analogiam solummodo probantur, practice indubia habet, quamquam de iis haberi nequit certitudo sensu proprio accepta.

Ergo homo atheismo adhaerens ad modum agendi tenendum cogitur, quem ratio recta improbat.

141. *Arg. 4. (Ex veritate historica manifestationum Dei supernaturalium.)*

Praenota ad argumentum. Ex philosophia et ex historia generis humani certo constat haec tria esse admittenda:

1. Contra rectam rationem peccat, qui *a priori* sine ulla ratione decernit nullum eventum posse oriri nisi secundum leges naturales *inductione* detectas, nullum esse Ens intellectuale homine superius, quod in hunc mundum ullum influxum supernaturalem exerceat.

2. Praedictio accurata factorum particularium a libertate humana multipliciter pendentium, resuscitatio hominum certo mortuorum, morborum letalium absque ullo remedio naturali sanatio instantanea sunt eventus, qui rationabiliter non possint explicari nisi ex operatione Entis intelligentis hominibus superiore.

3. Illi eventus, hominibus fide omnino dignis testibus, decursu temporum saepe contigerunt, iique *nomine Dei vel explicite vel implicite invocato. Quibus tribus sententiis suppositis ita arguo:* Facta, de quorum veritate historica abundans habetur evidentia, et quae sunt eiusmodi, ut non possint rationabiliter explicari nisi ex Dei intelligentis, mundum regentis influxu, sine laesione rectae rationis neque attentione minus digna haberi neque causae mere naturali vel affirmate vel dubitanter tribui possunt. *Atqui* qui atheismum profitetur, non potest quin aut unum aut alterum faciat. *Ergo* rectam rationem necessario laedit, et consequenter atheismus rationi prorsus repugnat.

142. Pars II. Atheismi doctrina ad vitam universaliter applicata, ruina moralis et socialis generis humani inevitabilis est.

Arg. 1. (Ostenditur atheismum inducere ruinam morum bonorum.) Ea doctrina ad vitam universaliter applicari nequit, quin mores boni destruantur, ex qua sequitur nullam passionum indulgentiam esse *per se* illicitam, imprimis vitia *interna* sola voluntate et cogitatione commissa nihil esse curanda. *Atqui* id ex atheismo sequitur. *Ergo* . . .

Prob. min. Ratio, ob quam recte dicimus passionum indulgentiam *per se* esse illicitam, ea est, quod homo passionibus indulgens *libere* laedit dignitatem naturae suae rationalis et se avertit a fine suo ultimo. Ratio autem, ob quam etiam peccata sola voluntate et cogitatione deliberate commissa censemus esse per se mala et posse esse gravissima, ea est quod omne peccatum *substantialiter* consistit in volitione mala et libera. *Atqui* neutra ex his rationibus valet, statuto atheismo. Etenim, si non est Deus, neque volitio libera possibilis est neque quidquam assignari potest, quod recte dicatur ita esse finem ultimum hominis, ut eo attento teneatur passiones refrenare. Unum enim, quod in hypothesi atheorum cum magna probabilitate haberi possit finis hominis, est mors; hanc autem homo passionibus indulgens accelerat potius quam retardat. *Ergo* . . .

143. *Arg. 2. (Ostenditur atheismum inducere ruinam ordinis socialis.)* Fundamenta convictus humani bene ordinati sunt: mutua fides, legum reverentia, in eo qui praeest amor iustitiae, in subditis obsequium erga auctoritatem, in omnibus amor boni publici ita efficax, ut superet amorem commodi privati. *Atqui* haec in atheorum republica perdurare non possunt. *Ergo* atheismus in praxim ubique deduci nequit, quin ordo socialis destruatur.

Prob. min. Atheismo admisso timor potestatis invisibilis atque omnia videntis tollitur, adimitur spes bonorum caelestium, aufertur metus poenarum vitae alterius. *Atqui* — experientia et historia testibus — timore Dei, spe gaudiorum et metu poenarum vitae alterius remotis vulgus hominum non horret cupiditatibus suis cum detrimento boni publici indulgere, fidem datam violare, leges infringere, auctoritate sibi commissa crudeliter abuti, potestati legitimae resistere et insidiari (cf. *Cicero,* De legibus lib. 2, cap. 7). *Ergo* . . .

Nota. Quod difficultates contra partem I. theseos attinet, haec imprimis notanda sunt: a) obici possunt, quae attulimus ad theses III et VII; b) argui potest contra universalitatem principii causalitatis, contra libertatem et spiritualitatem animae humanae, contra possibilitatem et cognoscibilitatem miraculorum. Ad has obiectiones solvendas relege *Frick,* Ontologia n. 300 sqq., de principio causalitatis; Psychol. rat. auct. n. 394 sqq., obi. contra

libertatem; n. 441 sqq., obi. contra spiritualitatem animae; *Haan,* Philos. nat. n. 114 sqq. 124 sqq., obi. contra miracula. Contra partem II. similia afferri solent atque ea, quae contra thesim IX attulimus. Praeterea in favorem atheismi aliquando haec proponuntur:

144. ***Obi. 1.*** Vera unitas scientifica requirit, ut formulam inveniamus, ex qua totus mundi cursus *a priori* explicetur. *Atqui* id fieri nequit Deo personali et libero admisso. *Ergo* eius fides obstat progressui scientifico.

Resp. *Nego mai.* Nam, priusquam de cognitionibus nostris in unitatem scientificam redigendis solliciti simus, ante omnia considerandum est, quid se nobis cognoscendum vere offerat. Iamvero consideratione hominis et consideratione mundi diligenter instituta evidens est homines esse liberos et exsistere Deum personalem et liberum. Quae cum ita sint, actum est de principio deductivo omnium factorum mundanorum.

145. ***Obi. 2.*** Monismus materialisticus vehementer suadetur lege illa continuitatis, secundum quam natura sine saltu a specie elementi transit ad speciem compositi, ab inanimato ad animatum, a planta ad brutum, a bruto ad hominem.

Resp. *Nego suppositum asserti,* illam legem *„Natura non facit saltus“* eo sensu veram esse, quod umquam ulla *species* inferior in *speciem* superiorem paulatim convertatur. Vera autem est eo sensu, quod *materia* formae specificae inferiori proportionata mutatione *naturali* non subito, sed gradatim ita alteratur, ut exigat formam specificam superiorem, quam tamen non ipsa materia inducit, quando agitur de transitu a non vivente ad vivens et de mutatione materiae organicae in carnem humanam, sed anima per organa materialia agens. Anima autem primae plantae et primi bruti non potuit oriri sine speciali Dei in materiam inanimatam influxu neque anima humana nisi divina ex nihilo creatione (cf. *Haan,* Philos. nat. n. 151, et Psychol. nat. auct. n. 502 sqq.). Etiam eo sensu est verum naturam non facere saltum, quod limites, quibus species corporum inter se distant, licet sint omnino definiti et constantes, tamen simul exsistunt cum miris similitudinibus genericis, id quod supposita exsistentia unius Dei personalis infiniti aliter se habere nequit, siquidem secundum monotheismum omnes creaturae sunt imitationes magis minusve perfectae summae essentiae divinae. Porro omnes sunt opera Dei pulcherrimi et sapientissimi, cui sane convenit suam pulchritudinem et sapientiam operibus suis manifestare, quod facit, cum magnam unitatem idealem efficit in magna varietate reali.

146. ***Obi. 3.*** Tum mundus anorganicus tum entia viventia subsunt legi aequivalentiae energiarum. *Ergo* nihil videtur exsistere nisi (ut cum L. Büchner loquar) *materia et vis* eaque sub diversis circumstantiis diversimode modificata.

Resp. *Dist. ant.:* Illa lex ad viventia *aliquatenus* applicabilis est, *conc. ant.*, viventia ei ita subsunt, ut in eam applicandam anima, qua informantur, non directive influat, *nego ant., nego cons.* Lex aequivalentiae in omnibus viventibus subest influxui directivo animae vegetativae; in animalibus praeterea sensus et appetitus eum sequens eius applicationem modificant; in homine autem saepissime ab electione voluntatis liberae pendet, utrum illa lex sub una an sub alia forma in ipso verificetur. Denique vita spiritualis hominis illi legi *directe* nullo modo subiacet, sed indirecte tantum propter dependentiam *externam* vitae intellectivae a modo, quo se habet vita vegetativa et sensitiva hominis (cf. Psychol. rat. auct. n. 99 sqq.).

Obi. 4. *Ex mente H. Spencer*, First Principles (ed. 2) p. 81: Nihil cognosco, nisi quatenus intelligo illud pertinere ad aliquod genus rerum mihi iam cognitum. *Atqui* Ens incondicionatum (sive Ens a se) ad nullum genus rerum mihi iam cognitum pertinet. *Ergo* illud non possum cognoscere.

Resp. *Nego mai.* Ea enim admissa prima cognitio esset impossibilis. *Dist. min.:* Ens incondicionatum in nullo genere mihi cognito continetur, *conc. min.*, nullius generis perfectiones in se praecontinet, *nego min.* Deus enim, ut infra (thesis XVI) ostendetur, omnium generum perfectiones vel formaliter vel eminenter praecontinet. Et quia eas perfectiones, quarum rationes obiectivae non includunt defectum, *formaliter* praecontinet, nomina harum perfectionum de eo *proprie* praedicandae sunt (cf. thesis XVII).

Art. 2.

De habitudine naturae humanae in concreto spectatae ad atheismum.

147. *Assertum 1. Homo, qui nullo defectu rationis laborat, quo ad principia contradictionis et causalitatis recte applicanda habitualiter minus aptus sit, per longum tempus nequit manere atheus negativus.*

Praenota ad huius asserti probationem:

Distinguuntur athei mere *practici* et athei *theoretici.* Athei mere practici Deum intellectu quidem agnoscunt, sed ita vi-

vunt, quasi Deus non exsistat; voluntate igitur et moribus eum non profitentur. Nemo negat huiusmodi atheos exsistere posse et de facto exstitisse, quare de iis nobis non est quaestio.

Athei autem theoretici iterum distinguuntur in negativos et positivos. Athei theoretici negativi intelliguntur homines, qui usu rationis pollentes Deum prorsus ignorant. Athei theoretici positivi sunt homines, qui usu rationis pollentes vel negant Deum exsistere vel Dei exsistentiam rem dubiam habent. Assertum nostrum, ut ex tenore eius patet, non spectat nisi possibilitatem existentiae atheorum negativorum. De atheis positivis asserto 2 agemus.

148. *Prob. assertum.* Ut homo, qualem supra descripsimus, sub notione Entis personalis mundum et vitam hominis regentis Deum exsistere iudicet, sufficit eum intelligere aliqua esse in mundo et in vita hominum, quae prudenter explicari nequeant, nisi supponatur tale Ens exsistere. *Atqui* homo, qualem tenore asserti nostri descripsimus, diu vivere nequit, quin id intelligat.

Prob. min. Ordo admirabilis rerum mundanarum et nostra aliorumque hominum ab eo ordine dependentia sensus nostros undique percellunt. *Atqui* haec sufficiunt, ut homo facile animadvertat admittendum esse Ens personale, homine et mundo superius. Hoc eo magis affirmandum est, quia homini naturale desiderium inest agnoscendi causas, nihilque ei magis familiare est quam ab opere speciem intelligentiae prae se ferente ad auctorem intelligentem concludere. Denique homo plerumque inter eos vivit, qui divinitatem colunt; quare exemplo horum excitatur, ut de prima rerum causa inquirat, si forte a puero eius fidem non habuit.

Confirmatur hoc ex Dei sapientia et bonitate.

Deus sapiens et bonus hominibus media sufficientia dat, quibus finem suum attingant. *Atqui* finis hominum est Deus, et primum medium, quo homo ratione utens indiget, ut in Deum modo naturae suae consentaneo se moveat, est cognitio Dei. *Ergo* Deus providet, ne homo hoc medio omnino careat.

Cf. Sap. 13, 1. Rom. 1, 19—23; 2, 14—17. *S. Thom.,* Contra gent. lib. 3, cap. 159. *Kleutgen,* Phil. schol. n. 225—232 incl. et n. 929. Dublin Review 1869, vol. II, p. 421 sqq. („Im-

plicit and explicit thaught'), et 1871, vol. I, p. 262—274, in articulo ‚Certitude in religious assent'.

149. *Assertum 2. Homo adultus rationis usu perfecto gaudens sua culpa ad eum statum mentis pervenire potest, in quo serio de exsistentia Dei dubitet sive evadat atheus positivus scepticus vel agnosticus.*

Ad probationem huius asserti recte aestimandam praenota nos nequaquam contendere omnem agnosticum sua culpa factum esse agnosticum, sed id tantum, non obstante summa evidentia, quae argumentis pro exsistentia Dei allatis secundum se consideratis propria est, fieri posse, ut aliquis homo, qui vim argumentorum iam sufficienter perceperit, circa eadem argumenta cum modum agendi *libere* teneat, quem recta ratio improbat, quo fiat, ut serio de exsistentia Dei dubitet *sua culpa,* i. e. *ob libertatis usum minus rectum.*

150. *Prob. assertum.* Exsistentia Dei est veritas a sensibus remota et, quamquam est veritas maxime evidens, tamen non est *immediate* evidens, sed *mediate;* porro in ea veritate practice agnoscenda homo sub certis condicionibus propter cupiditates perversas magnam patitur difficultatem; denique ea veritas a pluribus hominibus dotibus quibusdam naturalibus gradu excellenti praeditis saepius iam impugnata est.

Atqui talem veritatem non obstante magna eius evidentia homo serio in dubium vocare potest propter neglectionem deliberatam rationum, quibus eam inniti iam intellexit, consequenter *sua culpa. Ergo* homo adultus rationis usu perfecto gaudens sua culpa evadere potest atheus positivus scepticus.

151. *Prob. min.* Cum agitur de veritate tali agnoscenda, qualem exsistentiam Dei esse in *mai.* declaravimus, secundum ea quae in Psychologia exponuntur (cf. Psychol. rat. auct. n. 220 sq. 412) haec valent:

a) *Quamdiu* homo intellectum suum *actu* dirigit ad ipsam veritatem ex rationibus, quibus nititur, sibi evidentem, eam in dubium vocare nequit, quia voluntas non potest intellectum cogere ad id non intelligendum, *quod actu intelligitur, quamdiu actu intelligitur.*

b) Sed quoniam veritas, de qua agitur, sicut certis rationibus evidenter demonstratur, ita fallaciis non paucis im-

pugnari potest, homo vi voluntatis liberae mentem dirigere potest ad has fallacias solas considerandas et deliberate negligere rationes, quibus veritas firmatur. Quodsi ita agit, nihil obstat, quin specie veritatis, quae omnibus fallaciis adhaeret, seductus de veritate, quam evidenter cognoscere potuit, serio dubitet. *Ergo.*

152. *Assertum 3. Homo non videtur perversa sua voluntate efficere posse, ut sit per tempus notabile atheus positivus dogmaticus, i. e. ut* ***firmiter*** *opinetur non esse Deum.*

Homo enim naturaliter inclinatur in hoc, ut ex rebus mundanis consideratis quaerat, quae sit causa earum, naturaliter quoque opera intelligentiam manifestantia intelligenti tribuit auctori. *Atqui* naturam nemo exuere potest. *Ergo,* cum occasiones, quibus ad Ens mundo superius cogitandum excitamur, homini cuilibet passim obveniunt, ille, qui culpa sua evasit atheus positivus, in talibus occasionibus non potest impedire, quin formidet, ne suum de exsistentia Dei dubium careat ratione, cui prudenter acquiescere possit. Confirmatur hoc experientia antiqua et recentiori. Nam Plato testatus est de hominibus atheis antiquis: „Nullus eorum qui illam de diis opinionem a teneris annis susceperunt, quasi dii non essent, ab ea aetate ad senectutem usque perseveravit“ (De legibus lib. 10, p. 888), et Santhibal, atheus famosus saeculi XVII. querebatur neminem in sua secta dono perseverantiae gaudere, sed omnes tandem aliquando prope mortem resipiscere (cf. *Bayle,* Diction. Hist. et Crit., art. Bion., apud Liberatore, Inst. Phil. [ed. 1 novae formae] II, 459).

Liber II.

De essentia et proprietatibus Dei sive de attributis Dei absolutis quae dici solent.

153. *Praenotanda.* Praecipua ex iis quae essentiae divinae secundum se consideratae propria sunt, lib. I. iam breviter demonstravimus. Ostendimus enim Deum non solum esse Ens a se, sed etiam unum, infinitum, intellectum in se subsistentem (cf. coroll. ad thes. II, n. 48–50). Potissimum autem eo libro id egimus, ut exsistentiam Dei ut Entis absolute primi, supramundani, intelligentis clare demonstraremus et ab atheorum cavillationibus vindicaremus. Quo facto redeundum nobis est ad illas proprietates essentiae divinae maxime fundamentales, ut eas magis declaremus, uberius probemus, argumenta, quae contra ea orta sunt vel oriri possint, solvamus, ex iis alia Deo propria deducamus, errores magis notabiles in proprietatibus Dei explicandis decursu aetatum commissos explicemus et refellamus. Quae ut praestemus, hunc librum II. in capita quinque dividemus:

154. *Caput I.* De Dei essentia metaphysica.

Caput II. De attributis Esse divini, i. e. de iis Dei proprietatibus, quibus secundum nostrum intelligendi modum determinatur modus, quo Deus *est*. Quae attributa sunt: unitas, simplicitas, infinitas, immutabilitas, aeternitas, immensitas,

Caput III. De erroribus circa attributa Esse divini, qui sunt polytheismus, dualismus (Manichaeorum), pantheismus.

Caput IV. De attributis operationis divinae, i. e. de iis Dei proprietatibus, quibus secundum nostrum intelligendi modum determinatur modus, quo Deus operatur. Capita horum attributorum sunt: intellectus infinitus, voluntas absolute recta, vita beatissima, potentia infinita sive omnipotentia.

Caput V. De attributis respectus ideales Esse divinum consequentes exprimentibus, quae sunt: veritas summa, bonitas summa, pulchritudo summa, invisibilitas (intellectualis), incomprehensibilitas, ineffabilitas absoluta.

Caput I.

De essentia Dei metaphysica.

Art. unicus.

Quae Dei proprietas dicenda sit essentia Dei.

Thesis XII.

155. „Esse a se" est essentia Dei.

St. Q. I. *Recolenda de essentia rei finitae* (cf. *Frick,* Ontologia n. 66 sqq. *Grand-Claude,* Brev. phil. II, n. 355).

Essentia generatim intelligitur id, quo res est, quod est. Essentia rei finitae spectari potest adaequate et inadaequate. Quatenus adaequate spectatur, ea omnia et sola complectitur, quibus res aliqua finita constituitur *haec* substantia singularis ab omni alia diversa. Essentia ita considerata aliquando dicitur essentia rei physica. Possit etiam dici essentia individualis. Eam in nulla re perfecte cognoscere possumus, ut patet ex Psychologia (cf. Psychol. rat. auct. n. 133 sqq.).

Quatenus autem essentia rei finitae inadaequate spectatur, non complectitur nisi ea, quae concipi debent, ut res aliqua finita qua *res certi generis vel certae speciei concipiatur.* Essentiam ita consideratam dicimus essentiam rei metaphysicam.

156. Est igitur essentia metaphysica ipsa essentia physica rei vel minus vel magis universaliter concepta; unde inter illam et hanc non est distinctio nisi rationis cum fundamento in re. Essentia enim physica alicuius rei est id, quo res est, quod est *qua haec res individua;* essentia autem metaphysica eius est id, quo res est, quod est *qua res certi generis vel speciei.* Itaque qui essentiam metaphysicam alicuius rei intelligit, eo ipso *imperfecte* intelligit eius essentiam physicam.

Essentia metaphysica, quatenus exprimit principia speciei infimae (genus proximum et differentiam specificam) aliquando dicitur *essentia specifica rei* vel emphatice *essentia* sine ullo addito. Terminus essentiae secundum S. Thomam proprie nihil aliud significat, nisi quod nos diximus essentiam rei

metaphysicam (cf. *S. Thom.*, S. th. 1, q. 3, a. 3, c.; q. 29, a. 2 ad 3; Compend. theol. cap. 10; Quodlib. 2, q. 2, a. 4)[1].

De omni re finita pro diversitate essentiae metaphysicae eiusdem diversae praedicandae sunt proprietates sive attributa ei propria, unde haec dicuntur sequi essentiam rei.

157. II. *Notanda de essentia divina.*

Sicut essentia physica rei creatae complectitur ea omnia et sola, quibus res creata constituitur haec res creata; ita essentia physica Dei sive essentia Dei, prout a parte rei se habet, complectitur omnia Deo propria. Nam, ut postea videbimus, Deus est Ens simplicissimum, in quo neque *realis* neque *virtualis* compositio habeatur. Quare quodlibet Dei attributum *re* est unum cum omnibus aliis attributis divinis, idque ita, ut in conceptu eius *implicite* cetera attributa involvantur. Ob eandem summam simplicitatem suam Deus in nullo est genere; ex quo patet nos non posse de Deo loquentes *eo sensu* distinguere inter essentiam eius physicam et metaphysicam, quo in creaturis essentiam physicam a metaphysica distinximus.

158. Nihilominus ut ea, quae de Deo praedicanda sunt, cum ordine consideremus, quaerimus, quodnam inter omnia attributa divina sit illud, quod

a) *pro intellectu nostro* ad omnes essentias a Deo diversas simili modo se habeat, atque essentia specifica alicuius rei creatae se habet ad alias species eiusdem generis; et quod b) *pro intellectu nostro* similiter sit radix proprietatum ceterarum Dei, atque essentia specifica creaturae secundum fundamentum suum reale considerata est radix proprietatum, quae de creatura praedicandae sunt. Hoc attributum fundamentale vocamus „essentiam metaphysicam“ vel emphatice „essentiam“ Dei, illudque esse id, quod concipimus, cum dicimus *esse a se,* thesi asserimus.

III. Doctrina theseos est eadem atque ea, quam tradidit S. Thomas, cum de Deo loquens diceret: *„Sua essentia est*

[1] Quod terminologiam attinet, notandum videtur esse aliquos, qui essentiam physicam dicant essentiam metaphysicam per partes physicas definitam. Secundum hos igitur essentia physica hominis est homo ut substantia composita ex materia et anima spirituali.

suum esse" (S. th. 1, q. 3, a. 4, c. § *„Secundo"* sub fin.), ad quem locum referens (ibid. q. 4, a. 2, c., § *„Secundo vero"*) Deum definivit *„ipsum esse per se subsistens"* vel *„suum esse subsistens"* (ib. q. 7, a. 1, c. sub fin.), cui esse creaturae opponit ut *„esse receptum in aliquo"*, i. e. secundum nostrum intelligendi modum receptum in aliqua essentia per se mere intelligibili eo ipso, quod haec essentia ex nihilo a Deo creatur (cf. ib. q. 45, a. 2 ad 2). Qui ita loquitur, sane nihil aliud docet quam essentiam divinam consistere in esse Deo ita proprio, ut Deus sine eo ne *intelligi* quidem possit, i. e. in *esse a se,* essentiam autem creaturae *generice spectatam* in *esse, quod ei non absoluta necessitate proprium sit, sed sit per se esse in alio intelligibile et ab alio effectibile.*

159. IV. Apud scholasticos S. Thoma posteriores de essentia Dei variae ortae sunt sententiae. Quidam enim essentiam Dei reposuerunt in *infinitate,* quam alii intellexerunt *extensivam* sive cumulum omnium, quae esse possunt, perfectionum; alii *intensivam,* vi cuius, quidquid in Deo est, fine caret; alii *radicalem,* quae est exigentia divini esse, ut omnes perfectiones easque summo gradu possideat.

Quidam hanc essentiam in *intellectivo* collocarunt, quod alii intellexerunt *radicale* sive exigentiam divini esse, ut possideat intellectum, qui omnia intelligendo attingat eo ipso, quod sunt intelligibilia; alii *intellectivum in actu primo* sive Deum, secundum quod facultate intelligendi praeditus est, statuerunt essentiam Dei; aliis visum est *intellectivum divinum in actu secundo,* i. e. Deum, secundum quod est summe et actualissime intelligens, recte dici essentiam Dei (cf. *Hontheim,* Theodicaea n. 480. *Lahousse,* Theol. nat. n. 120 sqq.).

160. *Probatur thesis ex notione essentiae metaphysicae.* Illud attributum divinum dicendum est essentia Dei, quo

1. Deus pro intellectu nostro simili modo distinguitur ab omnibus rebus finitis, atque res aliqua finita sua essentia specifica distinguitur ab omnibus aliis rebus eiusdem generis proximi sed diversae speciei; et ex quo

2. cetera attributa divina simili modo explicantur, sicut attributa rei finitae propria explicantur ex eius essentia specifica.

Atqui attributum his duabus notis excellens est id, quod concipimus, cum dicimus *esse a se*. *Ergo esse a se* est essentia Dei.

Prob. min. p. partes.

1. Sicut essentia specifica alicuius rei finitae complectitur rationem huic rei cum aliis rebus eiusdem generis *univoce* communem et differentiam specificam, qua ab aliis rebus eiusdem generis sed diversae speciei fundamentaliter differt; ita *esse a se* complectitur rationem Deo cum omnibus entibus finitis *analogice* communem simulque exhibet illum modum essendi, quo Deus a re finita fundamentaliter differt. Nam omnis res finita secundum solam essentiam suam considerata *est* (scl. ut aliquid in Deo intelligibile et a Deo factibile), sed *non est a se* (scl. vi essentiae suae nullum esse proprium possidet, sed, si formaliter est in se, a Deo est ut a causa esse eius efficiente).

2. Qui essentiam specificam rei finitae perfecte intelligit, ex ea *a priori* potest reddere rationem eorum, quae de ea re in specie considerata praedicanda sunt. Simili modo, qui perfecte intelligit, quid conceptu *Entis a se* contineatur, ex hoc conceptu cetera attributa divina demonstrare potest, ut ex capitibus sequentibus huius libri apparebit; neque de hac re apud eos, contra quos hoc loco disputamus, facile dubitatur. Ex alia parte *esse a se* ex nullo alio attributo divino ab intellectu humano *deducitur*, licet ab eo cognosci possit illud in aliis attributis divinis *includi*. Ratio, cur illud ab intellectu humano ex nullo alio attributo divino *deduci* possit, ea est, quod ipsum est primum, quod de Deo, ut in se est, cognoscimus. Nam, si ex nobis quaerimus, quid primae rerum causae improductae in se consideratae exclusive proprium sit, *primum responsum* est: non habere causam sive esse a se. *Ergo esse a se* pro intellectu nostro est radix ceterorum attributorum divinorum.

161. *Corollarium. Ergo „Deus est Ens a se“* (sive, quod substantialiter est idem, *esse irreceptum, suum esse subsistens*) est *quasi* definitio Dei, in qua *Ens* correspondet generi proximo et *a se* differentiae specificae aliarum definitionum. Itaque *aseitas* recte dicitur *constitutivum essentiae divinae,* quatenus constitutivum alicuius naturae sive essentiae illud vocatur, quod concipitur ut primum, quo ea essentia ab omnibus aliis distinguatur et ut radix omnium eius proprietatum.

162. ***Obi. 1.*** Sicut nullius rei finitae essentia satis definitur, cum dicitur esse „ens ab alio“; ita ne Dei quidem essentia declaratur, cum dicitur esse „Ens a se“. *Ergo esse a se* non est essentia Dei.

Resp. *Nego ant. et cons.* Quamquam enim nullius rei finitae essentia secundum suam ab aliis essentiis finitis distinctionem satis definitur, cum dicitur „ens ab alio“, tamen hoc modo satis definitur, quatenus distinguitur a Deo. Dei autem essentia non est definienda, secundum quod distinguatur ab aliis essentiis divinis, quia non potest esse nisi una essentia divina. Est igitur definienda, secundum quod ab essentiis rerum finitarum distinguitur, et sub hoc respectu clare definitur, cum dicitur „Ens a se“.

163. ***Obi. 2.*** Ratio, quae tamquam Deo cum creaturis analogice communis in definitione Dei ponitur, correspondere debet generi proximo aliarum definitionum. *Atqui* huic non correspondet „ens“, licet sumatur pro ente *simpliciter* sive substantia. Nam sic acceptum potius correspondet generi remotissimo. Generi autem proximo correspondere videtur „intelligentia“ sive „spiritus“. *Ergo* Deus potius definiendus est „Intelligentia a se“ quam „Ens a se“.

Resp. *Conc. mai., nego min. et cons.* Nam cum Deus definiendus sit, secundum quod ei non solum cum substantiis *spiritualibus,* sed cum *omnibus* substantiis contingentibus aliquid commune est et aliquid aliud proprium, ens acceptum pro ente *simpliciter* revera generi proximo correspondet et *a se* differentiae specificae.

164. ***Obi. 3.*** Id in quavis re ut essentia eius consideratur, ex quo omnia, quae huic rei propria sunt, intelliguntur. *Atqui* omnia, quae Deo propria sunt, ex eius infinitate intelliguntur. *Ergo* haec est essentia Dei.

Resp. *Dist. mai.:* . . . ex quo ea omnia intelliguntur *ut ex radice, conc. mai.,* . . . ex quo ea omnia intelliguntur *quomodocumque, nego mai., contrad. min., nego cons.* Ipsa infinitas Dei a nobis intelligitur ex aseitate; aseitas autem ante quodvis aliud attributum *exclusive* divinum.

Obi. 4. In eo non potest reponi essentia Dei, quocum stare potest pantheismus. *Atqui* cum „esse a se“ hic videtur stare posse, quia in omnibus systematis pantheisticis agnoscitur „Ens a se“. *Ergo* . . .

Resp. *Dist. mai.:* . . . quocum *logice* evoluto stare potest pantheismus, *conc. mai.,* quocum *arbitrarie* explicato stare potest,

nego mai., nego min., ad rationem min. „esse a se“ in systematis pantheisticis agnoscitur *aliquatenus, conc. ass.*, agnoscitur secundum omnia, quae ex eius conceptu logice deduci debent, *nego ass., nego cons.*

Caput II.

De attributis esse divini.

Art. 1.

De unitate Dei.

Thesis XIII.

165. **Non est nisi unus Deus.** (Cf. *S. Thom.*, Contra gent. lib. 2, cap. 42; S. th. 1, q. 11, a. 3. *Suarez*, Metaph. disp. 29, sect. 2.)

St. Q. Id quod concipimus, cum de essentia metaphysica alicuius rei huius mundi aspectabilis cogitamus, v. g. de essentia metaphysica hominis, non exsistit ut una res indivisa, sed ut multae res diversae. Iam quaeritur, num essentia divina sive *„esse a se“* similiter exsistat. Suntne plures dii a se exsistentes, sicut sunt plura entia humana, an exsistit unum tantum Ens divinum? Hoc alterum asserendum esse affirmatur thesi, de cuius ad mysterium SS. Trinitatis habitudine infra scholio dicemus.

Quod modum probationis attinet, argumenta pro unitate Dei desumimus ex necessitate exsistentiae divinae. Plures auctores alium probandi modum tenent. Etenim infinitatem Dei ante eius unitatem probare conantur, deinde unitatem non solum ex necessitate exsistendi, sed etiam ex infinitate Dei ostendere nituntur. Mihi videtur infinitas Dei facilius demonstrari demonstrata prius unitate, quamquam non existimo hanc solam viam esse, quae iniri possit, ut de infinitate Dei philosophice evidenter constet, licet hoc aliquando opinatus sim [1].

Potest enim infinitas etiam directe ex aseitate et simplicitate demonstrari et dein ex infinitate unitas (cf. infra thes. XV, part. II, B, n. 200).

---

[1] Cf. Natural Theology, inter „Manuals of Catholic Philosophy“, London 1891, p. 465 sq.

166. *Probatur thesis modis pluribus ex absoluta necessitate exsistentiae divinae.*

Arg. 1. Deus, quia est *Ens a se,* est ens absoluta necessitate exsistens. *Atqui* unum tantum ens absoluta necessitate exsistere potest. *Ergo* non est nisi unus Deus.

Prob. mai. Ens a se vi essentiae suae exsistit. *Atqui* ens non absoluta necessitate exsistens sive ens contingens quod dicitur vi essentiae suae est mere intelligibile quid. *Ergo Ens a se* nequit esse ens contingens et consequenter est ens absoluta necessitate exsistens.

Prob. min. Si essent plura entia absoluta necessitate exsistentia, ea convenirent in ipsa hac necessitate exsistendi et differrent individualitate sua; unde essent plura individua divisim exsistentia eiusdem naturae absoluta necessitate exsistentis; aliis verbis: natura absoluta necessitate exsistens in ea hypothesi esset natura universalis. *Atqui* hoc sibi repugnat. *Ergo* unum tantum ens absoluta necessitate exsistere potest.

Prob. min. ult. Nulla natura est universalis secundum esse suum exsistens (cf. *Frick,* Logica n. 352 sqq.). Consequenter sibi repugnat eam naturam esse universalem, quae est suum esse exsistens. *Atqui* natura absoluta necessitate exsistens est suum esse exsistens, quia ei nihil inesse potest, quod sit a causa aliqua acceptum, cum ipsa sit ens non causatum. *Ergo* sibi repugnat hanc naturam esse universalem.

167. *Arg. 2.* Natura essentialiter singularis non potest multiplicari in pluribus entibus. *Atqui* natura divina est essentialiter singularis. *Ergo . . .*

Prob. min. Omnis natura qua natura actu exsistens est essentialiter singularis. *Atqui* natura divina non recte concipitur, si ita concipitur, ut non apprehendatur qua natura actu exsistens. *Ergo . . .*

Arg. 3. (Cum *S. Thoma,* Contra gent. lib. 1, cap. 42): „Esse proprium cuiuslibet rei est tantum unum. Sed Deus est esse suum. Impossibile igitur est esse nisi unum Deum."

168. *Arg. 4.* (Cum *S. Thoma,* S. th. 1, q. 11, a. 3): „Illud, unde aliquid singulare est hoc aliquid, nullo modo est multis communicabile. Illud enim, unde Socrates est homo, multis

communicari potest; sed id, unde est hic homo, non potest communicari nisi uni tantum. Si ergo Socrates per id esset homo, per quod est hic homo, sicut non possent esse plures Socrates, ita non possent esse plures homines. Hoc autem convenit Deo; nam ipse Deus est sua natura. Secundum igitur idem est Deus et hic Deus. Impossibile est igitur esse plures deos."

Ad vim huius argumenti perspiciendam haec observa: Natura humana sive humanitas, per quam Socrates est homo, propterea multiplicabilis est, quia *secundum se considerata* non est nisi typus idealis, qui in multis exsistentiis realibus divisim et modis diversis per causam creantem et generantem, ut ita loquar, *realisari* potest. Itaque, quamquam homo, *ut est in Socrate,* non est multiplicabilis, tamen obiectum ideale conceptus hominis, cuius Socrates est una determinata et individua realisatio, si cum abstractione a modo, quo vel in Socrate vel in aliis individuis humanis actuatur, secundum se concipitur, revera dici debet toties secundum exempla actualia sui multiplicari, quoties oritur novus homo. Recte igitur cum Aquinate in Socrate distinguimus typum humanitatis idealem et ideam obiectivam *huius* individualitatis et dicimus: *Per aliud Socrates est homo, per aliud Socrates.* Est enim *homo,* i. e. *aliquod* exemplum reale typi idealis humanitatis, eo, quod secundum eum typum per causas esse ipsius actuatus est; est autem *Socrates,* i. e. *hic* potius quam *alius* homo individuus, eo, quod praeter typum idealem humanitatis ideam obiectivam *huius* potius quam *alius* individualitatis humanae exsistentia sua actuali exprimit sive verificat.

Sed natura divina non potest recte concipi ut typus idealis per causam aliquam in pluribus exemplis actuabilis; sed necessario concipienda est ut natura actualis et consequenter ut *haec* natura divina sive ut natura divina *singularis haec et nulla alia.* Itaque cum Deus sit Deus eo, quod in ipso actualiter est natura divina, neque possit natura divina alio modo actualiter esse nisi uno modo ei *qua essentiae* proprio, cum S. Thoma dicendum nobis est: *Deus secundum idem est Deus et hic Deus.*

169. *Arg. 5.* (Cf. *S. Thom.,* Contra gent. lib. 1, cap. 42, § ‚Amplius illud, in quo differunt', imprimis p. II. huius §).

Non possunt esse plura entia absolute necessaria. *Ergo* non est nisi unum; consequenter non est nisi unus Deus.

Prob. ant. Plura entia absolute necessaria, si sunt, inter se realiter diversa sunt. Porro diversitas eorum realis aut

oritur ex ipsa exsistendi necessitate, quae singulis inest, aut ex aliquo, quod huic essendi necessitati superadditum est (secundum rationem eam sequitur). *Atqui* neque illud neque hoc dici potest. *Ergo* plura entia absolute necessaria, quae supposuimus, nullo modo realiter ab invicem diversa sunt; consequenter non possunt esse plura entia absolute necessaria ab invicem divisa.

Prob. min. ult. p. partes.

1. Ipsa essendi necessitas est de conceptu naturae absolute necessariae. *Atqui* quod est *de conceptu* alicuius naturae, non potest esse ratio, cur ipsa diversimode exsistat, quia modi diversi exsistendi cuiuslibet naturae sunt *extra conceptum* eius. *Ergo* diversitas plurium entium absolute necessariorum non potest oriri ex ipsa exsistendi necessitate.

2. Id quod exsistendi necessitati in pluribus entibus necessariis tamquam ratio diversitatis realis eorum supperadditum esse assumitur, aut est a causa singulis externa aut resultat ex natura necessaria unicuique propria. *Atqui* non potest esse a causa singulis externa, quia exsistentiae entis absolute necessarii non est causa; neque potest resultare ex essendi necessitate unicuique propria, quia necessitas absoluta exsistendi nihil aliud significat nisi naturam, quae non possit non exsistere, et quae consequenter (cum omne ens exsistens qua tale sit unum singulare), non possit non esse natura singularis.

170. *Confirmatur unitas Dei ex ordine mundi.*

Thesi VII. demonstravimus in hoc mundo esse ordinem formaliter teleologicum multiplicem, cuius auctor supremus sit *Ens a se* sive Deus. *Qua demonstratione supposita ita arguimus:*

Systemata rerum huius mundi ita inter se connectuntur, ut constituant unum mundum totalem pulcherrimum. *Atqui* hac unitate rerum tot tamque diversarum quasi manuducimur ad supponendum unum supremum mundi auctorem, unum *Ens a se*. *Ergo* unitas huius Entis metaphysice iam demonstrata ordine mundano *positive* commendatur; pro multiplicitate autem *nulla* ratio afferri potest.

Nota. J. S. Mill, „Essays on Religion“ p. 132 sq., affirmat unitatem auctoris mundani esse unicam hypothesim, ordini mundano consentaneam.

171. ***Obi. 1.*** Deus est beatus. *Atqui* Deus unus non potest esse beatus, quia ad beatitudinem societas entis aequalis multum confert. *Ergo* . . .

Resp. *Conc. mai., nego min., ad rationem min. dist. ass.:* Cum agitur de beatitudine entis sibi non sufficientis, *transeat,* vel *subd. ass.:* quamdiu hoc ens fini suo ultimo nondum unitum est et consequenter non potest frui beatitudine perfecta, sed imperfecta tantum, *conc. ass.,* cum fini suo ultimo iam unitum est, *nego ass.;* cum agitur de beatitudine Dei sibi plenissime sufficientis, *nego,* donec probas, vel *iterum subd. ass.:* eius beatitudo non est absolute perfecta absque socio a substantia singulari divina realiter distincta et ei aequali, *nego ass.,* ipsi substantiae divinae non potest inesse beatitudo sine aliqua societate aequalium ei interna et cum ea realiter identica, *conc. ass., nego cons. Explico resp.* Ens rationale creatum, quamdiu finem suum, qui est Deus, nondum attigit, non potest ulla re perfecte beari; ad beatitudinem autem imperfectam, cuius capax est, socius ei aequalis multum conferre potest, tum gratulando ei de statu eius, tum opem ferendo, ne de statu felicitatis excidat. Sed cum ens rationale creatum finem iam attigit, beatitudo eius absque ullo socio aequali *substantialiter* perfecta est. Quod autem Deum attinet, postea explicite probabimus eum in se solo esse infinite beatum. *Modum* huius beatitudinis philosophice amplius exhibere non possumus. Sed revelatione supernaturali edocti sumus unam indivisam substantiam divinam beatissimam realiter identicam esse tribus personis divinis inter se aequalibus. Quare verum est beatitudinem divinam non esse neque posse esse absque societate aequalium, sed *est absque societate entis ab uno Deo diversi eique aequalis.*

172. ***Obi. 2.*** Cum de Deo non possit praedicari unum, quod est principium numeri, de eo praedicandum est unum, quod convertitur cum ente. *Atqui* hoc importat privationem, et privatio non potest de Deo praedicari. *Ergo* . . . (cf. *S. Thom.,* S. th. 1, q. 11, a. 3, obi. 2).

Resp. *Conc. mai., dist. min.:* Secundum modum significandi, *conc. min.,* secundum rem significatam, *nego min.* et *cons.*

Insto. Licet unum non importet *privationem,* saltem importat *defectum* aliquem, quia, quod est unum, non potest realiter identificari cum perfectionibus rerum omnium.

Resp. *Nego ass., ad rationem add. dist. ass.:* . . . neque potest eas *eminenter* in se continere, *nego ass.,* . . . attamen, si unum illud, de quo agitur, est Ens primum, a se exsistens, perfectiones omnium *eminenter* continet, *conc. ass.*

173. ***Obi. 3.*** Multiplicatio alicuius perfectionis eam non minuit in singulis entibus, quae ea perfectione perfecta sunt. *Ergo* plura entia possunt esse perfecta perfectione infinita. *Atqui* plura entia perfectione infinita perfecta sunt plures dii. *Ergo* possunt esse plures dii.

Resp. *Dist. ant. mai.:* . . . neque est *signum* perfectionem multiplicatam secundum se consideratam esse mere possibile quid et essentialiter finitum, *nego ant. mai.*, . . . attamen est *signum contingentiae et finitatis perfectionis multiplicatae, conc. ant. mai., nego cons. mai., conc. min., nego cons.* Cum dependentia a causa sit magna imperfectio, perfectio infinita non potest esse nisi perfectio a se exsistens, perfectio autem a se exsistens manifesto nequit esse nisi realiter una, ut probavimus.

Obi. 4. Exsistit secundum monotheistas unus Deus potentiae infinitae. *Atqui,* qui hoc supponit, admittere debet possibilitatem multorum deorum. *Ergo* saltem possibile est esse multos deos.

Prob. min. Unus Deus potentiae infinitae efficere potest ens infinitum. *Atqui* ens infinitum est Deus. *Ergo,* qui admittit esse unum Deum potentiae infinitae, admittere debet possibilitatem multorum deorum.

Resp. *Conc. mai., nego min. et cons., ad prob. min. nego mai.,* quia ens infinitum, quod sit effectum, sibi intrinsecus repugnat, utpote quod esset summe independens in essendo *qua ens infinitum,* summe autem dependens *qua ens effectum.*

174. ***Obi. 5.*** Pro vero habendum est, quod maxima pars generis humani constanter iudicavit verum esse. *Atqui* maxima pars generis humani constanter iudicavit esse plures deos. *Ergo* . . .

Resp. *Dist. mai.:* . . . nisi agitur de opinione principiis rationis manifeste contraria vel ad fontem fallacem reducibili, *conc. mai.,* secus, *nego mai.,* . . . *dist. min.:* plures deos *veros* sive plura entia divina a se exsistentia, *nego min.,* plura entia supramundana cultu substantialiter eodem veneranda, *trans. min., nego cons.* (cf. quae ad similem obi. diximus supra n. 132).

Nota. Obiectiones, quibus ex malis mundi pro dualismo Manichaeorum arguitur, vide ad th. XXII, n. 250 sqq.

175. *Schol. 1. Unitas Dei et mysterium SS. Trinitatis.* Non licet dicere tres personas divinas, quibus secundum fidem revelatam una natura divina communis est, esse tres deos, sicut tres personae humanae, quibus una natura humana communis est, sunt tres homines. Nam tribus personis divinis communis est natura divina *realiter* (i. e. in ordine exsisten-

tiae actualis) eadem; tribus autem personis humanis communis est natura humana, quae una est *ratione*, ita tamen, ut haec unitas in similitudine essentiali, quae est inter naturas humanas singulares, *realiter fundetur*. „*In tribus suppositis humanae naturae*“, inquit Angelicus, „*sunt tres humanitates, in tribus autem personis* (divinis) *est una divina essentia*“ (S. th. 1, q. 39, a. 3, c.); ibid. a. 4 dicit: „Unitas sive communitas humanae naturae non est *secundum rem*, sed solum *secundum considerationem*“, scl. secundum considerationem in similitudine reali naturarum humanarum singularum fundata. Idem S. Doctor (S. th. 1, q. 13, a. 9) dixit: „Natura humana communis est multis *secundum rem et rationem*.“ Ut contradictio *apparens* inter hunc locum et illum prius allatum tollatur, debes illud „*secundum rem*“ in priore loco interpretari „*realiter*“, in posteriore „*cum fundamento in re*“ (cf. *S. Thom.*, Sent. I, dist. 2, q. 1, a. 3, § „Unde sciendum, quod ipsa conceptio etc.“).

176. *Schol. 2. Deus est* ***maxime*** *unus* (cf. *S. Thom.*, S. th. 1, q. 11, a. 4). Res est una eo, quod est ens actu indivisum. Consequenter eo magis est una, quo magis est ens sive quo plus *esse* includit, et quo magis esse eius opponitur omni divisioni physicae et mentali sive omni praecisioni perfecte obiectivae (cf. *Frick*, Logica n. 331). *Atqui* Deus est maxime ens, quia includit omne *esse qua tale*, cum sit ens infinitum; porro eius *esse* maxime opponitur omni divisioni physicae et mentali, cum sit summe simplex.

Iam accuratius ostendendum est Deum esse vere ens summe simplex et infinitum, id quod praestabimus duobus articulis proximis.

Art. 2.

De summa Dei simplicitate.

Thesis XIV.

177. **Deus non solum respective, sed etiam absolute, physice et metaphysice summe simplex est.**

St. Q. I. Simplicitas opponitur compositioni. Compositio autem potest esse vel realis (physica) vel virtualis (meta-

physica). Compositio realis sive physica habetur, cum aliquid unum ex pluribus actu a parte rei distinctis oritur. Habetur autem compositio virtualis sive metaphysica, cum ea, quae a parte rei sunt unum idemque, conceptibus exprimuntur, quorum rationes obiectivae inter se totaliter differunt et ita se habent, ut una per alteram in ordine ideali compleatur tamquam potentia per actum suum [1].

178. II. Iam quod defectum simplicitatis in rebus creatis attinet, haec notanda sunt:

a) Omnes substantiae creatae *virtualiter* componuntur ex essentia et esse. Nam earum essentia concipi potest ut non realiter exsistens, utpote quae non exsistat nisi vi voluntatis divinae liberae. Comparatur igitur essentia omnis substantiae creatae ad esse eius sicut potentia ad *actum, quem non habeat nisi contingenter,* cum *ipsa essentia secundum se non sit nisi ratio aliqua obiectiva finita in essentia Dei infinita ut imitatio eius imperfecta intelligibilis, cui conveniat per se esse, si Deus velit.* Cf. *S. Thom.,* S. th. 1, q. 3, a. 5 ad 1, et ibid. q. 7, a. 2 ad 1, quo loco S. Doctor dicit: „Hoc est *contra rationem facti, quod essentia rei sit ipsum esse eius.*" Clarius non potuit dicere se intelligere essentiam mere possibilem, cum de rerum ex essentia et esse compositione loquatur (cf. quae de hac re ex S. Thoma attulimus Psychol. rat. p. 262 sq.). Consistit igitur haec compositio in eo, quod exsistentia rei finitae *conformatur* essentiae eius a Deo praeconceptae.

---

[1] Non est confundenda distinctio virtualis cum compositione virtuali. Ubi habetur compositio virtualis, ibi habetur etiam distinctio virtualis, sed non vice versa. Nam distinctio virtualis, prout plerumque intelligitur, est omnis distinctio rationis ratiocinatae sive rationis in re fundata, compositio autem virtualis non habetur, nisi quando ea, quae sensu strictiori virtualiter distinguuntur, a parte rei *non absoluta necessitate,* sed *contingenter* tantum sunt *hoc unum realiter exsistens.* Ita ex theologia dogmatica constat inter paternitatem divinam et essentiam divinam haberi distinctionem virtualem, quamquam Deus Pater nullo modo virtualiter componitur ex essentia divina et paternitate. Sed in homine Petro habetur distinctio virtualis inter animalitatem et rationalitatem, et homo Petrus virtualiter ex illa et hac componitur. Itaque, ut aliquod ens sensu strictissimo sit vere simplex, excludat necesse est et physicam et metaphysicam compositionem.

179. b) Omnes substantiae creatae *virtualiter* componuntur ex genere et differentia specifica.

c) Omnes substantiae corporeae *virtualiter* componuntur ex specie et individualitate.

d) Ut ex mysterio Incarnationis theologice constat, homo naturaliter exsistens *virtualiter* componitur ex natura singulari et personalitate.

e) Omnes creaturae secundum concretum exsistendi modum consideratae *realiter* componuntur ex substantia et accidentibus.

f) Omnia corpora *realiter* componuntur ex principio specificabili (materia) et principio specificante (forma).

g) Omnia corpora, quatenus considerantur ut entia, quae ad extensionem formalem ordinem habent, pluralitatem partium integrantium continent, quarum una *realiter* non est alia.

180. Omnes has compositiones a Deo alienas esse parte I. theseos asseritur eo ipso, quod affirmatur Deum esse physice et metaphysice summe simplicem *respective,* i. e. magis quam ulla creatura.

Parte II. insuper statuitur utramque simplicitatem in Deo esse *absolute* summam, scl. ab eo non solum excludi eas compositiones reales et virtuales, quae ex creaturis nobis notae sunt, sed etiam omnes alias, si quae forte possibiles sint nobis ignotae.

181. Pars I. Deus est summe simplex respective.

a) In Deo non est aliud esse quam essentia (*S. Thom.,* S. th. 1, q. 3, a. 4).

Arg. 1. (Ex conceptu Dei ut Entis a se.)

Nihil, quod ad essentiam divinam pertinet, potest concipi nisi ut absoluta necessitate exsistens, quia Deus est *Ens a se. Atqui,* quod non potest concipi nisi ut absoluta necessitate exsistens, non solum *re* est idem cum sua essentia, sed etiam *ratione* ab ea separari nequit. *Ergo* essentia divina neque realiter neque virtualiter cum suo esse componitur, et consequenter in Deo non est aliud esse quam essentia.

Arg. 2. (Ex conceptu Dei ut causae primae.) Omnis res, quae virtualiter componitur ex essentia et esse, est res effecta. *Atqui* Deus, utpote causa prima, non est res effecta. *Ergo* . . .

Prob. mai. Res, quae virtualiter componitur ex essentia et esse, secundum essentiam suam solam sive secundum se non est nisi in ordine ideali, neque est aliquod ens actualiter exsistens nisi condicionate, scl. si Deus velit. *Atqui,* quod secundum se non est nisi in ordine ideali, non potest in essentia sua habere rationem sufficientem esse sui actualis. *Ergo* res, quae virtualiter componitur ex essentia et esse, in essentia sua non habet rationem sufficientem esse sui actualis; consequenter, si exsistit, exsistit per causam efficientem sive est res effecta.

182. *b) In Deo non est compositio virtualis ex genere et differentia specifica, sive Deus in nullo est genere* (cf. *S. Thom.,* S. th. 1, q. 3, a. 5).

Praenota ad argumenta: Cum duplici modo aliquid possit esse in genere: α) simpliciter et proprie ut species eius; β) reductive vel ut principium eius vel ut privatio perfectionis ei generi propria, Deum neutro posse esse in genere cum S. Thoma ostendemus.

α) *Deus non est proprie in aliquo genere.*

Arg. 1. (Ex essentia Dei metaphysica.)

Deus, cum sit *Ens a se,* aut est in genere entis aut in nullo est genere. *Atqui* in genere entis esse non potest, quia ens non est genus. *Ergo* in nullo est genere.

Prob. ratio min. Omne genus habet differentias, quae sunt extra conceptum eius obiectivum. *Atqui* ens nullas habet differentias, quae non sint concipiendae ut ens. *Ergo* repugnat ens esse genus.

Arg. 2. (Ex absoluta necessitate exsistendi Deo propria.)

Essentia nulla potest concipi ut genus, nisi quae contingenter exsistit. *Atqui* Dei essentia absoluta necessitate exsistit. *Ergo* non potest concipi ut genus.

Prob. mai. Id quod praedicatur ut genus, debet esse pluribus rebus commune. *Atqui* essentia, quae non contingenter, sed absoluta necessitate exsistit, eadem necessitate est *haec* res individua et nulla alia, et consequenter non potest esse pluribus rebus communis. *Ergo* . . .

β) *Deus non potest reduci ad ullum genus.*

Ut Deus reducatur ad aliquod genus, aut ut principium aut ut privatio ad id reducatur necesse est.

Atqui non potest ut principium ad id reduci, quia est principium *totius esse* et consequenter excedit *singula* genera essendi; neque potest ut privatio ad ullum genus reduci, quia *eminenter* continet perfectiones *omnium* generum.

183. *c) In Deo non est compositio ex natura specifica et individualitate, sive Deus est sua natura* (cf. *S. Thom.*, S. th. 1, q. 3, a. 3).

In re, quae non potest exsistere nisi ut unum ens in se absolutum, non potest esse compositio ex natura specifica et individualitate. *Atqui* eiusmodi res est Deus (thes. XIII). *Ergo* . . .

d) In Deo non est compositio ex natura singulari et personalitate.

Res, quae componitur ex natura singulari et personalitate, essentialiter est eiusmodi, ut eius naturae non repugnet uniri supposito ipsa altiori. *Atqui* Deo non potest esse suppositum altius, quia ipse est res summa, et consequenter eius natura non potest uniri supposito altiori. *Ergo* . . .

184. *e) In Deo nulla sunt accidentia* (*S. Thom.*, S. th. 1, q. 3, a. 6).

Ens, in quo sunt accidentia, qua actus substantialis primus est in potentia ad actum ulteriorem secundarium. *Atqui* Deus nequit esse in potentia ad aliquem actum secundarium, quia ipse est unicum *Ens a se*. *Ergo* . . .

Prob. min. Si in Deo, unico Ente a se, sunt accidentia, ea aut effecta sunt activitate naturae divinae aut (creatione rerum supposita) activitate naturae creatae. *Atqui* illud prius repugnat, quia nihil per se solum se movere potest de potentia subiectiva ad actum ulteriorem (cf. n. 42 sq.); alterum repugnat, quia nulla res in alia efficere potest id, ad quod efficiendum non potest esse apta nisi per rem, in qua dicitur id efficere.

f) Substantia divina non est composita ex actu reali (forma) et potentia reali (materia) (*S. Thom.*, S. th. 1, q. 3, a. 2).

Cum nulla essentia in se incompleta per se solam se complere possit ita, ut habeat actum sibi consentaneum; actus substantialis et potentia substantialis non potest esse nisi in ente effecto. *Atqui* Deus non est ens effectum, sed causa prima efficiens. *Ergo* . . .

g) Deus non est formaliter extensus (*S. Thom.,* S. th. 1, q. 3, a. 1).

Deus qua creator animae rationalis (thes. III) est substantia intellectualis sui conscia. *Atqui* substantia intellectualis sui conscia non potest esse formaliter extensa, id quod probavimus in Psychologia (cf. Psychol. rat. n. 430 sqq.). *Ergo* . . .

185. Pars II. Deus est summe simplex *absolute.*

Ens, in quo ne metaphysica quidem compositio ulla esse potest, est summe simplex *absolute. Atqui* in Deo ne metaphysica quidem compositio ulla esse potest. *Ergo* . . .

Prob. min. In eo ente nulla potest esse compositio metaphysica, de quo nihil praedicari potest, quod non absoluta necessitate sit unum idemque cum eius essentia. *Atqui* de Deo nihil praedicari potest, quod non sit absoluta necessitate unum idemque cum eius essentia, quia haec est suum esse substantiale (pars I, a) neque potest recipere acidentia (pars I, e).

186. ***Obi. 1.*** Esse, cui non additur ulla essentia, est ens communissimum. *Atqui* esse divinum non est ens communissimum. *Ergo* additur ei essentia, et consequenter in Deo aliud est essentia quam esse (*S. Thom.,* S. th. 1, q. 3, a. 4, obi. 1).

Resp. *Dist. mai.:* Esse, cui non additur ulla essentia, quia includitur in omni essentia, *conc. mai.,* esse, cui non additur ulla essentia, quia in se eminenter continet omnem essentiam, quae non est ipsum, *nego mai., conc. min., nego cons.*

Obi. 2. Duo, quorum unum sciri potest, alterum autem nequit sciri, non sunt idem. *Atqui* esse Dei sciri potest, essentia eius sciri nequit. *Ergo* haec duo non sunt idem (*ibid.* obi. 2).

Resp. *Dist. mai.: Ratione* non sunt idem, *conc. mai., re* numquam sunt idem, *nego mai., dist. min. p. 1:* . . . i. e. veritas propositionis Deum esse, *conc. min. p. 1,* . . . i. e. esse ipsum divinum in se consideratum, *subd. min. p. 1:* sensu stricto, prout „sciri" accipitur pro cognitione perfecta, *nego min. p. 1:* sensu latiori, prout „sciri" extenditur ad omnem cognitionem veram, licet imperfectam, *conc. min. p. 1. Dist. min. p. 2.:* Essentia Dei perfecte sciri nequit, *conc. min. p. 2,* ne imperfecte quidem in speculo creaturarum, *nego min. p. 2, nego cons.*

187. ***Obi. 3.*** Deus est Ens in se subsistens. *Atqui* Ens in se subsistens est in genere substantiae. *Ergo* falsum est Deum non esse in genere aliquo (*S. Thom.,* S. th. 1, q. 3, a. 5, obi. 1).

Resp. *Dist. mai.:* . . . i. e. *Ens a se, conc. mai.,* . . . i. e. Ens secundum se intelligibile in alio, *cui tamen conveniat in se subsistere,* si efficiatur, *nego mai., contrad. min., nego cons.*

Obi. 4. Mensura est eiusdem generis atque mensuratum. *Atqui* Deus est mensura omnium substantiarum. *Ergo* est in genere substantiae.

Resp. *Dist. mai.:* . . . quando mensuratum ei *sub aliquo saltem respectu* perfecte simile est, *conc. mai.,* quando mensuratum ei sub nullo respectu simile est nisi imperfecte tantum, *nego mai., contrad. min., nego cons.* „Deus", inquit S. Thomas l. c., „non est mensura proportionata alicui; dicitur tamen mensura omnium ex eo, quod unumquodque tantum habet de esse, quantum ei appropinquat."

188. ***Obi. 5.*** Videtur in Deo non minus esse compositio metaphysica ex natura specifica divina et supposito divino sive individualitate divina quam in Petro homine. Nam, sicut natura humana dicitur *inesse* Petro homini, ita natura divina dicitur *inesse* Deo (cf. *S. Thom.,* S. th. 1, q. 3, a. 3, obi. 1 et 2).

Resp. *Nego ass. et dist. rat. add.:* . . . quia de re simplicissima loqui non possumus nisi ad modum, quo de composita loqui solemus, *conc.,* ad significandam veram compositionem metaphysicam, *nego.*

Insto. Homo qua effectus Dei est similis Deo. *Ergo,* si in homine est compositio metaphysica ex natura specifica et supposito, ea in Deo sit necesse est.

Resp. *Dist. ant.:* . . . imperfecte, *conc. ant.,* perfecte, *nego ant., nego cons.*

Obi. 6. Quod de duobus praedicatur et in uno est accidens, etiam in altero sit accidens necesse est. *Atqui* sapientia et sanctitas praedicantur de Deo et homine et in homine sunt accidentia. *Ergo* etiam in Deo, et consequenter in eo sunt accidentia (*S. Thom.,* S. th. 1, q. 3, a. 6, obi. 1).

Resp. *Dist. mai.:* . . . si de utroque *univoce* praedicatur, *conc. mai.,* . . . si analogice tantum, *nego mai., contrad. min. p. 1, conc. min. p. 2, nego cons.*

189. ***Obi. 7.*** Si in Deo nulla sunt accidentia, intellectio divina et volitio divina alicuius rei finitae sunt omnino idem, et consequenter Deus omnem exsistentiam finitam, quam intelligit futuram esse, si ipse velit, etiam vult futuram esse. *Atqui* hoc est falsum. *Ergo* . . .

Resp. *Dist. mai. p. 1:* . . . sunt omnino idem, i. e. realiter idem actus, *conc. mai. p. 1,* hic actus non ita se habet, ut et formaliter et eminenter aequivaleat tum conceptui nostro obiectivo intellectionis tum conceptui nostro obiectivo volitionis, *nego mai. p. 1, nego mai. p. 2,* quia, ut suo loco probabimus, actus divinus simplicissimus, quatenus est intellectio, *terminos* finitos infinite multos habet, quos non necessario habet ut terminos ab ipso simpliciter distinctos, quatenus est volitio. — Aliis verbis: postea patebit Deum necessario cognoscere omnia possibilia, quorum non est numerus, sed non necessario velle, ut omnia entia finita possibilia actu exsistant.

Obi. 8. Quod est melius, Deo est tribuendum. *Atqui* apud nos composita sunt meliora simplicibus, ut v. g. corpora viva elementis inanimatis. *Ergo* Deus videtur dicendus compositus (*S. Thom.,* S. th. 1, q. 3, a. 7, obi. 2).

Resp. *Dist. mai.:* . . . *simpliciter* melius, *conc. mai., secundum quid* melius, *nego mai., dist. min. simpliciter* (i. e. sub omni respectu), *nego min. secundum quid* (sub aliquo respectu, i. e. praecise qua viva), *subd. min.:* . . . sunt meliora entibus, quibus ulla vera simplicitas saltem physica convenit, *nego min.,* . . . sunt meliora entibus omni vera simplicitate carentibus, *quae tamen dicuntur simplicia, quia minus complexe sunt composita, conc. min., nego cons.*

190. ***Obi. 9.*** Secundum fidem catholicam in una essentia divina sunt tres personae divinae inter se realiter distinctae. *Ergo* essentia divina videtur esse realiter composita ex personis divinis.

Resp. *Dist. mai.:* . . . quarum unaquaeque sit ipsa essentia divina, *conc. ant.,* secus, *nego ant., nego cons.*

Obi. 10. Ab uno simplicissimo non videtur produci posse nisi unius rationis effectus. *Atqui* a Deo producti sunt multi effectus maxime ab invicem diversi. *Ergo* Deus non videtur esse simplicissimus (*S. Thom.,* S. th. 1, q. 4, a. 2, obi. 1).

Resp. *Dist. mai.:* Ab uno *re* simplicissimo, *ratione* autem summe multiplici, *nego mai.,* ab uno et *re* et *ratione* simplicissimo, *subd. mai.:* ab uno, cui sub utroque respectu tanta simplicitas conveniret, quanta in una eademque re esse potest, *conc. mai.,* ab uno, cui sub utroque respectu simplicitas maxima conveniret, *nego mai.,* quia tale ens omnino esse nequit. Nam *ratione* maxime simplex est ens communissimum, quod qua tale *re* exsistere nequit; *conc. min., nego cons.*

191. ***Obi. 11.*** Si Deus est simplicissimus, a beatis totus videtur. *Atqui* hoc videtur esse falsum, quia secus beati Deum comprehenderent. *Ergo* illud quoque.

Resp. *Dist. mai.:* . . . i. e. nihil est Dei, quod beati non videant, *conc. mai.,* . . . i. e. quidquid est Dei, beati vident ea claritate, qua visibile est, *nego mai.* Per se patet nos loqui de visibilitate intellectuali, *contrad. min., nego cons.*

Obi. 12. Aliud concipio, cum concipio sapientiam divinam, quam cum concipio iustitiam divinam. *Atqui,* si Deus non est metaphysice compositus, in utroque casu idem concipio. *Ergo* Deus est metaphysice compositus.

Resp. *Dist. mai.:* . . . i. e. ratio, quae conceptu sapientiae divinae a mente mea *explicite* exprimitur, est alia atque ea, quae a mente mea explicite exprimitur conceptu iustitiae divinae, *conc. mai.,* i. e. in ratione sapientiae divinae *ne implicite quidem* latet ratio iustitiae divinae, *nego mai.* Nam esse divinum, sicut absoluta necessitate est sapientia, ita absoluta necessitate est iustitia.

192. *Schol. Possitne Deus venire in compositionem aliorum* (*S. Thom.* S. th. 1, q. 3, a. 8).

Deus, sicut in se est summe simplex, ita cum nulla re componi potest ita, ut fiat pars alicuius compositi, cuius altera pars sit res, quacum componatur.

Nam, cum non possit esse pars integrans alicuius compositi ut unicum *esse a se* simplicissimum, non est alius modus cogitabilis, quo fieret pars compositi nisi ut principium formale. Evidens enim est actum *absolute* primum non posse esse principium materiale sive potentiale. Sed repugnat eum esse principium formale; nam eo ipso cessaret esse actus illimitatus sive infinitus, cum omnis forma suae materiae necessario proportionetur. *„Forma"*, inquit *S. Thomas* l. c. in c. art., *„quae est pars compositi, est forma participata"*.

Alia omnino quaestio est, num Deus aliquam naturam finitam sibi unire possit, non ita quidem, ut ipse evadat pars alicuius rei ex ipso et illa natura finita compositae, sed ita potius, ut haec natura speciali modo ad ipsum elevetur, quo fiat, ut sit natura Deo (personae divinae) vere propria ut natura assumpta. Id fieri posse ex mysterio Incarnationis constat.

193. Contra doctrinam scholio traditam tres notandi sunt errores, quos commemorat Angelicus l. c.:

1. theoria Deum esse *animam mundi;*
2. theoria Deum esse *esse formale omnium rerum;*
3. theoria Deum esse *materiam primam.* Omnes hae theoriae sunt pantheisticae.

Art. 3.

De infinita Dei perfectione.

194. *Praenota:* Hoc articulo haec nobis erunt exponenda:
1. Deum esse infinite perfectum sive Ens actu infinitum;
2. quomodo perfectiones rerum creatarum Deo infinito insint;
3. secundum quem canonem nomina creaturarum de Deo infinito praedicanda sint;
4. quae sit distinctio inter attributa Deo infinito propria;
5. quibus significationibus nomen infinitatis rebus finitis tribuendum sit vel tribui possit.

§ 1.

Demonstratur Deum esse infinite perfectum.

Thesis XV.

195. **Deus natura sua est infinite perfectus sive Ens actu infinitum.** (Cf. *S. Thom.,* Contra gent. lib. 1, cap. 43; S. th. 1, q. 7, a. 1. *Suarez,* Metaph. disp. 30, sect. 2.)

St. Q. Thesis duas continet partes.

Parte I. asseritur Deum esse natura sua *perfectum.*

Parte II. statuitur Deum natura sua esse *infinite* perfectum.

I. *Perfectum* secundum vocis etymologiam illud est, quod totaliter factum est. Sed quia eae substantiae, quae fiunt, totaliter facta censenda sunt, cum iis iam nihil deest eorum, quae naturae ipsarum conveniunt: vox perfecti secundum usum loquendi id significat, cui nihil naturae ipsius conveniens deest, sive res, quae hoc modo dicitur perfecta, facta est sive non.

Natura sua perfectum est id, quod eo ipso perfectum est, quod exsistit. Sensus igitur partis I. theseos est: Deus eo ipso, quod est, habet omnia, quae naturae eius conveniunt; non potest ea paulatim acquirere. Vi huius perfectionis naturalis Deus ita est actus, ut nullam ad actum ulteriorem potentialitatem sibi admixtam habeat. Quodsi ad hoc attendas

simulque consideres essentiam divinam non recte concipi posse ut ens, quod per se (absque causa) fuerit mera potentia obiectiva (res pure possibilis), facile intelliges, cur Dei essentia dicatur *actus completus (perfectus) et purus,* angeli autem essentia recte quidem dicatur *actus,* nequaquam autem *actus completus et purus,* siquidem natura angelica et accidentibus perfectibilis est et secundum se est essentia pure possibilis (cf. *S. Thom.,* S. th. 1, q. 87, a. 1 c.).

196. II. *Infinite perfectum* est ens, quod non, ut ita dicam, intra certos essendi fines coarctatum est, sed omnem essendi plenitudinem continet. Distinctius definitur ens infinite perfectum, cum dicitur esse ens, in quo sint omnes perfectiones cogitabiles *qua verae perfectiones* (scl. sine modo exsistendi perfectionem quodammodo coarctante). Quae definitio brevissime exprimitur, cum dicitur ens infinite perfectum esse id, quo maius, i. e. melius sive perfectione qualibet perfectius cogitari nequeat. Quoniam omnis perfectio est *actus* sive id, quo esse actuale aliquo modo completur, Deus ratione perfectionis suae infinitae etiam vocatur *Ens actu infinitum,* i. e. Ens, quod secundum actum essendi sibi naturaliter proprium omni esse intelligibili plenum sit ita, ut in nulla re ab ipso diversa possit aliquod *esse* inveniri, quod in ipso non sit incomparabiliter melius. Aptissime igitur Deum cum S. Thoma dicimus *„ipsum esse per se subsistens"* (S. th. 1, q. 4, a. 2 c.). Est enim *„ipsum esse",* quia nulla est perfectio sive nullum *esse,* quod ipse non eminenter contineat; modus autem, quo ipsum esse Deo convenit, signate exhibetur, cum additur *„per se subsistens",* i. e. *„vi solius essentiae suae exsistens".*

197. *Nota.* Scholastici, ut significent Deum natura sua *perfectum* esse, aliquando dicunt *ei nihil deesse privative;* ut autem indicent eum esse *infinite* perfectum, nonnumquam utuntur phrasi: *ei nihil deesse negative.* S. Thomas vocat Deum *infinitum negative,* quia non est forma per se intelligibilis tantum, quae a pluribus modis diversis participetur et ita *in modo exsistendi certis limitibus sive finibus includatur,* sed est forma unica per se necessario exsistens, *omnem sui participationem realem excludens* et qua fons omnis esse, quod secundum *similitudinem* ipsam participare possit, *ab omnibus limitibus sive finibus aliena.* Idem S. Doctor in quanti-

tate dimensiva et numerali dicit esse *infinitum privative*, quia neutri convenit limes, ultra quem non possit extendi, quamquam utraque numquam actu ultra certum limitem extenditur (cf. *Suarez*, Metaph. disp. 30, sect. 1. *S. Thom.*, Contra gent. lib. 1, cap. 43, § „Ostendendum est igitur".

198. Pars I. Deus est Ens natura sua *perfectum*.

Prob. ex eo, quod in Deo non possunt esse accidentia. Intrinsecus repugnat in Deo ulla esse accidentia (thesis XIV, p. 1, e). *Atqui* in ente natura sua non perfecto accidentia esse intrinsecus repugnare nequit; quia certe non repugnat rem recipere ea, quae ei conveniunt, si ea nondum habet eo ipso, quod exsistit. *Ergo* Deus est Ens natura sua perfectum.

199. Pars II. Deus est Ens natura sua *infinite* perfectum.

A. *Probatur infinitas Dei pluribus modis ex eo, quod Deus est fons omnis esse.*

Arg. 1. (Cf. *S. Thom.*, Contra gent. lib. 1, cap. 43, § „Omne namque".) Quidquid natura sua finitum est, ad generis alicuius rationem restringitur. *Atqui* Deus qua Ens absolute necessarium in nullo est genere (thesis XIV, p. 1, b), et qua unicum principium atque causa efficiens omnis esse, quod praeter ipsum exsistere possit, omnium generum perfectiones in summa sua simplicitate eminenter praecontinet. *Ergo* non est natura sua finitus, sed infinitus.

Arg. 2. Ens actu infinitum est ens, in quo sunt omnes perfectiones cogitabiles. *Atqui* hae sunt in Deo. *Ergo* Deus est Ens actu infinitum.

Prob. min. Nulla cogitari potest perfectio, quin aut *necessario* exsistat aut sit perfectio *contingens*. *Atqui* in Deo est omnis perfectio necessario exsistens, quia ipse est unicum *Ens a se;* in eo est etiam omnis perfectio contingens, non quidem formaliter qua contingens, sed eminenter, quia ipse qua ens unicum absolute necessarium est ratio adaequate sufficiens omnium rerum possibilium.

Arg. 3. Ens, quo maius (i. e. melius) cogitari nequit, est ens infinite perfectum. *Atqui* Deo maius cogitari nequit. *Ergo* . . .

Prob. min. Plenitudine omnis esse maius cogitari nequit.

Atqui Deus est plenitudo omnis esse. *Ergo* Deo maius cogitari nequit.

Prob. min. ult. Ens, in quo vel formaliter vel eminenter est, quidquid esse cogitari potest, recte dicitur plenitudo omnis esse. *Atqui* eiusmodi ens est Deus. *Ergo* . . .

Prob. min. ult. In Deo *formaliter* est omne *„esse a se“*, quia ipse est unicum *Ens a se;* in eo quoque est *eminenter,* quidquid esse potest ab alio, quia ipse est unica causa prima.

200. B. *Probatur infinitas Dei ex eius aseitate et simplicitate, unitate non supposita.*

Arg. 1. (Ex absoluta independentia Entis a se.)

Ens a se absoluta necessitate in essendo ab omni causa independens est. *Atqui* ens in essendo ab omni causa independens est ens infinite perfectum. *Ergo* Ens a se est ens infinite perfectum.

Ad mai. Maior, quamquam per se satis evidens est, ita declarari potest: *Ens a se* est independens a causa efficiente, utpote quod exsistat per solam essentiam suam, consequenter a causa finali, quia haec non causat nisi mediante efficiente; neque in illud influere potest causalitas ulla materialis et formalis, cum sit summe simplex (thesis XIV).

Prob. min. Cum nihil possit esse limitatum in perfectione essendi, quin sit *certo* modo limitatum, nullum ens potest esse in essendo limitatum, quin sit ratio sufficiens, ob quam intra *certos* limites essendi includatur. *Atqui* nulla potest esse ratio sufficiens, ob quam ens in essendo ab omni causa independens intra certos limites essendi includatur. *Ergo* ens in essendo ab omni causa independens est in essendo illimitatum sive est per essentiam suam infinite perfectum.

Prob. min. Nullum ens per hoc praecise est limitatum, quod secundum aliquam essendi perfectionem exsistit, sed potius per hoc, quod secundum eam modo ita imperfecto exsistit, ut necessario a se excludat aliam essendi perfectionem; siquidem una perfectio essendi, *quatenus est vera perfectio sive verum aliquod esse positivum,* aliam essendi perfectionem a sua ratione non excludit et consequenter cum ea in eodem ente non est incompatibilis. Quare illud ens, quod secundum perfectionem essendi exsistit modo tam perfecto, ut non possit cogitari modus exsistendi magis perfectus, in se possidet

omnem perfectionem essendi sive est ens infinite perfectum. *Atqui* ens in essendo ab omni causa independens exsistit secundum perfectionem essendi modo tam perfecto, ut non possit cogitari modus exsistendi magis perfectus, quia per essentiam suam est ipsa perfectio essendi absoluta, ipsum esse in se subsistens. *Ergo* ens in essendo ab omni causa independens est ens infinite perfectum.

Arg. 2. (Ex Ente a se ut creatore animae humanae.) Deus, qua Ens a se exsistens, est creator animae humanae, ut iam probatum est (n. 58. 59). Porro anima humana, ut in Psychologia ostendimus, naturaliter capax est cognitionis entis cuiuslibet ut veri, capax quoque amoris entis cuiuslibet ut boni (cf. Psychol. rat. n. 118 sq. 340 sqq. 383 sqq.). *Ergo* eadem capacitas eminenter habetur in *Ente a se*. *Atqui* non potest in eo esse ut pura potentialitas neque ut potentialitas successive actuanda, cum *Ens a se* sit actus summe simplex (thesis XIV). *Ergo* in eo est cum exclusione omnis potentialitatis, i. e. ut actus cognitionis et volitionis simplicissimus, quo *Ens a se* omne esse qua verum cognoscit et qua bonum amat. *Ergo* Ens a se exsistens pollet actuali cognitione et amore omnis veri et boni. *Atqui* neque in illo neque in hoc potest pendere ab ullo ente, quod ab ipso divisum sit (sive hoc ponas esse *ens a se*, sive illud fingas esse *ens ab alio*); nam cum in essendo sit omnino independens, in actione sua immanenti, utpote quae ob summam ipsius simplicitatem ab eius esse realiter non differat, non potest ab ullo ente pendere. *Ergo Ens a se* cognitionem actualem omnis veri et amorem actualem omnis boni non solum in se actu possidet, sed etiam obiectum huius cognitionis et amoris a se solo habet. *Atqui* hoc evidenter esse nequit, quin Ens a se exsistens in sua summa simplicitate includat omne esse cogitabile ut verum et bonum, aliis verbis: quin sit *infinite* perfectum. *Ergo* de hoc evidenter constat.

Nota. Contra haec duo argumenta, quibus infinitas Dei probatur ante unitatem eius, haec fortasse tibi occurrit difficultas: Quamdiu unitas non est probata, infinitas non videtur evidenter probari posse, quia ei, cui nondum evidens est unum tantum esse *Ens a se*, non videtur posse evidens fieri illud ens esse infinitum. Revera enim, qui de unitate dubitat, etiam de infinitate

videtur necessario dubius haerere, cum evidens sit non posse esse plura *entia a se* infinita.

Respondeo: Ex ratione allata non sequitur infinitatem non esse evidenter probatam ante unitatem, sed solum id sequitur eum, qui impossibilitatem plurium *entium a se* infinitorum iam cognovit, logice cogi, ut ex infinitate ante unitatem probata statim inferat: *Ergo* infinitas Enti a se exsistenti propter eius aseitatem et simplicitatem propria non potest inveniri nisi in uno ente; consequenter non est nisi unus Deus. *Itaque infinitate ante unitatem probata ita arguendum est ad probandam unitatem*: Deus qua *Ens a se* est ens actu infinitum. *Atqui* non possunt esse multa *entia a se* actu infinita. *Ergo* est unum tantum, consequenter non est nisi unus Deus.

Prob. min. Si essent multa *entia a se,* nullum in se vel formaliter vel eminenter contineret eam perfectionem, qua cetera ab ipso diversa essent, consequenter nullum in se contineret omnem perfectionem cogitabilem. *Atqui* ens, quod hanc non in se continet, non est ens actu infinitum. *Ergo* entia a se actu infinita plura non possunt esse.

201. ***Obi. 1.*** Perfectum dicitur quasi totaliter factum. *Atqui* Deus non est factus. *Ergo* non est perfectus (*S. Thom.,* S. th. 1, q. 4, obi. 1).

Resp. *Dist. mai.:* . . . vi etymi, *conc. mai.,* secundum usum loquendi, *subd. mai.:* id etiam, *conc. mai.,* id solum, *nego mai., conc. min., nego cons.*

Obi. 2. Deus est primum rerum principium. *Atqui* experientia teste rerum principia sunt imperfecta. *Ergo* Deus non est perfectus.

Resp. *Dist. mai.:* . . . principium materiale, *nego mai.,* principium effectivum, *conc. mai., contrad. min.:* principia materialia, *conc. min.* principia effectiva *qua talia, nego min., nego cons.*

202. ***Obi. 3.*** Deus est ipsum esse. *Atqui* ipsum esse est imperfectissimum, utpote communissimum. *Ergo* . . .

Resp. *Dist. mai.:* . . . i. e. omne *esse,* prout ut unum ens summe simplex a se exsistit, *conc. mai.,* . . . i. e. ratio entis abstracta et transcendentalis, *nego mai., contrad. min., nego cons.*

Obi. 4. Quod ita est hoc, ut non sit aliud, est finitum secundum substantiam. *Atqui* Deus ita est Deus, ut non sit aliud, v. g. angelus. *Ergo* . . . (*S. Thom.,* S. th. 1, q. 7, a. 1, obi. 3).

Resp. *Dist. mai.:* Quod ita est hoc, ut non sit aliud formaliter, *nego mai.,* ut non sit aliud neque formaliter neque eminenter, *conc. mai., contrad. min., nego cons.*

Obi. 5. Ens actu infinitum in se contineat necesse est perfectiones omnes inter se diversas rerum diversarum. *Atqui* Deus, utpote qui sit summe simplex, eas in se continere nequit. *Ergo* ... (*S. Thom.,* S. th. 1, q. 4, a. 2, obi. 1).

Resp. *Dist. mai.:* ... divisim et multipliciter, *nego mai.,* ... unite et simpliciter, *conc. mai., contrad. min., nego cons.*

Obi. 6. Si Deus esset ens actu infinitum, nihil realitatis esset extra Deum. *Atqui* multae realitates sunt extra Deum. *Ergo* ...

Resp. *Dist. mai.:* ... quod in Deo non eminenter praecontineretur, *conc. mai.,* secus, *nego mai., contrad. min., nego cons.*

203. ***Obi. 7.*** Exsistentia creaturae est melior quam non-exsistentia eiusdem. *Unde ita arguo:* Deus et creaturae exsistentes sunt melius quid quam Deus absque creaturis exsistentibus. *Atqui* Deus potest exsistere absque creaturis. *Ergo* Deo potest aliquid melius esse.

Resp. *Dist. ass. fundamentale:* Exsistentia creaturae, *secundum quid* est melius quam non-exsistentia eiusdem, quatenus ens actualiter exsistens finitum a Deo factum, est melius quam terminus intellectus divini nondum factus, sed solum factibilis, *conc. ass.,* ... *simpliciter* est melius ita, ut melius quid exsistat post creationem quam ante creationem, *nego ass.* Nam quidquid Deus creare potest, in ipso modum exsistendi infinite meliorem habet quam in se habere potest, neque Deus eo melior fit, quod creando bonitatem suam secundum eiusdem similitudines imperfectas communicat, quia, ut postea magis patebit, omnia creat sine ulla sui mutatione. Sicut in civitate perfecte monarchica *auctoritas* regis non augetur eo, quod rex instituit rectores provinciarum ab ipso pendentes et ad nutum ipsius amovibiles, ita *bonitas esse divini* non crescit exsistentia boni creati a Deo absolute pendentis. Quare *resp.* ad *arg.: nego mai., conc. min., nego cons.*

§ 2.

Quomodo creaturarum perfectiones Deo infinito insint.

Thesis XVI.

204. **Creaturarum perfectiones purae secundum se consideratae Deo insunt formaliter, secundum suum in creaturis essendi modum**

spectatae ei insunt eminenter tantum; perfectiones autem mixtae creaturarum Deo non insunt nisi eminenter. (Cf. ad thesim *S. Thom.*, S. th. q. 4, a. 2 et 3.)

St. Q. 1. Perfectiones, quae rebus creatis insunt, a S. Anselmo (Monol. cap. 15 [al. 14] apud *Migne*, PP. LL. CLVIII, 163) distinctae sunt in eas, quae *secundum quid* tantum meliores sunt quam non ipsae, et eas, quae sunt *simpliciter* meliores quam non ipsae. Huius generis perfectiones dicuntur perfectiones *purae* vel perfectiones, quae *simpliciter* sunt tales; prioris generis dicuntur perfectiones *mixtae* sive quae *secundum quid* sunt tales. Purae perfectionis est *„intelligere“ qua tale*, mixtae *„ratione discurrere“*.

2. Discrimen inter perfectionem puram et mixtam distinctius ita exprimi potest: Notio obiectiva et abstracta perfectionis purae nullam imperfectionem adiunctam habet; notio autem obiectiva et abstracta perfectionis mixtae imperfectionem aliquam involvit.

3. *Formaliter* in re inesse id dicitur, quod secundum suam propriam rationem ei inest, *eminenter* autem, quod non secundum propriam rationem, sed ratione meliori in ea invenitur.

Nota. Quatenus Deus perfectiones creaturarum, quas vel formaliter-eminenter vel eminenter praecontinet, *efficere* potest, eas dicitur in se continere *virtualiter*.

205. Pars I. Perfectiones creaturarum purae secundum se consideratae Deo insunt *formaliter*, secundum suum in creaturis essendi modum *eminenter tantum*.

Perfectiones purae secundum rationem suam propriam nihil includunt nisi quod *perficit;* sed ratio earum propria (sive conceptus obiectivus et abstractus earum) in creaturis verificatur modo limitato et dependenti. *Atqui* Deus propter infinitam perfectionem suam, *quidquid perficit*, essentia sua complectitur modo illimitato et independenti. *Ergo* perfectiones purae secundum propriam suam rationem (sive formaliter) Deo quidem insunt, sed modo aliquo, qui ad modum, quo creaturis insunt, comparatus dicendus est modus essendi eminens.

206. **Pars II. Perfectiones creaturarum mixtae Deo non insunt nisi eminenter tantum.**

Facile patet has perfectiones, cum non sint mere defectus, Deo *aliquo* modo inesse, idque aut formaliter aut eminenter. Porro cum ne purae quidem creaturarum perfectiones secundum modum, quo rebus creatis insunt, Deo convenire possint, *a fortiori* perfectiones mixtae secundum suum in creaturis essendi modum Deo formaliter non conveniunt.

Rationes autem obiectivae et abstractae harum perfectionum eo distinguuntur a rationibus obiectivis et abstractis perfectionum purarum, quod hae imperfectionem nullam involvunt, illae imperfectionem inseparabiliter adiunctam habent. *Atqui* nulla ratio obiectiva, cui imperfectio inseparabiliter adhaeret, potest aliquid exprimere, quod Deo formaliter conveniat. *Ergo* perfectiones mixtae creaturarum etiam secundum rationem sibi propriam Deo non conveniunt formaliter, consequenter nullatenus ei insunt nisi eminenter tantum.

Nota. Contra thesim obici potest ex ea sequi veritatem theseos sequentis, quae sit neganda. Vide has difficultates post thesim XVII.

§ 3.

Qui sit canon generalis nominum Deo infinito tribuendorum.

Thesis XVII.

207. **Nomina perfectionum purarum de Deo proprie, immo magis proprie dicuntur quam de creaturis, licet Deo et creaturis non conveniant univoce, sed analogice; nomina vero perfectionum mixtarum de Deo dici nequeunt nisi metaphorice.** (Cf. *S. Thom.*, S. th. 1, q. 13, a. 3. 5. 6.)

St. Q. 1. Deum nominare non possumus nisi ex creaturis. Sed non omnia rerum creatarum nomina aeque apta sunt, quae Deo tribuantur. Itaque norma generali opus est, secundum quam decerni possit, possitne hoc vel illud nomen de Deo dici et quo sensu. Quam normam thesi exhibuimus secundum S. Thomam l. c. Qui ei adhaeret, sane immunis erit ab accusatione anthropomorphismi, quem etiam apud monotheistas aetatis nostrae inveniri H. Spencer insinuat (First Principles [ed. 2] p. 109 sq.).

2. Parte I. theseos asserimus ea nomina, quae perfectiones puras significant, sive in quorum significato abstracte considerato non clauditur imperfectio, de Deo *proprie* dici, i. e. ea recte praedicari de Deo secundum eam significationem, quam ex usu loquendi communiter habent. Addimus autem significatum horum nominum Deo et creaturis non eodem modo inesse; nam Deo inest sine limite et absoluta necessitate, creaturis autem intra certos limites et contingenter. Quae est ratio, cur haec nomina Deo et creaturis conveniant analogice, *analogia attributionis intrinsecae* quae dicitur, quia habetur per formam utrique analogato intrinsecam, uni principaliter et per se, alteri per derivationem et cum dependentia ab illo (cf. *Frick,* Ontologia n. 30 sqq.).

208. 3. Parte II. theseos statuimus nomina perfectionum mixtarum, sive in quorum significato abstracte considerato clauditur aliqua imperfectio, de Deo non *proprie* dici, sed ei applicari non posse nisi *metaphorice,* i. e. ita, ut a significatione ipsis ex usu loquendi propria transferantur ad aliquid aliud significandum. Nomina, quae de creaturis proprie, de Deo metaphorice dicuntur (ut v. g. ira, tristitia), illis cum hoc analogice communia sunt analogia non *attributionis intrinsecae,* sed *proportionis.*

Nota. Terminologiam Suaresianam secutus sum in distinctione analogiarum. Substantia autem doctrinae est eadem atque S. Thomae. Quod spectat modum, quo hic analogiam dividit, cf. Contra gent. lib. 1, cap. 34 et Sent. 1, dist. 19, q. 5, a. 2 ad 1. — Nota imprimis quae S. Doctor dicit Contra gent. l. c. sub finem: „*Res* nominum de Deo et rebus aliis dictorum per prius est in Deo secundum suum modum, sed *ratio* nominis per posterius.“ Ergo *res* nominis vere est et in Deo et in creaturis. Alio loco, quem citavi, Angelicus docet nomen Deo et creaturis commune analogice dici *secundum intentionem et secundum esse,* utpote quod neque „parificetur“ in intentione communi neque in esse. Non „parificatur“ *in intentione communi,* quia ratio abstracta nominis, quatenus refertur ad creaturam, neque includit neque excludit limitem; quatenus refertur ad Deum, omnem limitem excludit; non „parificatur“ in *esse,* quia rationi nominis ex parte creaturae correspondent, *entia multa et finita;* cum ex parte Dei ei correspondeat, *ens unum, infinitum.* Ad haec attendere iuvat, ne falso intelligantur, quae S. Thomas tradit S. th. 1, q. 13,

a. 5, c. § „Quod quidem dupliciter". Res ipsa clarissime *ibid.* a. 2 et 3 exhibetur. Qui haec legerit, facile intelliget S. Thomam ibi quoad ea nomina, quae de Deo *proprie* dicuntur sicut de creaturis, non aliam analogiam tradere quam eam, quae a Suarez non inepte dicta est *attributionis intrinsecae* (cf. *Frick,* Ontologia l. c.).

209. Pars I. Nomina perfectionum purarum de Deo proprie et magis proprie dicuntur quam de creaturis.

a) Nomina, quorum significatum Deo formaliter inest, de Deo proprie dicuntur, et si eorum significatum de creaturis non potest verum esse, nisi prius de Deo verum sit, de Deo magis proprie dicuntur. *Atqui* significatum nominum perfectionum purarum Deo formaliter inest (thesis XVI), et cum Deus qua unicum *Ens a se* sit fons omnis esse ab ipso distincti, eorum significatum de creaturis non est verum, nisi prius de Deo verum est. *Ergo* . . .

b) *Nomina perfectionum purarum Deo et creaturis non univoce, sed analogice communia sunt.* Ut nomen aliquod de pluribus univoce dicatur, non sufficit, ut ratio obiectiva eo nomine significata singulis vere insit, sed iis etiam aeque perfecte conveniat necesse est. *Atqui* ratio nullius nominis perfectionem puram significantis aeque perfecte Deo et creaturis inest, sed illi modo infinite perfectiori quam his. *Ergo* . . .

210. Pars II. Nomina perfectionum mixtarum de Deo dici nequeunt nisi metaphorice.

a) *Haec nomina non possunt de Deo* ***proprie*** *dici.* Cum Deus secundum omnem perfectionem sit actu infinitus, in eo nulla potest esse perfectio cum admixtione alicuius defectus. *Atqui* nomina perfectionum mixtarum significant aliquam perfectionem ita, ut aliqua imperfectio lateat non solum in modo significandi, sed *in ipso significato nominis. Ergo* hoc significatum Deo formaliter inesse nequit, aliis verbis: illa nomina de Deo nequeunt dici *proprie.*

b) *Aliquando illa nomina de Deo apte dicuntur* ***metaphorice.*** Creaturis, de quibus ea nomina proprie dicuntur, propter perfectionem mixtam iis nominibus significatam quandoque convenit habitudo aliqua ad aliam creaturam similis illi, quae, positis certis condicionibus, intercedit inter Deum et

creaturam propter perfectionem Dei puram. *Ergo,* si illa nomina metaphorice adhibeantur ad talem similitudinem significandam, apte de Deo dicuntur.

Ita v. g. de Deo metaphorice praedicantur ira et furor, ut significetur Deum pro iustitia sua, quae est perfectio pura, peccatores impaenitentes poenis similibus afficere, atque eae sunt, quibus rex aliquis humanus pro ira sua, quae est perfectio mixta, animadvertit in subditos rebelles. In similem finem Deo metaphorice tribuimus oculos, aures etc. (cf. *S. Thom.,* S. th. 1, q. 3, a. 1 ad 1, 3, 4, 5; a. 2 ad 1, 2; Contra gent. lib. 1, cap. 91, § „Sciendum tamen etiam alias perfectiones").

211. ***Obi. 1.*** S. Ioannes Damascenus docet nomina, quae substantiae divinae tribuimus, significare, quid Deus non sit, non vero, quid Deus sit. *Atqui,* si nomina perfectionum purarum de Deo *proprie* dicuntur, significant, quid Deus sit. *Ergo* doctrina partis I. theseos videtur opposita magno illi Doctori (cf. *S. Thom.,* S. th. 1, q. 13, a. 2, obi. 1).

Resp. *Dist. mai.:* . . . ita loquens intendit dicere significatum eorum nominum Deo non vere inesse, *nego mai.,* . . . ita loquens intendit dicere significatum eorum nominum, licet Deo vere insit, ei modo infinite perfectori inesse, quam illis nominibus exprimitur, *conc. mai., contrad. min., nego cons.*

Obi. 2. Nomina exprimunt, quod intelligimus. *Atqui* in hac vita non intelligimus substantiam divinam. *Ergo* nullum nomen quidquam exprimit, quod substantiae divinae secundum se consideratae conveniat (*S. Thom.,* S. th. 1, q. 13, a. 2, obi. 3).

Resp. *Dist. mai.:* . . . i. e. solum id, quod intellectu immediate intuemur, *nego mai.,* . . . i. e. id, quod intellectu vere cognoscimus saltem mediate, *conc. mai., contrad. min., nego cons.*

212. ***Obi. 3.*** Nomina perfectionum purarum significant perfectiones, quas in creaturis cognovimus. *Atqui* eiusmodi nomina non possunt de Deo *proprie* dici. *Ergo* . . .

Prob. min. Nomen perfectionem finitam significans non potest de Deo proprie dici. *Atqui* nomina, quae significant perfectiones, quas in creaturis cognovimus, sunt nomina perfectionem finitam significantia. *Ergo* . . . (cf. *S. Thom.,* S. th. 1, q. 13, a. 3, obi. 1).

Resp. *Dist. mai.:* . . . ita, ut eorum significatum modum imperfectum, quo illae perfectiones creaturis insunt, includat, *nego*

mai., ... ita, ut eorum significatum nihil exprimat nisi aliquam perfectionem abstracte secundum se consideratam, *conc. mai., contrad. min., nego cons.*

Ad prob. min. dist. mai.: Nomen perfectionem finitam *exclusive* significans, quia in eius significato necessario clauditur defectus, *conc. mai.*, nomen perfectionem finitam primo loco significans, sed eam non exclusive significans, quia in eius significato defectus non necessario includitur, *nego mai.*, *contrad. min., nego cons.*

Obi. 4. Nomina Deo et creaturis ex usu communia de Deo dicuntur ut de causa creaturarum, quibus significatum illorum nominum vere convenit. *Atqui* nomen, quod de aliquo dicitur ut de causa eius, cui significatum nominis vere convenit, minus proprie de eo dicitur, ut v. g. nomen „sanum" minus proprie dicitur de medicina quam de animali. *Ergo* illa nomina de Deo non magis, sed minus proprie dicuntur quam de creaturis (cf. *S. Thom.*, S. th. 1, q. 13, a. 6, obi. 3).

Resp. *Dist. mai.:* ... ita, ut nihil significent nisi Deum esse causam significati eorum in creaturis realisati, *nego mai.*, ... ita, ut etiam significent significatum suum Deo essentialiter inesse, *conc. mai., contrad. min., nego cons.*

Nomen, quod de aliquo ut de causa significati nominis dicitur, ei minus proprie convenit, si de eo dicitur ut de causa instrumentali. Ita dicitur „sanum" de medicina. — Etiam metaphorice dicitur, quando dicitur de causa, quae est causa non univoca sub aspectu valde generali tantum. Ita v. g. sol dicitur *generare* plantas, quia calore excitat vim generativam plantarum.

213. *Schol. 1. Quo sensu de Deo infinito habeamus conceptum proprium.*

Non habemus in hac vita conceptum proprium Dei, prout conceptus *proprius* opponitur *analogo;* habemus autem, quatenus *proprius* intelligitur *verus.* Etenim conceptus proprius, prout opponitur analogo, directe repraesentat ipsam naturam, cuius est, saltem universaliter. Conceptum autem, qui Deum directe repraesentet, nos non habere abunde patet ex refutatione ontologismi (cf. n. 12 sq.). Itaque de Deo non habemus nisi conceptum, qui efformatus est ope specierum, quae a naturis creatis abstractae et variis processibus mentalibus ita modificatae sunt, ut conceptus resultans Deum quasi in speculo creaturarum vere repraesentet. Huiusmodi conceptus, quia nititur in similitudine imperfecta (ἀναλογία), quae crea-

turis est cum Deo, dictus est *analogus* vel etiam *analogicus,* ut distinguatur a conceptu analogo, prout hic opponitur univoco. Iam quod per conceptus analogicos de Deo cogitamus, vere Deo inest, unde illi conceptus sunt veri conceptus Dei, licet sint conceptus negativo-positivi et valde inadaequati, quatenus spectatur modus, quo Deum repraesentant. Cf. quae diximus in Psychologia (Psychol. rat. n. 202 sqq.).

214. *Schol. 2. De via triplici attributa Dei infiniti inveniendi.* In libro celeberrimo *De divinis nominibus,* qui a S. Dionysio appellatur et a S. Thoma explicatus est, triplex indicatur via, qua inveniamus, quae de Deo praedicanda sunt (Op. c. cap. 1. 2).

a) *Via remotionis.* Hac incedimus, cum de Deo aliquid praedicamus, quo explicite negatur imperfectio rei finitae, ut cum dicimus: Deus est incorporeus, simplex, immutabilis. Huiusmodi attributa (sive vocabulis signo negationis affectis exprimuntur sive hoc signo carentibus) dicenda sunt *attributa negativa,* quia explicite et primum imperfectionem de Deo negant, in qua negatione implicite subauditur aliqua perfectio.

b) *Via affirmationis.* Hanc tenemus, cum de Deo praedicamus, quidquid boni et perfecti in rebus creatis invenimus, ut cum dicimus: Deus vivit, est spiritus, sapiens, verax. Haec attributa dicuntur *affirmativa.* Ut autem modus cognoscatur, quo ea Deo proprie conveniunt, necesse est tertiam viam ingrediamur, quae est

215. c) *Via eminentiae.* Hanc viam persequentes intelligimus ea, quae a nobis de Deo affirmantur, ei verissime quidem, sed eminenti modo quodam convenire ita, ut non solum mensuram, qua in rebus creatis inveniuntur, sed etiam notiones ipsas, quibus ea animo concipimus, excedant. Illum modum eminentem, quo de Deo perfectiones rerum creatarum affirmamus, *implicite* significamus, cum dicimus eas Deo et creaturis non univoce, sed analogice communes esse; *explicite* eum exhibemus, cum dicimus v. g.: Deus est ita sapiens, ut eius sapientia excedat omnem captum, Deus est infinite sapiens, supersapiens etc.

Potest autem ea via triplex ad duplicem reduci: *ad viam remotionis et ad viam analogiae.*

Via remotionis primarie aliquam imperfectionem negamus, secundarie perfectionem aliquam affirmamus. *Via analogiae* primarie perfectionem aliquam affirmamus, secundarie aliquam imperfectionem negamus. Itaque via remotionis invenimus attributa Dei negativa, via analogiae invenimus attributa Dei affirmativa.

§ 4.

Quae sit distinctio inter attributa Deo infinito propria.

Thesis XVIII.

216. Attributa divina ab invicem distinguuntur aliqua distinctione virtuali, quae non est pure mentalis sive rationis ratiocinantis quae dicitur.

St. Q. Secundum scholasticos quosdam nominales inter attributa divina non est distinctio nisi pure mentalis. Illi enim existimant ea non distingui nisi propter connotata, i. e. secundum diversos effectus in rebus creatis. Nominibus v. g. iustitiae et misericordiae, quatenus ad Deum referuntur, unum idemque significari, hoc tamen unum diversis nominibus appellari, quia et puniat et parcat. Qua opinione admissa nomina de Deo proprie dicta essent sensu stricto *synonyma,* id quod negatur thesi cum S. Thoma (S. th. 1, q. 13, a. 4).

217. Attamen non eam statuimus inter attributa divina distinctionem, quae secum ferat essentiae divinae physicae ex attributis compositionem virtualem. Hanc enim repugnare ex doctrina de summa Dei simplicitate supra (thes. XIV) tradita evidens est. Unde inter rationes obiectivas diversorum attributorum divinorum non est praecisio perfecta, sed imperfecta tantum. Nam licet ratio unius attributi non *exhibeat,* quod ratione alius continetur, tamen rationes obiectivae omnium attributorum *absoluta necessitate* in una eademque essentia divina simplicissima obiectum suum reale habent. Fundamentum igitur obiectivum distinctionis mentalis attributorum divinorum est *supereminentia essentiae divinae ad verba mentalia intellectus humani quaecumque comparatae,* quae supereminentia tanta est, ut illa essentia ab intellectu nostro nullo conceptu exprimi possit, qui non infinite deficiat ab ea adaequate repraesentanda.

Quare ad eam nobis, quantum possumus, distincte exhibendam, multa formamus verba mentalia, quae singula *explicite* aliud quid significant, quam quod ceteris vel singulis seorsum vel omnibus simul sumptis significatur. Nihilominus, quod in singulis *implicite* latet, est una eademque essentia divina simplicissima.

218. *Probatur thesis ex rationibus obiectivis attributorum divinorum.*

Ea distinguuntur distinctione virtuali non pure mentali, quae, licet *re* sint unum idemque, tamen ita a nobis concipiuntur, ut rationes obiectivae, sub quibus ea mentaliter exprimimus, non sint unum idemque. *Atqui* id est dicendum de attributis divinis. *Ergo* haec distinguuntur distinctione virtuali non pure mentali.

Prob. min. Varia vocabula non synonyma manifestant varia a nobis concipi. *Atqui* vocabula, quibus attributa divina exprimimus, manifesto non sunt synonyma; aliud enim v. g. significatur nomine iustitiae quam nomine sapientiae Dei. *Ergo,* licet attributa divina *re* sint unum idemque, tamen rationes obiectivae, sub quibus ea mentaliter exprimimus, revera non sunt unum idemque.

219. ***Obi. 1.*** Secundum thesim nomina de Deo dicta non sunt sensu stricto synonyma sive non omnino idem significant. *Atqui* revera omnino idem significant scl. Deum simplicissimum. *Ergo* thesis est falsa (cf. *S. Thom.,* S. th. 1, q. 13, a. 4, obi. 1).

Resp. *Dist. mai.:* . . . non eandem rationem obiectivam mente explicite conceptam, *conc. mai.,* . . . mediantibus diversis rationibus mente explicite conceptis non significant unam eandemque essentiam Dei summe simplicem, *nego mai., contrad. min., nego cons.*

Obi. 2. Essentia simplicissima divina rationibus obiectivis diversis exprimi nequit. *Atqui,* qui distinctionem virtualem non pure mentalem inter attributa divina statuit, eo ipso statuit essentiam Dei rationibus obiectivis diversis exprimi posse. *Ergo* errat.

Resp. *Dist. mai.:* . . . rationibus diversis secundum ea, quae explicite significant, *nego mai.,* . . . rationibus diversis secundum ea, quae implicite involvunt, *conc. mai., contrad. min., nego cons.* Attributorum rationes obiectivae eo ipso, quod mentaliter referuntur ad Ens a se absolute necessarium, implicite involvunt in-

finitatem essendi et consequenter omnem perfectionem intelligibilem ab infinitate essendi inseparabilem.

Obi. 3. Magis est unum, quod est unum *re* et *ratione,* quam quod est unum *re* et multiplex *ratione. Atqui* Deus est maxime unus. *Ergo* non est multiplex *ratione,* aliis verbis: non concipitur multis rationibus obiective diversis (cf. *S. Thom.,* S. th. q. 13, a. 4, obi. 3).

Resp. *Dist. mai.:* . . . si ita est multiplex ratione, ut multae rationes, quae de eo concipiuntur, inter se implicite non includant, *conc. mai.,* . . . si ita, ut hae inter se implicite includant, *nego mai., conc. min., nego cons.*

§ 5.

Quibus significationibus nomen infinitatis rebus a Deo diversis tribui possit.

220. *Assertum 1. Praeter Deum nulla potest esse res, quae sit actu infinita vel secundum substantiam vel secundum vim agendi* (cf. *S. Thom.,* S. th. 1, q. 7, a. 2). Nam, quidquid praeter Deum esse potest, in essentia divina praecontinetur ut aliquid secundum se mere possibile. Quod autem secundum se mere possibile et consequenter per se in ordine realis exsistentiae nihil est, eo ipso *qua ens secundum totum esse suum infinite dependens* infinite distat a divina plenitudine essendi, cui convenit independentia infinita. Ex hoc sequitur *omnem substantiam a Deo diversam* (utpote quae secundum se qua possibilis non possit esse idea obiectiva Entis actu infiniti, quia secus esset idea ipsius Dei non multiplicabilis) *necessario restringi ad certum genus essendi.* Quare S. Thomas l. c. de angelis loquens dicit: „Si autem sint aliquae formae creatae non receptae in materia, ut quidam de angelis opinantur [1], erunt quidem infinitae secundum quid, in quantum huiusmodi formae non terminantur neque contrahuntur per aliquam materiam. Sed quia forma creata sic subsistens habet esse et non est suum esse; necesse est, quod ipsum eius esse sit receptum et contractum ad terminatam naturam."

[1] His verbis *„ut quidam de angelis opinantur"* S. Thomas modestissime exprimit suam ipsius sententiam. Cf. Caietanus in hunc locum et S. th. 1, q. 50, a. 2.

Porro quoniam omnis vis agendi proportionatur naturae substantiae, cuius est, nulla res a Deo diversa potest pollere vi agendi actu infinita.

221. *Assertum 2. Non potest exsistere multitudo actu infinita.*

Arg. 1. (*S. Thom.,* S. th. 1, q. 7, a. 4.) „Omnem multitudinem oportet esse in aliqua specie multitudinis. Species autem multitudinis sunt secundum species numerorum. *Ergo* non potest esse aliqua multitudo, in qua non verificetur aliqua species numerorum. *Atqui* nulla species numerorum est actu infinita. *Ergo* nulla multitudo est actu infinita.

Prob. min. ult. Omnis numerus est multitudo mensurata per unum. *Atqui,* quod actu infinitum est, mensurari nequit. *Ergo* non potest esse numerus actu infinitus.

222. *Arg. 2 (indirecte).* Multitudo, quae supponitur esse actu infinita, constat unitatibus actu infinite multis et est unitate maior quam multitudo ad eam proxime accedens. Ergo, qui admittit multitudinem actu infinitam, logica necessitate cogitur ut admittat multitudinem unitate minorem quam multitudo actu infinita. *Quo posito ita arguo:*

Haec altera multitudo aut est actu infinita aut est actu finita. *Atqui* nequit esse neque actu infinita neque actu finita. *Ergo* omnino esse nequit; consequenter, quia haec *altera* multitudo esset, si esset *ulla* multitudo actu infinita, *nulla* potest esse multitudo actu infinita.

Prob. min. ult. p. partes.

1. Qui admittit illam alteram multitudinem esse actu infinitam, ponit multitudinem actu infinitam, quae crescere potest, quia multitudo altera est multitudine priori unitate minor. *Atqui* absurdum est aliquid actu infinitum crescere posse. *Ergo* . . .

2. Si dicis illam multitudinem alteram esse actu finitam, iam non potes admittere multitudinem priorem esse actu infinitam, nisi concedas ex finito ad finitum addito oriri posse aliquid actu infinitum. *Atqui* hoc manifesto repugnat. *Ergo* illa multitudo altera non potest esse actu finita.

Corollarium. Ergo nequit esse tempus actu infinitum. Nam cum fundamentum reale temporis sint rerum mutationes successivae, qui ponit tempus actu infinitum, ponit succes-

sionum multitudinem actu infinitam (cf. *Haan*, Philos. nat. n. 92 sqq.).

223. *Assertum 3. Nequit esse magnitudo actu infinita.*

Arg. 1. (Ex eo, quod non potest esse multitudo actu infinita.) Quidquid actu formaliter extensum est, in eo est multitudo partium mente assignabilis, quarum singulae sint extra ceteras. Porro possum exorsus a certo puncto rei formaliter extensae partem certae magnitudinis tamquam unitatem assumere, quam ut mensuram rei magnitudini applicem. *Quo supposito ita arguo:* Numerus unitatum mensurae assumptae (v. g. pollicum) in aliqua re, cuius extensio formalis dicitur esse actu infinita, aut est actu infinitus aut actu finitus. *Atqui* non potest esse actu infinitus (assert. 2). *Ergo* dicendus est actu finitus. *Atqui* hoc ipso destruitur suppositio extensionis formalis actu infinitae, quia repugnat hanc exhauriri acceptionibus actu finite multis.

224. *Arg. 2. (Ex eo, quod distantia actu infinita oriretur ex duabus distantiis finitis.)* A puncto quocumque corporis, quod supponitur esse praeditum extensione formali actu infinita, in omnem directionem lineae rectae cogitari possunt, quae ex supposito non transgrediuntur extensionem illius corporis et non possunt non esse longitudinis actu infinitae. Attamen in his iisdem lineis multas distantias assignare possum, quae respectu puncti, a quo exorsus sum, sunt longitudinis actu finitae.

Ergo in iis lineis singulis et sunt puncta assignabilia, quae finite distant a puncto, a quo profectus sum; et est in singulis iisdem lineis punctum aliquod, quod actu infinite distat ab illo puncto. *Atqui* hoc esse nequit, nisi in aliquo puncto lineae uniuscuiusque ex lineis cogitatis sit distantia finita maxima a puncto, a quo exorsus sum, ita ut, distantia modica adiecta, habeatur distantia actu infinita. *Ergo* ex supposito extensionis formalis actu infinitae hoc dicendum est. *Atqui* manifesto repugnat distantiam modicam distantiae actu finitae additam efficere distantiam actu infinitam. *Ergo* suppositum illud rationi repugnat.

Nota. Assertum nostrum etiam demonstrari potest ita, ut ostendatur neque corpus naturale neque corpus mathematicum posse actu infinitum esse. Hoc facit *S. Thom.*, S. th. 1, q. 7, a. 3.

Coroll. Ergo non potest esse spatium actuale actu infinitum. Nam spatium actuale *realiter* non distinguitur a magnitudinibus corporeis exsistentibus (cf. *Haan,* Philos. nat. n. 35 sqq.).

225. *Assertum 4. Sub vario respectu res creatae dici possunt* ***secundum quid*** *infinitae.*

a) Res generis vel speciei superioris dici possunt *secundum quid* infinite superare res generis vel speciei inferioris, quia illae *certa* limitatione essendi his propria *omnino* carent (cf. *S. Thom.,* S. th. 1, q. 50, a. 2 ad 4).

b) Natura finita huius mundi quaelibet dici potest *secundum quid* infinita, quia abstracte concepta de tot rebus singularibus praedicabilis est, ut harum non sit limes assignabilis.

c) Materia prima *praecise qua materia absolute prima* concepta dicitur *secundum quid* infinita, quia per se est in potentia ad formam corpoream quamlibet (cf. *S. Thom.,* S. th. 1, q. 7, a. 1 c. § „Considerandum", et a. 2, obi. 3).

d) Intellectus humanus dicitur *secundum quid* infinitus, quia nihil est, quod, positis debitis condicionibus, non aliquatenus possit cognoscere (cf. *S. Thom.,* S. th. 1, q. 7, a. 2, obi. 2).

e) Numerus et extensio possunt dici *secundum quid* infinita, quatenus inveniuntur esse tanta, ut numeri et extensiones quaelibet nobis assignabiles prae iis quodammodo nihil sint.

Possunt etiam dici infinita, quatenus non est finis certus sive terminus, ultra quem *non possint augeri.* Attamen totalis magnitudo mundi corporei, utpote quae *qua quantitas interminata* ei concreata sit (cf. Psychol. rat. n. 491) non *augetur,* sed numerus successivorum *numquam non augebitur.* Unde intelliges, quae dicit S. Thomas (S. th. 1, q. 7, a. 3 ad 4).

Art. 4.

De immutabilitate Dei physica.

Thesis XIX.

226. **Deus est physice immutabilis.**

St. Q. 1. Mutari dicitur, quod in se ipso aliter se habere incipit, quam antea habebat. Quod contingere potest aut mutatione accidentali aut substantiali. Habetur mutatio

accidentalis, cum substantia individua certae speciei qua talis manens recipit accidentia, quae antea non habuit, v. g. cum homo rudis ornatur habitu scientiae. Substantialis autem mutatio fit, cum esse specificum substantiale alicuius subiecti mutatur, v. g. cum pabulum assimilatur corpori vivo, vel cum corpus vivum resolvitur in elementa.

2. Mutatio accidentalis variat pro varia specie accidentium. Mutatio substantialis aut oritur generatione aut corruptione alicuius formae substantialis. Nam mutari proprie non dicitur nisi subiectum, quod in mutatione permanet. Quare, cum res tota ex nihilo producitur aut in nihilum redigitur, non habetur proprie mutatio. Attamen vocabulo mutationis sensu minus proprio accepto, etiam creatio et annihilatio dicuntur mutationes. Sicut enim in mutatione proprie dicta est transitus de potentia subiectiva ad actum, respectu cuius aliquod subiectum est in potentia, vel de actu perfectiori ad actum imperfectiorem, sub quo subiectum manet in potentia remota ad actum perfectiorem: ita in creatione est transitus quidam de potentia obiectiva ad actum realem et in annihilatione de actu reali ad puram potentiam obiectivam (cf. *S. Thom.*, S. th. 1, q. 9, a. 2; q. 45, a. 2 ad 2).

227. 3. Sicut aliquod ens concipi potest sensu latiori et sensu strictiori mutabile, ita etiam concipi potest immutabile sensu latiori et sensu strictiori.

Sensu latiori immutabile est ens, quod neque de pura potentia obiectiva in actum realem transire neque de actu reali in puram potentiam obiectivam abire potest.

Sensu autem strictiori immutabile est ens, quod non ita in ordine exsistentiae realis manere potest, ut aliquid sui amittat vel aliquid, quod nondum habet, acquirat.

4. Deum esse sensu latiori immutabilem ostendetur art. 5, quo loco de aeternitate Dei agemus. Thesi igitur non agitur nisi de immutabilitate sensu strictiori accepta, quae aliquando dicitur *immutabilitas physica*. Ab ea distinguenda est immutabilitas Dei moralis, quae in eo consistit, quod Deus non potest mutare decretum liberum aeternum voluntatis suae physice immutabilis. De hac immutabilitate morali agemus in tractatu de voluntate divina, ubi etiam modum explicabimus, quo libertas Dei conciliatur cum eius immutabilitate.

228. *Arg. 1. (Ex pura actualitate Dei.)* Quod ita est actus, ut non simul sit potentia subiectiva respectu actus vel perfectioris vel imperfectioris, est physice immutabile. *Atqui* Deus ita est actus, quia natura sua est perfectus (thes. XV, pars I). *Ergo* Deus est physice immutabilis.

Arg. 2. (Ex simplicitate Dei.) Quidquid physice mutabile est, quantum ad aliquid sui manere, quantum ad aliquid aliud sui simul transire potest, et consequenter non est summe simplex. *Atqui* Deus est summe simplex (thes. XIV). *Ergo* ...

Arg. 3. (Ex Dei infinitate.) Deus est Ens natura sua sola infinite perfectum (thes. XV, pars II). *Atqui* ens natura sua sola infinite perfectum est physice immutabile. Ergo ...

Prob. min. Ens physice mutabile vel potest melius fieri perfectionem acquirendo, quam nondum habet, vel deterius perfectionem amittendo. *Atqui* Ens natura sua sola infinite perfectum non potest melius fieri, quia ex conceptu suo est id, quo nequit esse melius; neque potest deterius fieri, quia nullum ens manere potest absque eo, quod ei convenit vi naturae ipsius solius. *Ergo* Ens natura sua sola infinite perfectum est physice immutabile.

229. ***Obi. 1.*** Qui potest velle, quod non absoluta necessitate vult, physice mutabilis est. *Atqui* Deus velle potest, quod non absoluta necessitate vult, v. g. exsistentiam creaturarum. *Ergo* ...

Resp. *Dist. mai.:* Si sola natura sua perfecte possidet, quidquid ad electionem quamlibet sibi possibilem requiritur, *nego mai.*, secus, *conc. mai., contrad. min., nego cons.*

Obi. 2. Qui fecit aliquando, quod non semper fecit, mutatus est. *Atqui* Deus aliquando fecit, quod non semper fecit, v. g. creavit animas humanas. *Ergo* ...

Resp. *Dist. mai.:* Si effectum posuit vi solius decreti aeterni neque hoc decreto mutatus est, *nego mai.*, secus, *conc. mai., contrad. min., nego cons.*

Obi. 3. Deus factus est creator mundi, immo factus est homo. *Ergo* mutatus est.

Resp. *Dist. ant. p. 1.:* ... factus est creator per realitatem sibi additam, *nego ant. p. 1.*, ... per mundum ab ipso non mutato effectum, *conc. ant. p. 1.* Denominatur enim Deus creator, quia mundus ad ipsum refertur ut ad causam originis suae. *Dist. ant. p. 2.:* ... factus est homo per mutationem naturae di-

vinae in naturam humanam vel per compositionem sive naturae sive personae divinae cum natura humana, *nego ant. p. 2.*, ... per assumptionem naturae humanae ad personam divinam immutatam perseverantem, *conc. ant. p. 2.*

230. *Schol. Solus Deus est immutabilis* (*S. Thom.*, S. th. 1, q. 9, a. 2).

Nam substantiae corporeae non solum accidentaliter, sed etiam substantialiter mutabiles sunt; substantiae autem spirituales, licet substantialiter sint immutabiles, tamen accidentaliter mutabiles sunt. Praeterea omnes creaturae mutabiles sunt sensu latiori sive, ut S. Thomas dicit l. c., *„secundum potentiam creantis, in cuius potestate est esse et non-esse earum."*

Art. 5.

De aeternitate Dei.

Thesis XX.

231. **Deus est aeternus.** Interminabilis vitae tota simul ac perfecta possessio

St. Q. 1. Deus dicitur aeternus, quatenus vi solius naturae suae sine ulla mutatione durat sive esse perseverat. Nam tria sunt durationis genera: tempus, aevum, aeternitas. *Tempus* est duratio rerum, quae tum secundum substantiam tum secundum accidentia mutabiles sunt, quales sunt substantiae corporeae. *Aevum* est duratio rerum, quae non mutabiles sunt nisi secundum accidentia, ut spiritus creati. *Aeternitas* est duratio rei omnino immutabilis, quae res est Deus solus. Discrimen inter has tres durationes S. Thomas (S. th. 1, q. 10, a. 5, c. fin.) breviter ita effert: Tempus habet prius et posterius; aevum non habet prius et posterius, sed ei coniungi possunt; aeternitas neque habet prius et posterius neque ea compatitur.

232. 2. Celebris est definitio aeternitatis a Boëthio tradita: *„Aeternitas est interminabilis vitae tota simul et perfecta possessio"* (cf. *S. Thom.*, S. th. 1, q. 10, a. 1). Dicitur *possessio,* ut fixus et tranquillus durationis status designetur; *vitae* possessio, ut denotetur hanc durationem non posse esse absque vita; *interminabilis* vitae possessio, ut intelligatur ab exsistentia vere et proprie aeterna excludi omnem terminum, a quo inceperit vel in quem desinat non solum actualem, sed etiam possibilem; *tota simul* interminabilis vitae possessio, ut designetur

discrimen inter aeternitatem et tempus. Tempus enim secundum fundamentum suum reale per mutationes successivas constituitur. Denique aeternitas dicitur *perfecta* possessio, ut ab instanti temporis (sive a *„nunc"* temporis) distinguatur, quod est totum simul, sed imperfectum, quia non est nisi terminus, quo duratio successiva, quae fuit, cum duratione successiva, quae erit, iungitur.

3. Alia definitio aeternitatis, quae ab ea, quam modo exposuimus, essentialiter non differt, est haec: *Aeternitas est duratio rei, cuius nequit esse initium neque finis, et quae natura sua excludit omnem successionem tum in esse suo tum in modo essendi sibi interno.*

Probatur thesis ex hac definitione.

233. Ens, cuius exsistentiae esse non potest neque initium neque finis, et quod natura sua excludit omnem successionem in esse et in modo essendi sibi interno, est aeternum. *Atqui* Deus est tale ens; neque enim incipere potest, cum sit fons omnis esse a se exsistens; neque finem habere potest, quia eius esse est absolute necessarium et absolute independens; neque in esse vel in modo essendi eius ulla potest esse successio, quia est physice prorsus immutabilis. *Ergo* . . .

234. ***Obi. 1.*** Secundum thesim duratio Dei est tota simul. *Atqui* eiusmodi duratio videtur esse duratio per instans indivisibile tantum et consequenter nulla duratio. *Ergo* secundum thesim Deus omnino non durat.

Resp. *Dist. mai.:* . . . eo sensu, quod duratio Dei non coexsistat nisi uni temporis instanti, *nego mai.*, eo sensu, quod nullum temporis instans sit assignabile, quo in esse divino permanente non inveniatur, quidquid in eo umquam invenitur, idque cum ratione sufficienti totali, ob quam in eo inveniri possit, *conc. mai., contrad. min., nego cons.*

Obi. 2. In Deo est successio. Nam recte dicitur Deus *fuisse, esse, futurus* esse (cf. *S. Thom.*, S. th. 1, q. 10, a. 2, obi. 4).

Resp. *Nego ass., ad rationem:* ut significetur durationem Dei *eminenter* aequivalere omnibus durationibus transitoriis, quae fuerunt, sunt, erunt, *conc. ass.*, . . . ut significetur Deum secundum aliquem modum essendi sibi internum *fuisse* et *futurum esse*, secundum quem *non sit nunc, nego ass.*

Obi. 3. Secundum thesim diluvium coexsistit toti aeternitati Dei, et etiam haec disputatio nostra ei toti coexsistit. *Atqui*

duo, quae uni tertio coexsistunt, inter se coexsistunt. *Ergo* nos disputamus tempore diluvii.

Resp. *Dist. mai.:* ... toti aeternitati Dei *intrinsecus* spectatae, quatenus vocabulum aeternitatis *denotat* esse divinum immutabiliter sine initio et sine fine permanens, *conc. mai.,* ... toti aeternitati Dei *extrinsecus* spectatae, quatenus vocabulum aeternitatis *connotat* durationem eminenter aequivalentem omnibus durationibus terminatis et terminabilibus, *nego mai., contrad. min.:* duo, quae uni tertio coexsistunt, secundum *totam* eius durationem intrinsecus et extrinsecus spectatam, *conc. min.,* ... secundum totam eius durationem intrinsecus spectatam, *nego min., nego cons.*

235. *Schol. Deus solus est aeternus.* Nullum enim potest esse ens praeter Deum, cuius duratio non sit contingens, terminabilis, secundum accidentia mutabilis (cf. *S. Thom.,* S. th. 1, q. 10, a. 3; Qq. disp. Ver. q. 1, a. 5).

Art. 6.

De immensitate Dei.

Thesis XXI.

236. **Deus est immensus.**

St. Q. Immensitas quoad nomen est attributum, vi cuius ens nulli subicitur mensurae; quoad rem est attributum, vi cuius praesentia substantialis entis nullo modo mensurari potest sive nullis rebus circumscribitur.

Itaque immensitas Dei est perfectio divina, vi cuius Deus nullo spatio mensurari vel comprehendi potest. Dicitur Deus nullo spatio mensurari, quia substantia divina non est partim in una parte spatii, partim in alia, sed tota in toto et tota in singulis eius partibus. Deus autem nullo spatio comprehenditur, quia non solum est ubique in spatio actuali, sed ipsum infinite excedit, non quod extra spatium actuale exsistat *relative,* sed extra illud est absolute in se (cf. *S. August.,* Ep. ad Dardanum sive De praesentia Dei ep. 187 [al. 57], cap. 4. 6 [*Migne,* P. L. XXXIII, 836. 838]). Praesentia Dei relativa sive omnipraesentia quae dicitur se extendit ad res exsistentes tantum. Haec omnipraesentia est attributum Dei consequens immensitatem eius sub condicione, quod res actu

exsistunt. Etenim Deus, cum res creat, ambitum exsistentiae suae non auget, sed res creatae incipiunt coexsistere immensitati Dei sive substantiae divinae immensae.

237. Modus autem, quo Deus per essentiam suam omnibus rebus et locis adest, multum diversus est a modo, quo corpus aliquod est in ea spatii parte, quam occupat, necnon a modo, quo anima est in corpore. Nam corpus ita locum occupat, ut diversae partes substantiae corporeae diversis partibus loci, quem illud occupat, correspondeant. Anima autem humana tota quidem est in toto corpore et tota in parte eius qualibet, quam informat, attamen non est extra totum corpus. Substantia vero divina non solum exsistit tota in toto loco quolibet et tota in parte eius qualibet, sed etiam quoad exsistentiam suam nullis spatii limitibus includitur. Itaque terminis technicis Deus dicitur locis et rebus intime praesens esse *non circumscriptive* (secundum quod corpora naturaliter sunt in loco) *neque definitive* (ut substantia spiritualis creata, cuius praesentia certis limitibus definita est), sed *incircumscriptive simul et infinite (illimitate).*

238. *Arg. 1. (Ex eo, quod immensitas est perfectio pura.)* Ens, quod per essentiam suam ita ubique exsistit, ut in omnibus partibus spatii exsistat incircumscriptive et infinite, est immensum. *Atqui* Deus est ens eiusmodi. *Ergo* . . .

Prob. min. p. partes.

1. Deus exsistit ubique. Quatenus enim *esse ubique* nihil aliud significat nisi per ipsam substantiam suam omnibus rebus corporeis formaliter praesentem esse, *esse ubique* manifesto est perfectio sine defectu. *Atqui* Deo formaliter convenit omnis perfectio, quae concipi potest sine defectu (thes. XVI). *Ergo* . . .

2. Deus in omni spatio incircumscriptive et infinite exsistit, quia omnipraesentia circumscriptiva non convenit nisi corporum totalitati et definitiva involvit limitationem, quae omnipraesentiae entis actu infiniti convenire nequit.

239. *Arg. 2. (Ex eo, quod Deus in omni spatio possibili immediate agere potest.)* Deus summe simplex, cum spatio mensurari nequeat, dicendus est esse immensus, si spatio nequit comprehendi. *Atqui* spatio comprehendi nequit. *Ergo* . . .

Prob. min. Deus loco quolibet possibili spatii possibilis immediate aliquid efficere potest, quia in rebus creandis a nulla re sibi externa pendet. *Atqui* ut hoc possit, necesse est eum non comprehendi spatio. *Ergo* . . .

Prob. min. ult. Loci possibiles spatii possibilis in infinitum multi sunt assignabiles, qui singuli a spatio actuali certis intervallis distent. *Ergo,* ut Deus loco possibili quolibet spatii possibilis immediate aliquid efficere possit, necesse est eum aut immediate in distans agere posse aut spatio non comprehendi. *Atqui* immediate in distans agere non potest. *Ergo* spatio non comprehenditur.

240. *Prob. min. subs. duplici modo:* a) ex eo, quod actio immediata in distans repugnat; b) abstrahendo ab hac repugnantia ex eo, quod repugnat *Deum* immediate in distans agere.

Ad a) Causa efficiens effectum producit, quatenus per esse suum vel substantiale vel accidentale est ratio sufficiens, cur effectus sit; consequenter est etiam per esse suum ratio sufficiens determinationum, quae effectui *qua tali* insunt. *Atqui* inter has determinationes est certa effectus ubicatio ab omni alia ubicatione realiter distincta. *Ergo* causa efficiens per esse suum est ratio sufficiens illius ubicationis. *Atqui* nequit esse ratio sufficiens illius ubicationis, nisi per esse suum aut formaliter aut eminenter pertingit ad locum, in quo effectus est ubicandus; aliis verbis: nisi effectui suo sit immediate praesens. *Atqui,* quod omni causae efficienti *ex conceptu efficientiae abstracte consideratae convenit,* est perfectio sine defectu, quae primae causae efficienti sive Deo necessario convenit. *Ergo* Deus ita agit, ut effectui suo sit praesens.

241. *Ad b) Abstrahendo ab interna actionis in distans repugnantia ita licet arguere:*

Causa, quae sine sui mutatione nequit effectui suo praesens fieri, certe minus perfecta est quam ea, quae id potest. *Atqui,* si Deus in distans ageret, non posset effectui suo praesens fieri, quin se moveret, et consequenter non posset ei praesens fieri sine sui mutatione. *Ergo* esset minus perfectus, quam cogitari potest. *Atqui* Deus est infinite perfectus. *Ergo* non potest in distans agere.

242. ***Obi. 1.*** Indivisibile ad unum locum restrictum est. *Atqui* Deus est indivisibilis. *Ergo* ... (cf. *S. Thom.*, S. th. 1, q. 8, a. 2, obi. 2).

Resp. *Dist. mai.:* ... i. e. terminus indivisibilis continui, *conc. mai.*, ... i. e. substantia indivisibilis, spiritualis, *nego mai., contrad. min., nego cons.*

Obi. 2. Quod est alicubi totum, alibi esse nequit. *Atqui* Deus totus est uno loco. *Ergo* non est alibi (*S. Thom.* l. c. obi. 3).

Resp. *Dist. mai.:* ... non potest esse alibi secundum aliquam realitatem sibi propriam, secundum quam non sit priori loco, *conc. mai.*, non potest esse alibi secundum eandem totam realitatem, secundum quam est priori loco, *subd. mai.:* si est substantia corporea, *transm. mai.* (cf. *Haan,* Philos. nat. n. 51 sqq.), si est substantia spiritualis, *nego mai., conc. min., nego cons.*

Obi. 3. Deus non est extensus. *Atqui* ens immensum necessario est extensum. *Ergo* Deus non est immensus.

Resp. *Dist. mai.:* ... non est extensus *formaliter, conc. mai.*, non est extensus *virtualiter, nego mai.* Deus non ita exsistit, ut in se contineat partes entitativas iuxta invicem positas, sed ita, ut nullus locus sit possibilis, cuius essendi rationem (Seinsweise, way of existence) non eminenter in suo exsistendi modo praecontineat.

243. ***Obi. 4.*** Quanto aliquod agens est virtuosius, tanto ad magis distans eius actio procedit. *Atqui* Deus est agens virtuosissimum. *Ergo* res a mundo distantes creare et conservare potest, licet non sit immensus (*S. Thom.*, S. th. 1, q. 8, a. 1, obi. 3).

Resp. I. *Dist. mai.:* ... si supponitur agens, quod per media agat, *conc. mai.*, ... si supponitur agens, quod ab immediato suo effectu distet, *nego mai.*, nullus enim casus afferri potest, de quo id necessario affirmandum sit, praeterea ipsa actio in distans repugnat. *conc. min., nego cons.*, quia Deus non per media agit, quando novas res creat extra hunc mundum.

Resp. II. *Transeat mai., conc. min., dist. cons.:* Si non potest probari actionem in distans *Deo saltem* repugnare, *conc. cons.*, si id probari potest, sicut a nobis vere probatum est (n. 241), *nego cons.*

Obi. 5. Vi immensitatis Deus, si aliquid creat, incipit esse in rebus, in quibus antea non erat. *Atqui* id eius immutabilitati repugnat. *Ergo* non est immensus.

Resp. *Dist. mai.:* ... quatenus substantia divina in suo exsistendi modo perseverans necessario praesens est rebus creatis, quibus antea propterea solum non erat praesens, quia hae res non erant, *conc. mai.*, ... incipit esse in rebus suo exsistendi modo mutato, *nego mai., contrad. min., nego cons.*

244. *Schol. 1. De modo triplici, quo Deus est in rebus* (cf. *S. Thom.*, S. th. 1, q. 8, a. 3).

Deus „est in omnibus *per potentiam*, in quantum omnia eius potestati subduntur; est *per praesentiam* in omnibus, in quantum omnia nuda sunt et aperta oculis eius; est in omnibus *per essentiam*, in quantum adest omnibus ut causa essendi“ sive, ut hoc ultimum distinctius proponam cum Angelico (l. c. ad 1), „quia *substantia sua adest omnibus* ut causa essendi“. Quae substantialis Dei in omnibus rebus exsistentia a S. Thoma (l. c. a. 4) magis explicatur eo, quod dicit Deum *esse ubique primo et per se*. Dicitur enim Deus esse ubique *primo*, ut significetur substantiam Dei esse ubique ut ens simplicissimum, non vero ut ens, quod habeat partes extra partes localiter extensas. Dicitur autem Deus esse ubique *per se*, ut significetur suppositione extensionis cuiuslibet mundi facta Deum esse ubique; nam, ut ait Angelicus l. c., *„quotcumque loca ponantur, etiamsi ponerentur infinita praeter ista, quae sunt, oporteret in omnibus esse Deum“*. Quae est doctrina immensitatis a nobis thesi XXI proposita.

245. *Schol. 2. De veritatibus metaphysicis cum aeternitate et immensitate Dei comparatis.*

Ex aeternitate et immensitate Dei altius intelligitur, cur veritates metaphysicae sint independentes ab ullo loco et tempore. Exprimunt enim eae veritates relationes inter rerum essentias. Hae autem fundantur in Deo, qui propter aeternitatem et immensitatem suam ab omnibus relationibus spatii et temporis prorsus independens est. Itaque sicut ipse, qui est prima veritas in ordine reali et ideali, nullibi et nullo tempore potest non esse, ita illae veritates, quae cum eius essentia necessario connectuntur, adeo universaliter valere dicendae sunt, ut earum valor neque ad ullum tempus neque ad ullum locum restringatur.

Caput III.

De erroribus circa attributa Esse divini.

Art. 1.

De polytheismo.

246. Primos homines Deum unum verum cognovisse ex sacris libris clare constat. Falsa igitur est opinio eorum,

qui arbitrantur genus humanum ab initio fuisse in statu quodam feritatis, in quo homines non apti fuerint, qui primam rerum causam investigarent; dein mentium morumque cultura paulatim progrediente ad ideam invisibilis rerum visibilium gubernatoris pervenisse[1]. E contrario homines primi non solum clara Dei cognitione imbuti erant, sed etiam scientia alta rerum naturalium pollebant (cf. *S. Thom.,* S. th. 1, q. 94, a. 3, c. et ad 3); sed magna pars posterorum abusu libertatis in vitia, per vitia in idololatriam incidit. Primi enim idololatrae, „cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificarunt", unde „evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum" (Rom. 1, 22); quo fiebat, ut ea de divinitate fingerent, quae a recta ratione plane aliena erant. Quodsi has polytheistarum fictiones accuratius inspexerimus, facile intelligemus eas partim deberi studio hominum causas invisibiles formis sensilibus induendi, partim reverentiae, quae hominibus inesse solet erga parentes, heroes, reges; partim denique fraudi daemonum iunctae pravitati morali hominum. Ex primo horum fontium explicatur deificatio virium naturalium, ex altero deificatio maiorum, heroum, regum, ex tertio honores divini vitiis humanis tributi, oracula, sacrificia humana ad deos placandos instituta et similia. Polytheismo autem passim grassante monotheismus potius depravatus et obscuratus quam deletus et exstinctus fuit. Perseveravit enim in mentibus plurimorum etiam gentilium persuasio quaedam esse unum deum deorum, unum Ens supremum. Ita, ut aliqua huc pertinentia indicem, in libris sacris antiquorum Indorum, Iranianorum (Persarum), Aegyptiorum, Sinensium non pauca inveniuntur, ex quibus iuremerito concludas apud eas nationes monotheismum polytheismo antecessisse (cf. *Ch. Pesch,* Gottesbegriff I, 3. 5 sq. 26 sq. 121; II, 1, 22 sq.).

247. Neque desunt vestigia monotheismi originalis apud antiquos Graecos, Romanos, Slavos (*ibid.* I, 41. 61 sq. 71 sq.

---

[1] Inter quos est J. S. Mill, qui fidem in Deum unum vocat „*an artificial product,* requiring (except when impressed by early education) a considerable amount of intellectual culture, before it can be reached" (Essays on Religion p. 130).

76 sq.). Etiam apud tribus gentiles per tria saecula proxime elapsa detectas et accuratius investigatas eadem unius supremi alicuius Dei opinio passim apparuit, ut v. g. apud Polynesios (*ibid.* II, 2, 3), Micronesios (*ibid.* p. 30), apud varias tribus Africanas (*ibid.* p. 34 sq. 49 sq. 56 sq. 65. 73. 80. 86. 89. 95), apud tribus boreales (*ibid.* p. 100), apud Indianos Americae septentrionalis (*ibid.* p. 104 sq.), apud tribus rudes Americae meridionalis (*ibid.* p. 114), apud antiquos Mexicanos (Aztecas) (*ibid.* p. 123 sq.), apud antiquos Peruanos (*ibid.* p. 137). Multa testimonia ex antiquis auctoribus collecta, quibus fides unius Dei illustratur, invenies apud *Cudworth,* Syst. intell. cap. 4.

Art. 2.

De dualismo Manichaeorum.

Thesis XXII.

248. **Nequit exsistere summum principium malum sive auctor malorum a Deo uno et infinito independens.** (Cf. *S. Thom.,* S. th. 1, q. 49, a. 3; Contra gent. lib. 3, cap. 15.)

St. Q. Tertio aerae christianae saeculo Manes, auctor sectae Manichaeorum, innovavit antiquissimum Persarum dogma, esse duo rerum principia, unum bonarum, alterum malarum. Ratio, quae homines adduxit ad hoc absurdum fingendum, fuit difficultas originis malorum explicandae. Qua difficultate etiam aetate recentiori mentes philosophorum nonnumquam turbatas esse ex eo potissimum patet, quod hoc saeculo A. Schopenhauer et E. de Hartmann, duo philosophi Germani, hunc mundum hominumque vitam explicarunt ex voluntate quadam prima in mala et miserias inevitabiliter tendente (cf. *Stöckl,* Geschichte der neuern Philosophie II, 226 sqq. 464 sqq.). Eadem difficultate motus apud Anglos J. S. Mill asseruit inter varias alicuius exsistentiae supramundanae theorias eam prae ceteris rationi esse consonam, secundum quam exsisteret quidem Deus bonus, sed non Deus bonus omnipotens, utpote qui in bonitate sua manifestanda impediretur vel substrato aliquo rerum minus tractabili, quae

fuisset opinio Platonis, vel principio illo malorum a Manichaeis statuto [1].

Hinc intelliges non esse superfluum errorem illum antiquum explicite refutare. Ex argumentatione, qua id praestabimus, facile apparebit eam non minus valere, si principium malorum ponas materiam non creatam, quam si illud habeas spiritum a Deo bono independentem.

249. *Arg. 1. (Ex unitate Entis primi.)* Qui admittit duo principia prima independentia, admittat necesse est duo *entia a se*. *Atqui* nequit esse nisi unum *Ens a se* (thesis XIII). *Ergo* non possunt esse duo eiusmodi principia; consequenter praeter Deum bonum nequit exsistere summum principium malorum ab eo independens.

Arg. 2. (Ex infinitate Entis primi.) Principium primum malorum a Deo bono independens est ens summe malum, saltem eo sensu, quod natura sua ad ea efficienda tendat, quibus impediatur vel bonitas rerum singularium vel bonitas ordinis rerum universarum. *Atqui* repugnat exsistere aliquod ens prorsus independens sive aliquod *ens a se*, quod sit eiusmodi. Nam supra (thesi XV) probavimus Ens a se esse perfectum, immo infinite perfectum, consequenter praeditum intellectu infinite sapienti et voluntate infinite recta. *Ergo* ...

Nota. Ad solutionem obiectionum facilius intelligendam recole, quae in Ontologia dicta sunt de natura, divisione et causa mali (cf. *Frick*, Ontologia n. 173 sqq.).

250. *Obi. 1.* Effectus oppositi habent causas oppositas. *Atqui* bonum et malum sunt effectus oppositi. *Ergo* habent causas oppositas; consequenter, sicut effectuum bonorum causa prima est principium primum, independens, summe bonum; ita effectuum malorum causa prima est principium primum, independens, summe malum.

[1] „One only form of belief in the supernatural — one only theory respecting the origin and government of the universe — stands wholly clear both of intellectual contradiction and of moral obliquity. It is that which, resigning irrevocably the idea of an omnipotent Creator, regards Nature and Life not as the expression throughout of the moral character and purpose of the Deity, but as the product of a struggle between contriving goodness and an intractable material, as was believed by Plato, or a Principle of Evil, as was the doctrine of the Manicheans“ (Essays on Religion p. 116).

Resp. *Dist. mai.:* . . . quatenus propter realitatem suam positivam diversam inter se opponuntur, *subd. mai.:* habent causas proximas oppositas, *conc. mai.,* causam primam, *nego mai.,* . . . quatenus inter se opponuntur propter privationem uni adiunctam, alteri non adiunctam, *nego mai.,* quia non repugnat unam eandemque causam duos ponere effectus, quorum uni accidat privatio, alteri non, *contrad. min.:* res bona, quae efficitur, opponitur rei malae, quae efficitur, ut res una positiva alteri *rei positivae qua tali, nego min.,* . . . ut res positiva certa perfectione praedita *rei positivae, quae ea perfectione privatur, conc. min., nego cons.*

251. ***Obi. 2.*** Si non est nisi unum principium primum infinite bonum, id causare non potest nisi bona. *Atqui* in mundo non solum sunt bona, sed etiam mala. *Ergo* falsum videtur esse non exsistere nisi unum primum principium infinite bonum.

Resp. *Dist. mai.:* . . . *per se* causare non potest nisi bona, *conc. mai., per accidens* causare non potest nisi bona, *subd. mai.: per accidens* causare non potest malum morale, *conc. mai., per accidens* causare non potest malum physicum, *iterum subd. mai.:* non ut medium ad finem, *nego mai.,* non ut finem, *conc. mai., conc. min., nego cons.*

Ratio, ob quam Deus causare non potest malum morale, ea est, quod ipse est recta regula morum neque potest agere contra naturam suam. Ad quaestionem autem, quonam modo malum morale oriatur, respondendum est illud eo oriri, quod creatura aliqua rationalis libere se privat recta voluntatis suae et actionum suarum voluntariarum regula, quatenus ad agendi regulam a creatore sibi manifestatam *tunc non attendit, cum ad eam attendere potest et debet,* ideoque ex regula sibi servanda sed libere neglecta aliquid omittit vel agit; quo ipso habetur omissio vel actio libera a fine naturae rationalis difformis, i. e. moraliter mala. Ut in tractatu de providentia divina exponemus, Deus malum physicum intendere potest ut medium ad finem bonum, v. g. malum physicum morbi corporis ad salutem animae. Malum autem morale ne ut medium quidem ad finem intendere potest; attamen ab eo praeviso *occasionem* sumit ad bonum aliquod efficiendum, quare dicitur *de malo elicere bonum.* Quare S. Thomas (Qq. Disp. Pot. q. 3, a. 6 ad 20) dicit: „In actu peccati quidquid est entitatis vel actionis, reducitur in Deum sicut in *primam* causam; quod vero est ibi deformitatis, reducitur sicut in *causam* in liberum arbitrium.“ Aliis verbis: Deus per creationem, conservationem, concursum suum est *prima* causa exercitii actualis libertatis respectu obiecti, quod eligi non potest absque peccato;

est etiam prima causa effectus physici, qui illud exercitium sequitur; attamen neutrius est causa *proxima.* Sed si quaeras, quae sit causa, quod libertas creata, quae actu de obiecto sine peccato non eligibili exercetur, ita exercetur, ut creatura illud obiectum eligat potius quam reiciat, ex mente Angelici respondendum est: Huius a recta electionis regula difformitatis Deus neque prima neque proxima causa est, cum illa difformitas libero arbitrio creaturae soli debeatur. Plura de hac re in tractatu de concursu divino.

252. ***Obi. 3.*** Si principium bonum solum exsisteret, omnia mala impediret; secus enim esset aut invidum aut imbecillum aut utrumque simul.

Resp. *Nego ass., ad rationem nego* disiunctionem esse completam. Ratio enim, ob quam Deus non impedit omnia mala, esse potest et revera est haec, quod *ei placet mala praevisa sapienter finibus bonis subordinare.* Itaque ex malorum permissione neque ad invidiam neque ad imbecillitatem Dei concludendum est, sed ad haec tria: a) ad exsistentiam rationis cuiusdam, ob quam Deus sapientissime iudicet certa mala ab ipso recte non impediri; b) ad decretum, quo Deus statuerit certa mala non impedire; c) ad decretum, quo Deus mala praevisa subordinaverit finibus suis sapientibus, *quamquam mala moralia non intendit ob hos fines.*

253. ***Obi. 4.*** Bonum et melius dicuntur per respectum ad optimum. *Ergo* malum et peius dicuntur per respectum ad pessimum. Consequenter sicut optimum est causa boni et melioris, ita pessimum est causa mali et peioris.

Resp. *Conc. ant., nego cons.* propter disparitatem. Nam malum *qua malum* non est *ens* sicut bonum *qua bonum,* sed *privatio entis.* Quare malum et peius dicuntur per *recessum* a principio summe bono, sicut bonum et melius dicuntur per *accessum* ad illud. Quodsi nihilominus quaeras, cur malum et peius nequeant dici cum respectu ad naturam *totaliter* malam, respondetur: quia talis natura intrinsecus repugnat, cum malum nequeat esse nisi in subiecto natura sua bono (cf. *S. Thom.*, S. th. 1, q. 49, a. 3 ad 3).

Obi. 5. Res malae apud nos exsistentes sunt malae per participationem. *Atqui,* quod est tale per participationem, reducitur ut ad causam ad aliquid, quod est tale per essentiam. *Ergo* omnes res malae apud nos exsistentes sunt a re, quae est mala per essentiam.

Resp. *Nego mai., conc. min., nego cons.* Maior est neganda, quia nulla res est mala per realem participationem, sed per privationem boni debiti, quae a nobis apprehendi potest ut participatio entis, sicut non-ens apprehendi potest ut ens (cf. *S. Thom.*, S. th. 1, q. 49, a. 3 ad 4).

254. ***Obi. 6.*** Aliquid ab aliquo principio *per accidens* causatur, quatenus simul cum eo principio exsistit aliud principium, a quo *per se* causetur. *Atqui* ex concessis malum a primo principio bono *per accidens* causatur. *Ergo* simul cum hoc principio exsistit aliquod principium primum malum, a quo *per se* causetur.

Resp. *Dist. mai.:* Aliquid, quod *per se* causabile est, *conc. mai.*, aliquid, cui repugnat *per se* causari, *nego mai. Dist. min.:* Omne malum, etiam malum morale, a primo principio bono ex concessis *per accidens* causatur, *nego min.*, malum physicum, *subd. min.:* et hoc est *per se* causabile, *nego min.*, et huic repugnat *per se* causari, *conc. min., nego cons.* (cf. *S. Thom.*, S. th. 1, q. 49, a. 3 ad 5).

Obi. 7. Si malum per accidens causatur, non est in maiori parte rerum. *Atqui* est in maiori parte rerum. *Ergo* non *per accidens* causatur.

Resp. *Dist. mai.:* Si *per accidens* sine dependentia a libertate creata causatur, *conc. mai.*, si per accidens quidem, sed cum dependentia a libertate creata, *subd. mai.:* non est in maiori parte earum rerum, quae a libertate creata non pendent, *conc. mai.*, non in maiori parte earum rerum, quae ab ea pendent, *subd. mai.:* non necessario, *conc. mai.*, non potest in ea inveniri contingenter, *nego mai., contrad. min., nego cons.* (cf. ad responsum *S. Thom.*, S. th. 1, q. 49, a. 3 ad 5; Qq. Disp. Pot. q. 3, a. 6 ad 5).

Insto. Atqui videtur malum esse in maiori parte earum quoque rerum, quae a libertate humana non pendent. Ubi enim inveniamus animal vel plantam sine ullo prorsus defectu naturali?

Resp. *Nego min. subs.*, ad rationem additam *nego* inde sequi malum esse in maiori parte rerum; nam, licet in corporibus vivis singulis inveniantur aliqui defectus, tamen partes pleraeque eorum fini suo naturali *communiter* praeclare inserviunt. Unaquaeque autem pars corporis vivi est *res* aliqua.

Art. 3.

De pantheismo.

§ 1.

Praeliminaria de notione et praecipuis theoriis pantheismi.

255. A. *De notione pantheismi.* Nomine pantheismi comprehenduntur omnes eae theoriae philosophicae, secundum quas Deus qua *primum principium mundo* ***sub certo respectu*** *superius agnoscitur,* attamen ab eo non sufficienter distinguitur. Nam qui pantheismo adhaerent, Deum quidem habent illud primum, a quo sit materia corporea et anima humana quae vulgo dicantur; sed modum, quo utrumque a Deo sit, ita explicant, ut utriusque a Deo distinctio revera non sit distinctio realis adaequata, sed inadaequata tantum, immo apud aliquos pantheistas vix quidquam aliud quam distinctio modalis. Diversi autem modi, quibus in systematis pantheisticis diversis rerum a Deo processio explicatur, ad duos reduci possunt, qui sunt *emanatio realis* et *evolutio realis.* Secundum eos, qui emanationem realem statuunt, creaturae non sunt substantiae ex nihilo effectae, sed realitates de substantia divina emissae; secundum eos autem, qui realem evolutionem docent, Deus in sua substantia successive evolvit eas realitates, quae vulgo dicuntur creaturae. Itaque distingui solet pantheismus emanasticus et pantheismus immanens. Pantheismus recentior est immanens; vocatur etiam monismus pantheisticus.

256. B. *De theoriis praecipuis pantheismi* (ad ea, quae hoc loco brevissime indicantur, praeter manualia historiae philosophiae ab Ueberweg, Zeller, Stoeckl, Gonzalez edita, comparari poterunt *De San,* Cosmologia I, 12 sq., et *Hontheim,* Theodicaea n. 688 sqq.).

a) De theoriis antiquioribus, Spinoza prioribus.

1. *Pantheismus Indicus* (Vedantismus, Mimansa), qui iam pluribus ante Christum saeculis exstitit. *Summa:* Brahma est omnia, et omnia sunt Brahma, et quidquid Brahma non est, somnium est et illusio.

2. *Pantheismus Eleaticus,* a Parmenide (n. c. 515 a. Ch.), Zenone (n. c. 490 a. Ch.), Melisso (floruit 440 a. Ch.) pro-

positus. *Summa:* Unum viget esse, quod in omnibus et per omnia identicum est.

3. *Pantheismus hylozoicus Stoicorum,* cuius auctor fuit Zeno Cittiensis († 258 a. Ch.). *Summa:* Mundus ingens est animal, cuius anima est Deus.

4. *Pantheismus Neoplatonicorum* (imprimis elaboratus a Plotino, saec. III. p. Ch.). *Summa:* Deus (Bonum, Unum) est principium omnium, ex quo emanat mens; ex mente emanat anima mundi; ex anima mundi emanat materia, cui cum immergitur anima mundi, rerum mundanarum multitudo efformatur.

257. 5. *Pantheismus apud Scotum Erigenam* (in opere De divisione naturae, saeculo IX. p. Ch.). Secundum hunc auctorem *nihil illud,* ex quo omnes res creatae sunt, est ipse Deus, qui recte dicitur *nihil,* quatenus non est determinate aliquid eorum, quae sunt; attamen natura divina recte dicitur omne id, quod vere est, recteque dicitur fieri in omnibus, quatenus omnes res creatae sunt totidem eius determinationes et varii aspectus.

6. *Pantheismus, qui apud sectatores Almarici Carnutensis* († 1209) *vigebat,* cum dicerent Deum recte haberi esse formale omnium rerum, quem errorem S. Thomas indicat S. th. 1, q. 3, a. 8, c., et explicite refutat Contra gent. lib. 1, cap. 26.

7. *Pantheismus Davidis Dinantensis* (saec. XIII), qui asseruit Deum esse subiectum commune omnium rerum (materiam primam); contra quem errorem cf. *S. Thom.,* S. th. 1, q. 3, a. 8 ad 3, et Contra gent. lib. 1, cap. 17.

258. 8. *Pantheismus Iordani Brunonis* († 1600), *praecursoris Spinozae.* Secundum eum una exsistit substantia, in qua absoluta et infinita actualitas identificatur cum absoluta et infinita potentialitate. Haec igitur una substantia est potentia potentiarum (materia mundi) et forma formarum (forma mundi). Quatenus interna activitate formas in ipsa inclusas explicat, est anima mundi et intellectus universalis in omnibus vivens et operans. Ita autem in varias formas se explicat, ut primo evolutionis suae momento quadantenus se scindat in duplicem materiam, scl. in materiam extensam, quae est materia rerum corporearum, et materiam inextensam, quae est materia rerum spiritualium. Deinde ita se explicat, ut progressu quo-

dam se evolvat a formis magis indeterminatis ad formas magis determinatas. Singulae autem res sunt aspectus mutabiles eiusdem unius substantiae.

9. *Pantheismus Jacobi Boehme* († 1624), secundum quem ad rei cuiuslibet productionem praeter causam efficientem requiritur causa materialis, quam dicit esse essentiam divinam (cf. Pantheismus Davidis Dinantensis supra n. 7).

b) De theoriis recentioribus inde a Spinoza.

259. 1. *Pantheismus Spinozae* († 1677). Dogmata praecipua huius theoriae, quam Spinoza in opere famosissimo *„Ethica"* exposuit, sunt haec:

I. Unica est Substantia, quae est aeterna et infinita Substantia divina (Op. c. pars 1, prop. 6—8 et 11).

II. Substantia infinita divina infinitis constat Attributis. Ex his autem duo tantum nobis nota sunt: infinita et absoluta Cogitatio et infinita et absoluta Extensio (*ibid.* pars 1, prop. 11; pars 2, prop. 1 et 2).

III. Ex unoquoque Attributo divino infiniti sequuntur Modi, qui non constituunt ipsam essentiam divinam sicut Attributa, sed in ea sunt et efficienter procedunt ab ea; ex unoquoque Modo iterum procedunt infiniti alii Modi et sic porro in infinitum, progressu quodam a Modis magis indeterminatis ad Modos magis determinatos (*ibid.* pars 1, prop. 16, schol. ad prop. 29, prop. 21).

IV. Res singulae huius mundi sunt Modi finiti Substantiae infinitae (*ibid.* pars 1, prop. 28).

V. Deus, secundum quod per se concipitur et est causa omnium rerum, dicitur *natura naturans;* omnes autem Modi Attributorum divinorum dicuntur *natura naturata* (*ibid.* pars 1, schol. ad prop. 29).

Natura igitur naturans secundum Spinoza active et successive se evolvit in naturam naturatam.

VI. Omnia, quae quomodocumque fiunt, ex absoluta necessitate Substantiae divinae determinata sunt (*ibid.* pars 1, prop. 29).

VII. Deus solus est causa libera, non quod ipse non absoluta necessitate operetur, sed quatenus operatur a nullo coactus (*ibid.* pars 1, prop. 17 cum schol.).

VIII. Deus non operatur propter fines aliquos, nec est

in rerum natura discrimen *internum* inter bonum et malum, pulchrum et deforme (*ibid.* Appendix ad part. 1, Introductio in part. 4 et prop. 64, coroll., prop. 68).

IX. Evolutio Substantiae divinae, quatenus est simul absoluta Cogitatio et absoluta Extensio, ita progreditur, ut omni Modo Extensionis, quem in se producit, respondeat Modus aliquis Cogitationis (*ibid.* pars 1, prop. 7 et coroll. cum schol.).

260. 2. *Pantheismus Ioannis Gottlieb Fichte* (1762—1814), qui subiectivismum Kantianum logice evolvens omnem realitatem reducit ad *Ego* cogitans, quod cum cogitando se ponit, ea, quae praeter ipsum apparenter sunt, sibi opponit. Itaque, quaecumque apprehenduntur ut distincta ab *Ego,* haec non sunt nisi phaenomena *Ego* cogitantis neque exsistunt extra *Ego.* Ratio autem, cur *Ego* sive Ipseitas absoluta, cum cogitando se ponit, necessario *Non-Ego* sibi opponat, ea est, quod illi Ipseitati nescio quod offendiculum inest, quo impeditur, ne pro tota sua infinitate se ponat. Inde enim est, quod *Ego* se ponendo experitur aliquid, quod *qua Ego* se manifestare nequit. Ex eodem offendiculo ineffabili explicandum est, quod *Ego* absolutum, cum se ponendo sui conscium fit, sui conscium fit ut *Ego* limitatum. Quodsi quaeras, qua ratione probetur illud *offendiculum* (Schranke, Anstoss), Fichte respondet id non posse *probari,* sed debere *postulari,* utpote sine quo mundus phaenomenalis explicari nequeat (cf. *Stöckl,* Gesch. der neuern Philosophie II, 73 sq.).

261. 3. *Pantheismus Friderici Gulielmi Jos. Schelling* (1775 ad 1854); qui aliquando (1800—1803) existimavit divinitatem (Absolutum) esse aliquid ad *Ego* et *Non-Ego* Indifferens; eam enim esse Identitatem absolutam sive Indifferentiam omnium differentiarum, in qua funditus evanescat omnis differentia atque oppositio ordinis idealis et realis, spiritus et naturae, infiniti et finiti etc. Attamen Deus qua Indifferentia sive Identitas absoluta res inter se oppositas *duratione* non praecedit, sed *natura tantum,* quippe qui exsistere nequeat, quin se evolvat in mundum spiritualem et corporeum. Postea Schelling hanc theoriam multum mutavit (cf. *Stöckl,* Gesch. der neuern Philosophie II, 103 sqq. *Zeller,* Geschichte der deutschen Philosophie [ed. 2] p. 549 sqq.).

262. 4. *Pantheismus Georgii Gulielmi Friderici Hegel* (1770 ad 1831), secundum quem Absolutum dupliciter concipi debet:

a) quatenus est *Ens Abstractum*, i. e. *ens* ab omni subiecto contemplante omnique obiecto contemplabili praecisum sive *ens indeterminatissimum;*

b) quatenus est identitas omnium oppositorum, in quae Absolutum potentia negativitatis sibi propria se in triplici ordine evolvit: in mundo pure intelligibili ut *conceptus;* in mundo exteriori ut *natura* (sensibilis); in mundo interiori ut *spiritus*. Ex quo patet secundum Hegel id, quod proprie reale est, non esse τὸ singulare, sed τὸ universale, neque esse realem distinctionem inter *„esse"* et *„cogitare"*.

263. 5. *Pantheismus (Pessimismus) Arthuri Schopenhauer* (1788 ad 1860), qui omnia habet „obiectivationes" alicuius Voluntatis primae funestissimae, quae Voluntas, prout in homine se manifestat, fatali quadam necessitate ab assequenda omni vera felicitate ita impeditur, ut miseria humana numquam possit perfecte tolli (cf. *Stöckl,* Gesch. der neuern Philosophie II, 231, n. 25. 26).

6. *Pantheismus (Pessimismus) Eduardi de Hartmann,* qui principium rerum ponit Voluntatem aliquam Primordialem *Inconsciam,* quae natura sua sola non est nisi potentia pura absque actualitate (Wesen ohne Dasein). Ex pura potentia volendi haec Voluntas se evolvit ad statum quendam inter potentiam puram et actum perfectum intermedium. Qui status cum non posset esse, quin Voluntas instinctive eum abhorreret, haec secundum ideas sibi immanentes modo quodam inconscio se ipsam perfecte actuavit sive realisavit, quo ipso ortus est mundus. Sed hac sui realisatione Voluntas primitiva miseriam suam non minuit, sed auxit, id quod imprimis patet ex illo phaenomeno illius Voluntatis, in quo perfecte sui conscia facta est, scl. ex vita humana. Omnis enim hominis felicitas tandem vertitur in miseriam.

264. 7. *A pantheismo non est immunis panentheismus C. Ch. Friderici Krause* (1781—1832). Secundum Krause enim Deus est quidem Essentia prima, Essentia simpliciter, personalis, beata. Sed haec Essentia ita est ratio immanens rerum universarum, ut hae res nihil aliud sint quam combinatio quaedam (das Zusammen) trium essentiarum fundamentalium in

una Essentia prima distinguendarum; quae tres essentiae sunt: Ipseitas (die Selbstheit), Totalitas (die Ganzheit), Unio substantialis Ipseitatis et Totalitatis (Vereinswesenheit von Selbstheit und Ganzheit) (cf. *Stöckel* Op. c. II, 214 sqq.).

Qui eas, quas enumeravimus, theorias pantheisticas cum iis, quae de summa Dei simplicitate, immutabilitate infinitaque perfectione supra probata sunt, comparaverit, facile quidem intelliget eas omnes a recta ratione esse plane alienas. Nihilominus modernus monismus pantheisticus explicite refutandus est, ut falsitas eius ex ipsis fundamentis, quibus superstructus est, evidentius pateat, et fallaciae, quibus munitur, distinctius refellantur.

§ 2.

Refutatur monismus pantheisticus recentior.

Thesis XXIII.

265. Pantheismus modernus universim inspectus experientiae et rationi repugnat; ex eoque logice ea sequuntur, quibus admissis incitamenta honestatem constanter sectandi destruuntur.

St. Q. Nomine pantheismi moderni intelligimus septem illa systemata supra, § 1 b, enumerata, quae appellantur a Spinoza, Fichte, Schelling, Hegel, Schopenhauer, Hartmann, Krause. Quorum auctorum theoriae quamquam aliae ab aliis multum differunt, iis tamen omnibus duo dogmata fundamentalia communia sunt, secundum quae eas hoc loco consideramus. Omnes enim illi auctores haec duo statuunt:

1. *Esse divinum est aliquatenus identicum cum rebus omnibus, quas esse vel cognoscimus vel nobis videmur cognoscere.* Tenent igitur Deum, primum rerum principium, rebus, quae ab ipso sunt, non solum secundum esse suum ita immanere, ut divina substantia omnibus intime inexsistat sive omnino praesens sit, sed ita quoque, ut ipsum Esse divinum, licet sub certo respectu ab iis, quae vulgo dicuntur creaturae, differat, nequaquam *simpliciter, infinite, immutabiliter* ab Esse rerum aliarum diversum sit, sed potius per creaturas a Deo procedentes evolvatur atque explicetur.

2. *Mundus qui dicitur non est nisi aliqua evolutio Dei.* Nam secundum omnia illa systemata Deus, ens primum,

activitate intestina secundum legem quandam fatalem se evolvit: hinc in mundum spiritualem, illinc in mundum corporeum eumque vel mere phaenomenalem (Fichte, Schopenhauer) vel realem.

266. Pars I. Pantheismus modernus experientiae et rationi repugnat.

A. *Experientiae repugnat.* Experientia interna, ut in Psychologia vidimus, nobis multa testatur, ex quibus evidenter concludendum est hominem, quando deliberate agit, ita agere, ut ab ipso pendeat, quod, omnibus ad agendum praerequisitis positis et stantibus, circa certum obiectum potius agat quam non agat, vel potius uno modo quam alio modo (v. g. potius intensius quam remissius) agat (cf. Psychol. rat. n. 378 sqq.). Experientia autem externa nobis ostendit multa agentia corporea in fines internos diversos tendentia et non raro inter se pugnantia (cf. *Haan,* Philos. nat. n. 230 sqq.). *Atqui* neutra experientia componi potest cum dogmate pantheistarum omne *esse* et omne *agere* realiter non differre ab explicatione et activitate essentiae divinae. Nam, hoc dogmate admisso, nulla actio homini est imputabilis, neque possunt esse plura agentia inter se pugnantia, quin eo ipso divinitas evadat ens intrinsecus contradictorium. *Ergo* pantheismus experientiae repugnat.

267. B. *Rationi repugnat.* Illa opinio certo rationi repugnat, quae logice stare nequit cum principiis contradictionis et causalitatis. *Atqui* pantheismus cum iis principiis logice stare nequit. *Ergo* . . .

Prob. min. p. partes.

1. Secundum pantheistas Ens primum (*Substantia* Spinoziana, *Ego* Fichtianum, *Indifferentia absoluta* Schellingiana, *Ens abstractissimum* Hegelianum, *Voluntas* Schopenhaueriana, *Inconscium* Hartmannianum, *Essentia essentiarum* Krausiana) revera est Ens incondicionatum sive a se exsistens. Porro Ens a se exsistens, ut cap. II. huius libri ostendimus, absoluta necessitate est actus purus, Ens natura sua infinite perfectum, simplicissimum, immutabile, a quo omnis se evolvendi potentia prorsus aliena sit.

Atqui his non obstantibus pantheistae asserunt Ens pri-

mum eius esse naturae, ut ipsi potentialitas ad multiplices essendi modos eosque finitos propria sit. *Ergo* de ipsa essentia Entis primi ea simul affirmant, quae logice explicata contradictorie inter se opponuntur; quo ipso constat pantheismum cum principio contradictionis logice stare non posse.

2. Secundum principium causalitatis in nullo effectu potest esse ulla perfectio, quae in causa eius *totali* neque formaliter neque eminenter contineatur.

Atqui actus, quem deus pantheisticus se evolvendo qua causa totalis in se ipso efficit, antequam eum efficit, neque formaliter neque eminenter in eo exsistit, sed potentialiter solum.

Ergo deus pantheisticus sua activitate manifesto repugnat principio causalitatis.

268. Pars II. Ex pantheismo ea logice sequuntur, quibus admissis incitamenta honestatem constanter sectandi destruuntur.

Negato essentiali inter bonum et malum morale discrimine, negatis libertate arbitrii, immortalitate individuali et retributione vitae futurae, hominibus ea desunt, quibus ad honestatem constanter sectandam excitentur; id quod experientia et historia luculenter testantur.

Atqui admisso pantheismo logice sequitur ea omnia esse neganda. *Ergo* . . .

Prob. min. p. partes.

1. *Admisso pantheismo logice sequitur libertatem arbitrii et essentiale inter bonum et malum morale discrimen neganda esse.* Facile patet nullam esse libertatem arbitrii humani; nam omnes actiones humanae a natura divina, quae in homine se explicat sive suam vitam vivit, *adaequate* determinantur. *Ex hoc autem ita concluditur non esse essentiale discrimen inter bonum et malum morale.*

Secundum pantheistas omnes actiones humanae, eae quoque, quae vulgo habentur maxime turpes, non sunt nisi momenta vitae divinae in natura humana explicata. Consequenter, quidquid homo agit, est manifestatio legis evolutionis, qua ipsa divinitas tenetur. *Atqui,* quod legi divinitatis conforme est, non potest esse intrinsecus malum. *Ergo* secundum

pantheistas nulla actio humana est intrinsecus mala. Consequenter nullum est essentiale discrimen inter bonum et malum morale [1].

2. *Admisso pantheismo logice sequitur immortalitatem individualem et retributionem vitae futurae esse negandas.* Secundum pantheistas homo, quatenus est ens singulare, est specialis quidam essendi modus divinitatis, qui mox cessabit. *Atqui* hoc statuto de immortalitate individuali et retributione vitae futurae non potest esse sermo. *Ergo* . . .

269. ***Obi. 1.*** Ens primum est ens illimitatum. *Atqui*, si mundus ab ipso procedens non manet in eius essentia, non est ens illimitatum, sed finitum. *Ergo* mundus in eius essentia manet [2].

Resp. *Conc. mai., nego min. et cons.* Quamquam enim mundus est extra essentiam Dei, i. e. quamquam res mundanae sunt essentiae vi creationis divinae in se subsistentes, ab essentia divina a se et in se subsistente infinite diversae, nihilominus Deus est Ens vere actu infinitum. Ipse enim omnia entia mundana eminenter et virtualiter in sua essentia praecontinet; entia autem mundana infinitam Dei essentiam imperfecte tantum imitantur. Quare mundus additus Deo non est aliquid perfectius Deo solo.

Insto. Extensionis essentiae divinae non potest esse limes. *Atqui,* si mundus in ea non manet, est limes extensionis essentiae divinae. *Ergo* mundus in ea manet.

Resp. *Dist. mai.:* . . . i. e. non possunt esse res ab illa essentia totaliter diversae in se subsistentes, *nego mai.,* i. e. non possunt esse res, quibus illa essentia non intime praesens sit, ut causa eas conservans earumque activitatem sustentans, *subd. mai.:* per extensionem formalem sui, *nego mai.,* per extensionem sui virtualem, *conc. mai.* (cf. thes. XXI).

270. ***Obi. 2.*** Quorum est unus conceptus obiectivus, eorum est unum Esse. *Atqui* Dei et rerum mundanarum est unus conceptus obiectivus. *Ergo* Dei et rerum mundanarum est unum Esse.

---

[1] Spinoza hanc conclusionem explicite statuit: Nulla actio secundum se considerata aut bona aut mala est (Ethica pars 4, prop. 59 sub fin. demonstrationis; cf. *ibid.* prop. 45, schol. 2).

[2] „Quale nam Ens Absolutum est illud, quod non in se contineat, quidquid est actuale, ipso malo non excepto?“ (*Hegel,* Geschichte der Philosophie [Op. XV, 275]. Cf. *Mansel,* Limits of Religious Thought p. 46.)

Resp. *Dist. mai.:* . . . unus conceptus obiectivus, qui Esse singulorum adaequate et comprehensive exprimat, *trans. mai.*[1], unus conceptus obiectivus, qui Esse singulorum maxime inadaequate et indeterminate exprimat, *nego mai., contrad. min., nego cons.*

Obi. 3. Esse non potest multiplicari. *Ergo* non est nisi unum ens multipliciter determinatum.

Prob. ant. Nihil praeter Esse exsistere potest, quin sit aliqua determinatio ipsius Esse. *Atqui* Esse determinatione sibi addita non multiplicatur, quippe quod in ea includatur. *Ergo* Esse non potest multiplicari.

Resp. *Dist. ant.:* Esse abstractissimum ideale, *conc. mai.*, Esse reale, *subd. mai.:* i. e. non possunt esse multa entia ab invicem divisa, de quibus praedicari possit Esse reale a se exsistens, *conc. ant.*, i. e. non possunt esse multa ab invicem divisa, quibus singulis suum Esse ab Esse aliorum realiter diversum proprium sit, *nego ant. Ad prob. ant. dist. mai.:* . . . i. e. omnia, quae exsistere possunt, nihil aliud sunt nisi una res, quae sit ipsum Esse abstractissimum, *nego mai.:* . . . nulla potest esse res exsistens, de qua non praedicandum sit ens abstractissimum cum aliqua determinatione ipsius, *conc. mai., conc. min., nego cons.*

271. ***Obi. 4.*** Qui Enti primo non tribuit infinitatem et finitatem, non potest explicare, cur oriantur effectus finiti, quia finitudinis eorum nulla esset ratio. *Ergo* pantheistis non videtur contradicendum.

Resp. *Nego ant. et cons., ad rat. ant. nego ass.* Ratio enim finitudinis effectuum est, quod essentia divina secundum suum Esse infinitum non est *multiplicabilis*, sed per multa entia finita ex nihilo creata *imitabilis.*

Obi. 5. Non videtur repugnare Deo convenire ea, quae mundo sunt propria, dummodo dicamus Deum secundum se esse ens impersonale, quod in homine fiat personale.

Resp. *Nego ass.* Intrinsecus enim repugnat Deum esse ens impersonale. Nam Deus intelligitur Ens absolute primum, causa absolute prima. A nobis autem probatum est non posse esse nisi unum Ens primum, unam causam primam, cui propria sit perfectio

[1] Transmisi *mai.* priori modo explicatam, quia est quaestio controversa, num possint esse duo entia secundum essentiam ab invicem divisa, quae sint alterum alteri *sub omni respectu* perfecte similia (videsis *Kleutgen,* Philos. schol. n. 19).

infinita, consequenter intellectus infinitus et voluntas infinite perfecta. Praeterea, cum dicitur Deus esse aliquid impersonale, quod se evolvat in mundum, et in homine ad sui conscientiam perveniat; implicite etiam statuitur mundum esse unam substantiam, id quod omnino falsum esse ex probatione theseos patet.

272. ***Insto.*** Ratio personae, conscientia teste, involvit limitationem. *Ergo* Deo convenire nequit nisi forte, quatenus se ipsum in homine limitat.

Resp. *Nego ant. et cons.* Conscientia nobis testatur ea, ex quibus concludendum est personam *humanam* esse limitatam. Sed intellectus rationem personalitatis abstracte considerans in ea invenit rationes intelligendi, libere volendi, in se subsistendi, quarum nulla quidquam continet, quod non sit perfectio pura; quare nomina, quibus hae rationes exprimuntur secundum thesim XVII. Deo *maxime proprie* conveniunt, licet nomen *„Ens personale“* Ipsi et nobis non *univoce,* sed *analogice* commune sit.

Obi. 6. Non est ita evidens pantheistas peccare laedendo principium contradictionis. Nam

1. admisso illo principio a laesione eius pantheista immunis videtur esse, quia, quamquam de Deo aliquid affirmat simul et negat, tamen non sub eodem respectu. Affirmat enim v. g. Deum esse infinitum *secundum se* consideratum, sed negat eum esse infinitum *secundum singulos Modos evolutionis suae.*

2. Ipsum principium contradictionis cum rerum exsistentia non quadrat. Omnis enim res finita constat aliquo Esse et Non-Esse. Quare res infinita constat *Esse puro* et *Non-Esse* sive *Nihilo puro.* Haec duo esse *funditus* identica etiam ex eo elucet, quod utrumque est aliquid maxime indeterminatum. Et revera eo ipso, quod dicis Esse differre a Non-Esse, implicite etiam asseris ea invicem aliquo modo esse identica. Nam, quae inter se differunt, ad aliquam communem rationem reducuntur, secundum quam differunt. Itaque sicut animal rationale et irrationale sunt unum qua *animal,* ita Esse et Non-Esse sunt unum, quod est *Fieri.*

273. ***Resp.*** *Nego ass. primarium, ad rationem 1 dist. ass.:* Non est immediate evidens pantheistam de Deo sub eodem respectu aliquid affirmare et negare, *conc. ass.,* non facile hoc infertur ex eo, quod Deum *secundum se consideratum* simul ponit *Ens a se* et *ens se evolvendi capax; nego assertum.* Nam, ut a nobis cap. II. probatum est, Ens a se est ens simplicissimum, actu infinitum, immutabile. Quare qui Deo secundum se considerato praedicatum aseitatis tribuit, *implicite sub eodem respectu*

ei tribuit ea tria praedicata modo enumerata. Iam vero his singulis contradictorie opponitur praedicatum *ens se evolvendi capax.* Quare pantheista id Deo secundum se considerato tribuens revera negat, quod sub eodem respectu praedicato aseitatis affirmat.

Ad rationem secundam asserti primarii nego principium contradictionis esse tollendum. Ad inanitatem rationum ex philosophia Hegeliana allatarum, quibus id suadetur, perspiciendam haec nota:

a) Falsum est ens finitum eo sensu constare ex Esse et Non-Esse, ut constet suo ipsius Esse et Non-Esse. Illud dictum non est verum, nisi ita explicatur: *Praeter Esse enti finito proprium est Esse omnino aliud, quod in ipso neque formaliter neque eminenter contineatur.* Quare ens finitum, si ita loqui fas est, dici possit *positive* constare suo Esse, *negative* autem Esse alieno. Solummodo, si illud dictum priori falso sensu accipis, ex eo sequitur in ente infinito haberi maximam contradictionem, ita ut in ipso confundantur Esse purum et Nihil purum.

274. b) Esse abstractissime sumptum est maxime indeterminatum in ordine rerum affirmabilium; Non-Esse simpliciter sumptum sive Nihil absolutum est maxime indeterminatum in ordine negationum possibilium. Itaque Hegelianus ex indeterminatione utriusque concludens unum alteri esse identicum, peccat contra regulam syllogismi, quae vetat terminum medium sensu diverso in *mai.* et *min.* sumi.

c) Quae differunt inter se, ad aliquid commune reducuntur, quando *quoad partem conceptus sui obiectivi* inter se differunt, ut homo et brutum reducuntur ad animal. Sed ne in hoc quidem casu ad aliquid commune reducuntur ut ad rem unam quae sit quasi truncus unus realis, cuius ea, quae inter se differunt, sint rami quidam (sive, ut terminis pantheisticis utar, non reducuntur ad unum *Absolutum,* cuius ea, quae inter se differunt, sint *determinationes, modi, positiones, momenta, phaenomena*); sed ut ad unum conceptum obiectivum, qui exprimat rationem, secundum quam ea, quae inter se differunt, simul inter se similia sint. Id patet ex doctrina de universalibus in Logica tradita (cf. *Frick,* Logica n. 352 sqq. 359 sqq.).

Ea vero, quae secundum *totum* conceptum suum inter se differunt, non reducuntur ad aliquid commune. Ita autem differunt Esse et Non-Esse, quatenus Esse intelligitur ens abstractissime sumptum, et Non-Esse Nihilum purum.

275. *Nota.* Praeterea pro pantheismo argui potest iisdem rationibus, quibus pugnatur pro universalibus separatis per se sub-

sistentibus (vide has apud *Frick*, Logica n. 351). Eodem enim modo, quo ibi *apparenter* probatur exsistere aliquid *universale separatum*, ostendi potest exsistere *ens abstractissimum universalissimum separatum*. Praeterea pro pantheismo Fichte (Ego absolutum) proponi possunt aliqua ex iis, quae afferri solent pro idealismo (cf. *Frick*, Logica n. 288, obi. 1—4 incl.).

Denique quod attinet fallacias, quibus Spinoza pro unitate substantiali reali rerum omnium pugnat, vide § proxime sequentem.

§ 3.

De fallaciis Spinozae (commentaria).

276. Prae ceteris pantheistis Spinoza rigidam systematis sui demonstrationem simulat. Quare basis monismi Spinoziani, qui opere eius „*Ethica*" continetur, speciali consideratione digna est, ut detegantur paralogismi, quibus Spinoza pervenit ad famosissimam illam prob. 6 (partis 1. Ethicae): „Una Substantia non potest produci ab alia Substantia", aliis verbis: Non est nisi una Substantia improducta, Deus, sive Attributa divina et Modi divini.

Incipit Spinoza ab octo definitionibus et septem axiomatis maximam partem aut ambiguis aut falsis. Ad finem autem nobis propositum sufficiet de iis definitionibus et axiomatis brevissime dicere, quae in sex propositionibus primis tamquam fundamenta demonstrationis adhibentur. Quae sunt def. III. IV. V et ax. I. IV. V (de omnibus fusius agit *Hontheim*, Theodicaea n. 721 sqq.).

277. *Def. III.* „*Per Substantiam intelligo id, quod in se est et per se concipitur, hoc est id, cuius conceptus non indiget conceptu alterius rei, a quo formari debeat.*"

Comment. Haec definitio est ambigua. Potest enim significare:

1. Substantia est aliquod totum naturale per se unum, indivisum, in specie completum et qua tale cognoscibile;

2. Substantia est ens a se exsistens et consequenter ens cognoscibile ut fons omnis realitatis.

Si priori sensu definitio exponitur, non est, cur eam impugnemus. Sed Spinoza eam in demonstrationibus suis, ut mox videbimus, altero sensu falsissimo supposuit, idque ita, *ut ne conatus quidem sit eam aliquo modo iustificare.*

Def. IV. „Per Attributum intelligo id, quod intellectus de Substantia percipit tamquam eiusdem essentiam constituens.“

Comment. Haec definitio non valet nisi de Attributis divinis, quae, cum a Substantia divina realiter non differant, aliquo modo dici possunt constituere essentiam Dei, quamquam *respectu intellectus nostri*, ut thesi XII. explicavimus, aseitas sola dicenda est constitutivum essentiae divinae.

Sed quod spectat ad attributa entium huius mundi, ea aut inter se complent ad aliquam essentiam constituendam (ut animalitas et rationalitas in homine), aut ex essentia resultant (ut potentia agendi et quantitas), aut ei superadduntur (ut doctrina homini). Quare definitio Attributi Spinoziana est reicienda, utpote quae re definita sit angustior.

278. *Def. V. „Per Modum intelligo Substantiae affectiones sive id, quod in alio est, per quod etiam concipitur.“*

Comment. Praeter Substantiae affectiones etiam formae substantiales sunt in alio, neque *qua tales* concipi possunt sine materia, ad quam referuntur. Neque tamen apte dicuntur Modi. Sed abstrahamus ab hoc. Id certe est observandum: Modum a Spinoza definitum non posse inveniri in Substantia divina, utpote quae sit immutabilis.

Axioma I. „Omnia, quae sunt, vel in se vel in alio sunt.“

Comment. Cum illa phrasis *„in se“* sit nonnihil ambigua, hoc axioma significare potest: „Quidquid est, aut est aliqua substantia singularis aut aliqua determinatio alicuius substantiae singularis, eaque aut substantialis aut accidentalis.“ Sed potest etiam significare: „Quidquid est, aut est ens per essentiam exsistens aut inhaeret enti per essentiam exsistenti.“ Sensu priori acceptum axioma non est negandum, sensu altero est falsum, quia praeter ens per essentiam exsistens sunt entia creata in se subsistentia, neque ens per essentiam exsistens determinationibus sibi inhaerentibus praeditum esse potest.

279. *Axioma IV. „Effectus cognitio a cognitione causae dependet et eandem involvit.“*

Comment. Quamquam verum est effectum *qua effectum* non posse cognosci sine aliquali causae cognitione, tamen

falsum est eum non posse cognosci *secundum Esse ipsi proprium*, quin cognoscatur causa eius.

Axioma V. „Quae nihil commune cum se invicem habent, etiam per se invicem intelligi non possunt, sive conceptus unius alterius conceptum non involvit."

Comment. Assertum hoc potest significare:

1. Si aliqua realiter exsistunt ut entia complura ab invicem diversa, eorum unum per alterum explicari non potest, nisi quatenus utrumque referatur ad ideam aliquam vel universalem vel transcendentalem de utroque praedicabilem.

2. Si aliqua realiter inter se differunt, ea per invicem intelligi non possunt, utpote quae nequeant concipi uno conceptu communi. Priori sensu acceptum assertum Spinozae est verum, posteriori est falsum.

Iam ad eius sex propositiones primas examinandas progrediendum est, ut videamus, quomodo definitiones et axiomata supra explicata ad eas probandas applicet.

280. *Prop. I. „Substantia prior est natura suis affectibus."*

Ad hanc prop. probandam asserit tantum eam sequi ex definitionibus Substantiae et Modi (def. III. V).

Comment. Propositio secundum se considerata est vera, dummodo definitiones ambiguas Substantiae et Modi recte explices et consequenter prop. restringas ad eas substantias, in quibus possunt esse Modi ab iis realiter diversi, quales non sunt nisi substantiae finitae.

Quodsi Substantiae definitionem intelligas de Ente per essentiam exsistente, prop. I. est omnino falsa, quomodocumque Modum tamquam aliquid ab ipsa Substantia realiter distinctum interpretaris. Nam Substantia per essentiam exsistens est immutabilis. Iamvero de hac, ut ex prop. sequentibus patet, prop. I. apud Spinozam intelligitur.

Prop. II. „Duae substantiae diversa attributa habentes nihil inter se commune habent."

Ad hanc propositionem demonstrandam Spinoza nihil aliud dicit nisi eam sequi ex definitione Substantiae, siquidem, cum omnis Substantia in se et per se concipiatur, conceptu unius non involvi conceptum alterius.

Comment. Quodsi definitionem Substantiae recte explicas, prop. II. est falsa, quia binae substantiae quaelibet realiter ab invicem diversae uno conceptu communi vel universali vel saltem transcendentali concipi possunt. Sin definitionem Substantiae intelligas de Ente per essentiam exsistente, suppositum prop. II. est negandum, scl. posse exsistere duo *entia a se.*

281. *Prop. III. „Quae res nihil commune inter se habent, earum una alterius causa esse non potest."*

Hanc prop. Spinoza propterea veram habendam esse affirmat, quod res aliquae, quae nihil commune inter se habeant, non possint concipi per invicem (ax. V.), et consequenter (ax. IV.) una non possit esse causa alterius.

Comment. Si phrasis illa „Quae nihil commune inter se habent" significat: „Quae res nullo conceptu communi concipi possunt", prop. III. falso supposito nititur, quia res quaelibet diversae aliquo conceptu communi, saltem conceptu communissimo entis exprimi possunt. — Si vero eadem phrasis significat: „Quae res exsistunt ut entia diversa", prop. III. est falsa, et ax. V. et IV., ad quae Spinoza nos remittit, ad prop. III. eo sensu falso probandam nihil valent, nisi utrumque accipias sensu, qui rationi repugnat. Nam ut ex illis axiomatis prop. III. eo sensu acceptam inferas, ax. V. hoc modo interpretandum est: „Res realiter diversae nullo conceptu communi concipi possunt"; ax. IV. autem hoc modo: „Res effecta sub nullo respectu concipi potest, quin concipiatur causa eius."

282. *Prop. IV. „Duae aut plures res distinctae vel inter se distinguuntur ex diversitate attributorum substantiarum vel ex diversitate earundem affectionum."*

Demonstrationis gratia Spinoza asserit ex ax. I. (secundum quod, quidquid est, aut in se aut in alio est) et ex def. III. et V. (secundum quas Substantia est id, quod in se est, Modus autem vel affectio substantiae id, quod in alio est) concludendum esse extra mentem non esse nisi substantias et earum affectiones.

Iamvero, cum secundum def. IV. Attributum sit id, quo essentia Substantiae constituatur, pro *„substantiis"* sub-

stitui posse *„attributa substantiarum“*. Sequi igitur extra mentem non esse nisi attributa substantiarum et affectiones earundem. Consequenter, cum res non possint ab invicem distingui nisi secundum ea, quae extra mentem sunt, eas vel distingui secundum attributa vel secundum affectiones substantiarum.

Comment. In def. IV. animadvertentes supra diximus def. Attributi a Spinoza datam non valere nisi de Deo sive de Substantia prima infinita. Itaque prop. IV. ex iis, quae Spinoza ad eam probandam affert, nullo modo sequitur, nisi contra rectam rationem iam supponas id, quod Spinoza postea prop. VI. evincere vult, non esse nisi unam Substantiam. Quod autem prop. IV. secundum se spectatam attinet, ea, ut sit vera, ita emendanda est: *Duae vel plures res distinctae inter se* ***primario*** *distinguuntur* ***suo Esse individuali;*** *quae distinctio realis stare potest cum identitate logica attributorum et affectionum, quatenus haec in genere vel specie spectantur.*

283. *Prop. V. „In rerum natura non possunt dari duae aut plures substantiae eiusdem naturae sive attributi.“*

Spinoza pro hac prop. ex eo arguit, quod plures substantiae secundum prop. IV. distinguantur aut ex diversitate Attributorum aut ex diversitate affectionum. Si ex diversitate Attributorum tantum, manifesto sequi non esse nisi unam Substantiam *eiusdem* Attributi. Sin ex diversitate affectionum, cum secundum prop. I. Substantia natura sit prior affectionibus suis, et cum secundum def. III. et V. Substantia sit in se, et affectiones in Substantia, substantiarum pluralitatem suppositam esse *nullam*.

Comment. In hac probatione Spinoza primum eo peccat, quod prop. IV., quam supra probavimus esse falsam et minime probatam, pro vera et demonstrata habet. Deinde ex definitionibus Substantiae et Modi sive affectionis Substantiae efficere vult, omissis affectionibus inter se diversis, Substantiam, quae ipsis sit prior, non posse esse nisi unam. Sed id ex illis definitionibus allatis nequaquam sequitur, nisi definitionem Substantiae falso ita explices, ut sit Ens a se exsistens. — Veritas autem, quae prop. V. secundum se consideratae subiacet, haec est: Non possunt esse plures

substantiae, quibus idem attributum reale *qua tale* commune sit.

Sed hoc sensu plures posse exsistere substantias nemo, qui non adhaereat realismo exaggerato, significare vult, cum loquitur de pluribus substantiis eiusdem attributi. Hac enim phrasi utentes significamus plures substantias attributorum sub uno saltem respectu similium et consequenter uno eodemque conceptu apprehensibilium.

284. *Prop. VI. „Una substantia non potest produci ab alia substantia.“*

Hanc thesim ita demonstrat: „In rerum natura non possunt dari duae substantiae eiusdem attributi (per prop. praeced.), hoc est (per prop. II.), quae aliquid inter se commune habent, adeoque (per prop. III.) una alterius causa esse nequit.“ Qua demonstratione proposita ex prop. VI. concludit *nihil esse, quo possit produci Substantia.* Quod corollarium ut confirmet, hanc affert rationem: Si Substantia ab ulla re alia posset produci, eius cognitio (secundum ax. IV.) penderet a cognitione causae suae adeoque ipsa (secundum def. III.) non esset Substantia.

Comment. Demonstratio prop. VI. manifesto nititur propositionibus V., II., III. Ex his autem non sequitur, nisi singulas accipias sensu falso, secundum quem a Spinoza nullatenus probatae sunt. Ut enim ex illis tribus propositionibus prop. VI. sequatur, haec debet esse explicatio earum:

Prop. V. Non possunt esse plures substantiae eiusdem attributi *ne logici quidem* in similitudine earum *reali* fundati.

Prop. II. Duae substantiae secundum attributa sua *realia* diversa *logice* nihil commune habent, quod in earum reali similitudine fundetur.

Prop. III. Res, quae nihil inter se commune habent quoad esse exsistentiae suae realis qua talis, earum una non potest esse causa alterius.

Itaque haec triplex falsitas est totum fundamentum monismi pantheistici Spinozae. Neque melior est confirmatio corollarii ex eo deducti: Substantiam a nulla re ab ea diversa produci posse. Nam ut id ex ax. IV. et def. III., ad quae sola Spinoza recurrit, revera efficiatur, ax. IV. expli-

candum est: „Effectus sub nullo respectu cognoscibilis est, quin in conceptu eius involvatur cognitio causae eius“, et def. III. hoc sensu explicanda est: „Substantia est Ens a se.“ Aliis verbis: Duo supponere debes, quorum utrumque experientiae et rationi repugnat et absque ulla demonstratione a Spinoza assumitur et asseritur.

Caput IV.

De attributis operationis divinae.

Art. 1.

De intellectu divino.

Praenota. Hunc articulum in has sectiones dividemus:
§ 1. De infinita perfectione intellectus divini.
§ 2. De medio subiectivo cognitionis divinae.
§ 3. De obiectis cognitionis divinae.
§ 4. De medio obiectivo cognitionis divinae.
§ 5. De divisione scientiae divinae.

§ 1.

De infinita perfectione intellectus divini.

Thesis XXIV.

285. **Deus formaliter intelligit modo infinite perfecto; quapropter sine discursu et sine compositione et divisione mentali, quidquid cognoscibile est, perfecte intelligit uno immutabili actu, qui est ipsa substantia divina.** (Cf. *S. Thom.*, S. th. 1, q. 14, a. 1. 4. 7. 15; Contra gent. lib. 1, cap. 44. 45. 55. 57. 58.)

St. Q. Iam thesi III. ex eo, quod Deus est causa prima hominis, et thesi VI. ex ordine teleologico mundi probavimus Deum eximia pollere intelligentia. Eius autem vim intelligendi numquam potuisse sine actu esse inde patet, quod Deus est Ens natura sua perfectum (thes. XV).

Quibus suppositis ea, quae tenore theseos continentur, demonstrabimus per sex partes.

Pars. I. Deus formaliter intelligit modo infinite perfecto.

(Ex eo, quod intelligere est perfectio pura.) In Deo, utpote Ente actu infinito (thes. XV), omnis perfectio pura for-

maliter atque modo infinite perfecto invenitur (thes. XVI). *Atqui* intelligere *qua tale* manifesto est perfectio pura. *Ergo* Deus formaliter intelligit modo infinite perfecto.

Pars II. Deus, quidquid cognoscibile est, uno actu perfecte intelligit.

(Ex infinitate actus intellectionis divinae.) Quo plura obiecta uno actu perfecte intelliguntur, eo perfectior est modus intelligendi. *Atqui* secundum partem I. modus, quo Deus intelligit, est infinite perfectus. *Ergo* uno actu intellectus divini tam multa obiecta perfecte intelliguntur, ut nequeat quidquam cogitari, quod eo actu non intelligatur; aliis verbis: Deus uno actu omnia cognoscibilia perfecte intelligit.

286. Pars III. Cognitio divina est sine discursu.

(Ex eo, quod cognitio discursiva est perfectio mixta.) Cognitio discursiva aut sumitur sensu latiori pro omni cognitione, qua unum *post* alterum cognoscitur, aut sensu strictiori pro cognitione, qua conclusio intelligitur *ex* principiis antea cognitis. *Atqui* prior cognitio Deo convenire nequit, quia, ut parte II. ostendimus, omnia cognoscibilia uno actu intelligit; neque altera ei inesse potest, quia haec non habetur sine priore. *Ergo* cognitio Dei non est discursiva.

Pars IV. Cognitio divina est sine compositione et divisione mentali.

(Ex imperfectione compositionis mentalis.) Qui mentaliter componit vel dividit, non intelligit primo intuitu omnia, quae de re, quam intellectu apprehendit, praedicari possunt. *Atqui* Deus necessario primo intuitu omnia intelligit, quae de re qualibet, quam intellectu apprehendit, praedicari possunt, quia secundum partem II. omnia cognoscibilia uno actu perfecte intelligit. *Ergo* . . .

287. Pars V. Intelligere divinum est ipsa substantia divina.

(Ex simplicitate Dei.) Secundum thes. XIV. Deus est summe simplex. *Atqui*, si intelligere divinum non est ipsa substantia divina, Deus caret summa simplicitate. *Ergo* . . .

Pars VI. Actus intellectus divini est immutabilis.

(Ex immutabilitate substantiae divinae.) Secundum partem V. actus intellectus divini est ipsa substantia di-

vina. *Atqui* substantia divina est immutabilis (thes. XIX). *Ergo* . . .

Nota. Hoc argumentum non probat immutabilitatem *terminativam* intellectus divini. De hac autem constat ex eo, quod essentia divina est species intelligibilis intellectus divini, id quod thesi proxime sequenti ostendemus. Quo supposito, sequitur Deum ab aeterno omnem veritatem obiectivam, *prout vel semper vel aliquando vel absolute vel condicionate est veritas obiectiva,* immutabiliter cognoscere. Quoniam autem modus, quo aliquid est obiective verum, aliquatenus pendet ab exercitio libertatis tum divinae tum creatae, *immutabilitas terminativa* intellectus divini est quidem absolute necessaria eo sensu, quod *Deo in nulla hypothesi deesse potest;* sed intellectus divinus terminos finitos multos habet, qui absolute aliter se habere *possent,* quam se *habent,* quia eorum habitudo *ratione* sequitur exercitium aliquod libertatis vel divinae vel creatae (cf. *S. Thom.,* S. th. 1, q. 14, a. 13 ad 3, et *ibid.* a. 15 ad 2).

Coroll. Ergo Deus est spiritus infinite purus. Spiritus intelligitur substantia simplex ad intelligendum apta. Quodsi eiusmodi substantia ad materiam informandam naturaliter ordinata est, dicitur *anima rationalis.* Sin ad materiam informandam ordinem non habet, vocatur *spiritus purus.* Denique si praeter ordinem ad materiam proprie dictam etiam omnem potentialitatem sive determinabilitatem (materiam sensu latissimo sumptam) a se excludit, recte dicitur *spiritus infinite purus* propter summam suam simplicitatem et perfectionem independentem. Deum autem esse eiusmodi ex thesi clare patet.

288. ***Obi. 1.*** (Cf. *S. Thom.,* S. th. 1, q. 14, a. 1, obi. 1. 2. 3.) Deus non intelligit omnia cognoscibilia, nisi res intelligat ex causis earum, aliis verbis: nisi habeat *scientiam* rerum proprie dictam. *Atqui* haec ei repugnat. *Ergo* . . .

Prob. min. tripliciter:

a) Scientia est habitus entis scientis. *Atqui* in Deo nequit esse habitus, quia ipse est actus purus. *Ergo* . . .

b) Scientia est cognitio conclusionum causata ex cognitione principiorum. *Atqui* in Deo non potest esse quidquam causatum. *Ergo* . . .

c) Scientia aut est universalium aut particularium. *Atqui* prior in Deo esse nequit, quia non intelligitur, quomodo Deus

se contemplans possit conceptum universalem formare; altera in eo esse nequit, quia involveret Dei a rerum finitarum exsistentia dependentiam. *Ergo* in Deo nulla est scientia.

Resp. *Conc. mai., nego min. et cons.*

Ad prob. min.

Ad a) Dist. mai.: . . . ex ratione sua formali quatenus est cognitio rerum per causas earum, *nego mai.,* ratione imperfectionis entis scientis, quatenus hoc actum sciendi semper retinere nequit nisi habitualiter, *conc. mai., conc. min., nego cons.* „Homo", inquit *S. Thomas* l. c. ad 1, „secundum diversa cognita habet diversas cognitiones. Nam secundum quod cognoscit principia, dicitur habere *intelligentiam; scientiam* vero, secundum quod cognoscit conclusiones; *sapientiam,* secundum quod cognoscit causam altissimam; *consilium* vel *prudentiam,* secundum quod cognoscit agibilia. Sed haec omnia Deus una et simplici cognitione cognoscit. . . . Unde simplex Dei cognitio omnibus istis nominibus nominari potest, ita tamen, quod ab unoquoque eorum, secundum quod in divinam praedicationem venit, secludatur, quidquid imperfectionis est, et retineatur, quidquid perfectionis est."

Ad b) Dist. mai.: Scientia per discursum acquisita, *conc. mai.,* scientia ex sola essentia entis scientis resultans, *nego mai., conc. min., nego cons.*

Ad c) Dist. mai.: Scientia Dei aut est universalium *tantum* aut particularium *tantum, nego mai.,* . . . aut est universalium *tantum* aut particularium *tantum* aut utraque formaliter comprehendit modo eminenti, *conc. mai., nego min.,* quoad utramque partem, *nego cons. Minor* est neganda, quia Deus se contemplando et universalia et particularia cognoscit, id quod mox explicite ostendetur (thes. XXVI, XXIX).

289. ***Obi. 2.*** (Cf. *S. Thom.,* S. th. 1, q. 14, a. 7, obi. 2.) Cognoscere effectum per causam est cognitionis discursivae. *Atqui* Deus cognoscit entia creata per se ut causam eorum. *Ergo* cognitio eius est discursiva.

Resp. *Dist. mai.:* Cognoscere effectum eo ipso, quod causa secundum *esse* et *velle* ipsi interna perfecte cognoscitur, *nego mai.,* cognoscere effectum per conclusionem a consideratione causae derivatam, *conc. mai., contrad. min., nego cons.*

Obi. 3. (Cf. *S. Thom.,* S. th. 1, q. 14, a. 4, obi. 1.) Intelligere est operatio quaedam. *Atqui* operatio significat aliquid ab operante procedens, quod sane non potest esse ipsa substantia operantis. *Ergo* intelligere a substantia entis intelligentis neces-

sario distinguitur; consequenter intelligere divinum non est substantia Dei.

Resp. *Dist. mai.:* . . . operatio transiens vel sensu latiori immanens, *nego mai.,* operatio sensu stricto immanens, *conc. mai., contrad. min.:* operatio transiens vel sensu latiori immanens, *conc. min.,* operatio sensu stricto immanens, *subd. min.:* . . . aliquid ab operante procedens saltem secundum nostrum intelligendi modum, *conc. min., realiter, iterum subd. min.:* . . . in ente per solam essentiam ad intelligendum non perfecto, *conc. min.,* in ente per solam essentiam ad intelligendum perfecto, *nego min.,* quatenus haec intelligitur de reali intellectionis a *substantia* intelligentis distinctio, de qua sola in philosophia potest quaeri.

290. ***Obi. 4.*** (Cf. *S. Thom.,* S. th. 1, q. 14, a. 15, obi. 1.) Scientia Dei non potest esse actus immutabilis. Nam, si Deus nihil creasset, haec propositio esset falsa: „Deus actu est creator et dominus"; consequenter Deus eam ut falsam cognosceret. *Atqui* nunc eam cognoscit ut veram. *Ergo* eius scientia aliter se habet, quam se habere posset, et consequenter non est actus immutabilis.

Resp. *Conc. mai., conc. min., dist. cons.:* In entitate sua subiectiva, *nego cons.,* quoad terminos cognitos, *subd. cons.:* ita ut nunc plures realitates tamquam terminos habeat, quam habere posset, *nego cons.,* ita ut easdem realitates cognoscat aliter se habere ad exsistentiam actualem, quam se habere possent, *conc. cons.* (cf. *S. Thom.* l. c. ad 1).

Obi. 5. (Cf. *S. Thom.* l. c. obi. 2.) Quidquid Deus potest facere, potest scire. *Atqui* Deus potest plura facere, quam facit. *Ergo* potest plura scire, quam scit, et consequenter eius scientia non est immutabilis.

Resp. *Conc. mai., conc. min., nego cons.,* quia, si Deus plura faceret, plura ex iis, quae nunc cognoscit ut *pure possibilia,* cognosceret ut *actu exsistentia.*

Insto. Actualis exsistentia eorum, quae Deus facere posset et non facit, est plus quam eorum pura possibilitas. *Atqui,* si Deus ea faceret, praeter possibilitatem puram cognosceret actualem exsistentiam eorum. *Ergo* plus cognosceret, quam nunc cognoscit.

Resp. *Dist. mai.:* . . . plus *secundum quid* scl. plus realitatis finitae extra causam primam *absolute* positae, *conc. mai.,* . . . plus *simpliciter,* i. e. plus realitatis finitae extra causam primam *condicionate* (scl. sub condicione aeternae et liberae Dei volitionis) positae, *nego mai., conc. min., dist. cons. ut mai.*

291. ***Obi. 6.*** (Cf. *S. Thom.* l. c. obi. 3.) Deus scivit Christum nasciturum esse. *Atqui* nunc nescit Christum nasciturum esse, quia nunc hoc non est verum. *Ergo* Dei de Christo scientia mutata est.

Resp. *Dist. mai.:* . . . Deus scivit (scl. ab aeterno) relate ad hanc nostram aetatem nativitatem Christi praedicandam esse ut factum ea aetate posterius sive ea aetate futurum, *nego mai*, Deus scivit nativitatem Christi relate ad aliquas mundi aetates nunc iam praeteritas praedicandam esse ut factum iis aetatibus posterius sive iis aetatibus futurum, *conc. mai., conc. min., nego cons.* „Concedendum est," inquit *S. Thomas* l. c. ad 3, „quod haec non est vera: quidquid Deus scivit, scit, si *ad enuntiabilia* referatur. Sed ex hoc non sequitur, quod scientia Dei sit variabilis. Sicut enim absque variatione divinae scientiae est, quod sciat unam et eandem rem quandoque esse et quandoque non esse; ita absque variatione scientiae est, quod scit aliquod enuntiabile quandoque esse verum et quandoque falsum. Esset autem ex hoc scientia Dei variabilis, si enuntiabilia cognosceret per modum enuntiabilium componendo et dividendo."

§ 2.

De medio subiectivo cognitionis divinae.

Thesis XXV.

292. **Medium subiectivum omnis cognitionis divinae sive species intelligibilis unica intellectus divini est essentia Dei.** (Cf. *S. Thom.*, S. th. 1, q. 14, a. 2; Contra gent. lib. 1, cap. 46.)

St. Q. Ut in Psychologia ostenditur, facultas intelligendi humana per se est in pura potentia ad intelligendum et vi quadam spirituali animae, quae intellectus agens dici solet, primum quidem determinatur ad obiecta sensibus percepta eaque cum sui conscientia intelligenda, dein variis operationibus institutis ulterius determinatur ad res a sensu remotas et insensiles cognoscendas (cf. Psychol. rat. auct. n. 150 sqq. 191 sqq. 202 sqq.). Exsistunt igitur in anima humana habitualiter iam sciente multae determinationes ad varia obiecta cognoscenda a substantia animae realiter distinctae. Eas lingua scholastica dicimus principia formalia intelligendi sive species intelligibiles obiectorum, quae cognoscimus; sunt enim et formae animam intellectualem determinantes ad obiecta,

ad quae referuntur, modo immateriali repraesentanda, et quasi imagines spirituales eorundem obiectorum. Quatenus illis determinationibus subiectum intelligens, quod per se solum remote tantum ad intelligendum aptum est, certis rebus cognoscendis perfecte adaptatur, etiam dici possunt *media subiectiva cognitionis intellectualis.*

Iam quaeritur, quid in Deo correspondeat mediis subiectivis sive speciebus intelligibilibus intellectus humani. Ad hanc quaestionem thesi nostra respondemus cum *S. Thoma* ll. cc. Affirmamus igitur Deum ipsa essentia sua esse determinatum ad intelligendum, quidquid intelligit, sive, quod idem est, ratione distinguentes inter intellectum divinum et essentiam divinam hanc dicimus esse speciem intelligibilem illius.

293. *Arg. 1. (Ex habitudine speciei intelligibilis ad operationem intelligendi.)* Specie intelligibili perfecta, i. e. non habitu tantum, sed actu intellectum perficiente operatio actualis intelligendi constituitur. *Atqui* operatio actualis intelligendi in Deo nequit constitui nisi per essentiam divinam. *Ergo* essentia divina est species intelligibilis intellectus Dei.

Prob. min. Operatio actualis intelligendi Deo propria est ipsa essentia Dei (thes. XXIV). *Atqui* essentia Dei se sola constituitur, cum sit a se. *Ergo* operatio actualis intelligendi Deo propria sola essentia Dei constituitur.

Arg. 2. (Ex simplicitate Dei.) Si in Deo esset species intelligibilis ab essentia Dei diversa, ea esset accidens Dei. *Atqui* in Deo nullum potest esse accidens, cum sit summe simplex. *Ergo* ipsa essentia Dei sola est species intelligibilis intellectus divini.

Nota. Difficultates contra hanc thesim partim sunt eaedem atque contra thesim proxime praecedentem, partim repeti possunt ex eo, quod essentia Dei non videtur apta ad omnes res secundum esse earum *formale* repraesentandas. Quas difficultates facile solves perspecto scholio, quod iam subiciemus et thesi XXVI. cum corollariis ei additis.

294. *Schol. Quomodo cum unica specie intelligibili intellectus divini cohaereat cognitio rerum omnium singularium.*

Quamquam Deus omnia a se diversa cognoscit *cognitione propria et distincta,* quatenus cognitio his nominibus appelllata

opponitur cognitioni rerum generali tantum et confusae, tamen, ut ex thesi modo probata clare patet, dici nequit singulas res cognoscere *specie propria* singularum. Ratio autem, cur Deus specie unica essentiae suae omnia a se diversa distincte cognoscat, ea est, quod eius essentia eminenter et virtualiter omnes et singulas creaturas possibiles continet non solum sub quibusdam aspectibus generalibus, quae in esse individuali rerum singularum distingui possunt, sed secundum ipsum esse individuale carum totale. „Intelligere aliquid in communi", inquit S. Thomas, „et non in speciali est imperfecte cognoscere . . . Si igitur cognitio Dei de rebus aliis a se esset in universali tantum et non in speciali, sequeretur, quod eius intelligere non esset omnibus modis perfectum, et per consequens nec eius *esse* . . . Oportet igitur dicere, quod alia a se cognoscit propria cognitione, non solum secundum quod communicant in ratione entis, sed secundum quod unum ab alio distinguitur." Dein reiecto modo, quo aliqui distinctam rerum singularum cognitionem divinam explicare conabantur, hanc affert rationem eius: „*Quidquid perfectionis est in quacumque creatura,* ***totum*** *praeexsistit et continetur in Deo secundum modum excellentem.*" Hac ratione uberius explicata (*S. Thom.,* S. th. 1, q. 14, a. 6, c.) ad obiectionem praecipuam ex eo desumptam, quod *propria rei cognitio non possit haberi nisi per propriam eiusdem rationem,* haec respondet (*ibid.* ad 3): „Idem non potest accipi ut ratio diversorum per modum *adaequationis.* Sed divina essentia est aliquid *excedens* omnes creaturas. Unde potest accipi ut *propria ratio* uniuscuiusque, secundum quod est diversimode participabilis vel imitabilis a diversis creaturis." Quodsi tibi videtur contra hanc explicationem opponi posse *illud solum obiectum esse intellectui actu intelligibile, quod actum intellectus specificet,* cum S. Thoma respondemus: „Ipsum intelligere non specificatur per id, quod *in alio* intelligitur, sed per *principale intellectum*, *in quo alia* intelliguntur. In tantum enim ipsum intelligere specificatur per obiectum suum, in quantum forma intelligibilis est principium intellectualis operationis . . . Unde per illam formam intelligibilem specificatur intellectualis operatio, quae facit intellectum in actu. Et haec *est species principalis intellecti, quae in Deo nihil est aliud quam essentia sua, in qua omnes*

species rerum comprehenduntur“ (*S. Thom.*, S. th. 1, q. 14, a. 5, ad 3). Cf. etiam quae S. Doctor docet l. c. art. 11, ubi quaerit, utrum Deus cognoscat singularia. Sensus quaestionis, ut ex contextu patet, est: Utrum cognoscat singularia *qua talia*. Ad omnia, quae ibi dicuntur, melius intelligenda, utiliter comparabis, quae diximus *Psychol. rat.* n. 133 sqq.

§ 3.

De obiectis cognitionis divinae.

295. *Praenota.* Supra (thes. XXIV et schol. ad XXV) generales aliquas rationes attulimus, ex quibus evidens est Deum omnia cognoscibilia cognoscere. Iam hoc loco pro diversitate rerum cognoscibilium rationibus specialibus diversis ostendemus eas res omnes Deo perspectas esse. Ita fiet, ut amplitudo immensa intellectus divini solidius intelligatur, et rationes, quae ei quoad varia obiecta apparenter obstant, lucidius solvantur.

Thesis XXVI.

296. **Deus se ipsum, omnia, quae actu sunt et fuerunt, omnia possibilia atque necessaria futura adaequate comprehendit.**

St. Q. I. Rem aliquam intelligit, qui eam secundum aliquam eius rationem aliquo modo immateriali ita apprehendit, ut ipsi aliquid de ea praedicandum pateat. Eam autem adaequate comprehendit, qui eam perfecte cognoscit secundum totam eius cognoscibilitatem.

II. Cum Deo praeter cognitionem comprehensivam ipsius Esse divini cognitionem omnium, quae sunt et fuerunt, tribuimus, eo ipso asserimus eum non solum omnes substantias, quae nunc sunt et antea fuerunt, intelligere, sed etiam omnia earum accidentia, omnes actiones, passiones, relationes earum.

III. Porro cum statuimus Deum comprehendere omnia possibilia, hoc assertum non limitatur ad omnes substantias et omnia accidentia, quae hic et nunc intrinsecus et extrinsecus possibilia sunt, sed complectitur omnia, quae tempore quolibet possibili sub qualibet condicione fieri possunt.

IV. Necessaria futura, de quibus dicimus, ea intelligimus, quae creaturarum activitate naturali *non libera* vel aliquando

fient vel positis certis condicionibus fierent; unde distinguuntur in necessaria absolute et condicionate futura.

297. Pars I. Deus se ipsum adaequate comprehendit. (*S. Thom.*, S. th. 1, q. 14, a. 2. 3; Contra gent. lib. 1, cap. 47.)

Illud adaequate comprehenditur, quod pro tota sua cognoscibilitate cognoscitur. *Atqui* Deus a se ipso pro tota sua cognoscibilitate cognoscitur. *Ergo* a se ipso adaequate comprehenditur.

Prob. min. Ut Deus pro tota sua cognoscibilitate adaequate comprehendatur, requiritur et sufficit operatio intellectualis infinite perfecta. *Atqui* Deus per ipsam substantiam suam infinitam est operatio intellectualis infinite perfecta (thes. XXIV). *Ergo* . . .

298. Pars II. Deus omnia, quae sunt et actu fuerunt, adaequate comprehenhit. (*S. Thom.*, S. th. 1, q. 14, a. 11.)

Quod in se obiective verum est, non potest non adaequate comprehendi ab intellectu infinite perfecto, quippe qui acie sua penetret omnem veritatem obiectivam. *Atqui,* quod actu est, *cum actu est,* certe in se obiective verum est. *Ergo,* quidquid actu est, a Deo adaequate comprehenditur. *Atqui*, quod a Deo semel cognoscitur ut pro certo tempore verum, id ab eo semper cognoscitur ut pro eo tempore verum, cum actus intellectus divini sit immutabilis. *Ergo* Deus ea, quae actu sunt, non solum, *cum actu sunt,* adaequate comprehendit, sed etiam, *postquam praeterierunt;* consequenter omnia, quae actu fuerunt, adaequate comprehendit.

299. Pars III. Deus omnia possibilia adaequate comprehendit. (*S. Thom.,* S. th. 1, q. 14, a. 9.)

Deus essentiam suam perfectissime comprehendens eam non solum intelligit, ut ipsa in se exsistit, sed etiam, ut est imitabilis extra se sive secundum omnes similitudines eius cogitabiles. *Atqui* secundum has similitudines eam comprehendere nequit, quin eo ipso comprehendat essentias intelligibiles rerum omnium possibilium qua universales et qua singulares. *Ergo* eas essentias comprehendit. *Atqui* haec comprehensio non potest esse perfecta sine comprehensione accidentium omnium, quae cuilibet essentiae individuae inesse

possunt. *Ergo* etiam haec Deus adaequate comprehendit. Consequenter, cum omnes substantias possibiles cum omnibus earum accidentibus adaequate comprehendat, *omnia possibilia* totaliter intellectu penetrat.

300. Pars IV. Deus omnia necessaria futura adaequate comprehendit.

Qui naturas rerum mutuasque earum relationes perfecte cognoscit, eum latere nequeunt, quaecumque activitate earum necessario vel evenient vel positis certis condicionibus necessario evenirent. *Atqui* secundum part. II. et part. III. modo probatas Deus naturas rerum earumque relationes mutuas perfecte cognoscit. *Ergo* . . .

301. *Coroll.* I. Ergo Deus cognoscit omnia mala, quae bonis accidere possunt (*S. Thom.*, S. th. 1, q. 14, a. 10; Contra gent. lib. 1, cap. 71).

II. Ergo Deus cognoscit omnia enuntiabilia (*S. Thom.*, S. th. 1, q. 14, a. 14; Contra gent. lib. 1, cap. 59).

III. Ergo Deus cognoscit infinita (*S. Thom.*, S. th. 1, q. 14, a. 12; Contra gent. lib. 1, cap. 69). Nam „Deus per essentiam suam sicut quodam medio exemplari alia cognoscit. Sed cum sit perfectionis infinitae, ab ipso exemplari[1] possunt infinita habentia infinitas perfectiones; quia nec aliquod unum eorum nec quaelibet plura exemplata perfectionem exemplaris adaequare possunt; et sic semper remanet novus modus, quo aliquid exemplatum ipsum imitari possit“ (Contra gent. l. c.). Ex quo vides possibilia nullo numero in unum colligi posse, sed excedere *fines* omnis numeri; quae est ratio, cur dicantur esse *infinita*.

302. ***Obi. 1.*** Ut Deus se ipsum comprehendat, in se reflectat necesse est. *Atqui* id nequit, cum ipse sit immutabilis (*S. Thom.*, S. th. 1, q. 14, a. 2, obi. 1).

Resp. *Dist. mai.:* . . . i. e. per essentiam suam solam sui conscius *esse, conc. mai.*, . . . i. e. per actum essentiae suae superadditum sui conscius *fieri, nego mai., contrad. min., nego cons.*

Obi. 2. Deus se comprehendens est sibi finitus. *Atqui* Deus verius est, quod est sibi, quam quod est nobis. *Ergo* verius est finitus quam infinitus (*S. Thom.*, S. th. 1, q. 14, a. 3, obi. 2).

---

[1] Exemplari *hoc loco* est infin. pass. verbi *exemplo*.

Resp. *Dist. mai.:* . . . i. e. intelligit se esse perfectionis, qua possit esse maior, *nego mai.*, . . . i. e. nihil est perfectionis ipsius, quod non intelligat, *conc. mai., conc. min., nego cons.*

Obi. 3. Si Deus cognoscit ea, quae actu extra ipsum sunt, ab his specificatur intelligere divinum et consequenter ipse Deus. *Atqui* hoc fieri nequit. *Ergo* . . . (*S. Thom.*, S. th. 1, q. 14, a. 5, obi. 3).

Resp. *Dist. mai.:* . . . Si ea cognoscit per species ab essentia sua diversas, *conc. mai.*, si eas cognoscit per speciem essentiae suae identicam, *nego mai., conc. min., nego cons.*

303. ***Obi. 4.*** Deus non cognoscit, nisi quod est verum. *Atqui* res pure possibilis non est vera, quia non est ens. *Ergo* Deus rem pure possibilem non cognoscit (*S. Thom.*, S. th. 1, q. 14, a. 9, obi. 1).

Resp. *Dist. mai.:* . . . vel in se vel in alio, *conc. mai.*, . . . in se, *nego mai., contradist. min., ad rat. min. dist. ass.:* . . . Non est ens absolute, *conc. ass.*, non est ens condicionate, *nego ass., nego cons.* Pure possibilia sunt entia sub hypothesi, quod per potentiam activam ad ea actuanda aptam revera actuentur. Quare a Deo, qui suam potentiam et omnes alias potentias activas comprehendit, non possunt non cognosci. Cf. ad haec, quae S. Thomas docet de veritate aeterna verorum creatorum (Qq. disp. de Ver. q. 1, a. 5 per totum).

304. ***Obi. 5.*** Deus rationes individuales rerum corporearum non comprehendit. *Ergo* res corporeas non comprehendit adaequate.

Prob. ant. Intellectus divinus immaterialior est quam intellectus humanus. *Atqui* secundum Aristotelem intellectus humanus propter immaterialitatem suam non cognoscit rationes rerum singulares, ut sensus, sed rationes earum universales. *Ergo* a fortiori intellectus divinus non cognoscit nisi earum rationes universales (*S. Thom.*, S. th. 1, q. 14, a. 11, obi. 1).

Resp. *Nego ant. et cons., ad rat. ant. conc. mai. Dist. min.:* . . . Non *organice* ut sensus, *conc. min.*, non *modo altiori, subd. min.:* . . . praecise propter *immaterialitatem* suam, *nego min.*, . . . propter *imperfectam* immaterialitatem suam, *conc. min., nego cons.* Ratio, propter quam intellectus humanus corpus singulare secundum rationes eius individuales intelligibiliter non exprimit, ea est, quod ipse est facultas alicuius spiritus, qui simul est forma corporis. Quare rationes rerum corporearum singulares indirecte tantum apprehendit per attentionem ad phantasmata a rebus singularibus diversis diversa accepta (cf. Psychol. rat. auct. n. 136).

305. ***Obi. 6.*** Omnis scientia vel est causa sciti vel causatur ab eo. *Atqui* scientia Dei non est causa mali nec causatur a malo. *Ergo* scientia Dei non est malorum (*S. Thom.*, S. th. 1, q. 14, a. 10, obi. 2).

Resp. *Dist. mai.:* Omnis scientia rei positivae ab ente sciente realiter diversae, *conc. mai.*, omnis scientia negationis vel privationis, *nego mai., conc. min., nego cons.*

Obi. 7. Quidquid cognoscitur, aut per suam similitudinem aut per oppositum suum cognoscitur. *Atqui,* quidquid a Deo cognoscitur, per essentiam ipsius cognoscitur, quae malo neque similis est, ut patet, neque opposita, utpote quae in nullo sit genere (*S. Thom.*, S. th. 1, q. 14, a. 10, obi. 3).

Resp. *Conc. mai.*, quatenus agitur de cognito a cognoscente diverso, et similitudo sumitur sensu *lato,* secundum quem non solum exemplatum simile dicitur exemplari, sed etiam exemplar exemplato (*S. Thom.*, S. th. 1, q. 4, a. 3 ad 4).

Conc. min. quoad utramque partem, nego cons. Nam essentia Dei repraesentative continet bonum finitum malo oppositum, quod bonum comprehendendo Deus cognoscit malum ei contrarium, quatenus privationes physicas vel morales cognoscit, quae rei vel personae finitae accidere possunt.

306. ***Obi. 8.*** Secundum *resp.* ad obi. 7. malum non per se ipsum, sed per aliud a Deo cognoscitur. *Atqui,* quod non per se ipsum, sed per aliud cognoscitur, imperfecte cognoscitur. *Ergo* malum a Deo imperfecte cognoscitur, quod est absurdum (*S. Thom.*, S. th. 1, q. 14, a. 10, obi. 4).

Resp. *Conc. mai., dist. min.:* Quod per se ipsum *perfecte* cognoscibile est neque tamen per se ipsum cognoscitur, *conc. min.,* quod per se ipsum *non perfecte* cognoscibile est, et *a fortiori* quod per se ipsum *nullo modo* cognoscibile est, *nego min., nego cons.* Quod est entitas positiva, per se ipsum cognoscibile est; attamen nulla entitas positiva creata per se ipsam perfecte sive comprehensive cognoscibilis est, utpote quae essentialem a Deo dependentiam in sua natura involvat, quae dependentia *comprehensive* cognosci nequit nisi ab eo, qui Deum comprehendit. Quod enim *natura sua* relativum est, *qua relativum* et consequenter *sub aliquo respectu cognoscibilitatis sibi essentialiter propriae* cognosci nequit, quin cognoscatur illud, ad quod essentialiter refertur. Quare nulla creatura proprie loquendo per se ipsam a Deo cognoscitur, licet esse eius formale a Deo cognoscatur in essentia Dei et decretis divinis, et licet Deus cognoscat eam per se ipsam modo imperfecto cognoscibilem esse. Negatio autem

et privatio per se ipsas *nullo modo* sunt cognoscibiles (cf. *Suarez,* De divina substantia lib. 3, cap. 2, n. 3—5 incl. 16. 19. Opp. tom. I. p. 118 sqq. [ed. Venet. 1741]).

307. ***Obi. 9.*** Enuntiabilia cognoscere intellectui nostro convenit, secundum quod componit et dividit. *Atqui* in intellectu divino nulla est compositio et divisio. *Ergo* non videtur enuntiabilia cognoscere (*S. Thom.,* S. th. 1, q. 14, a. 14, obi. 1).

Resp. *Conc. mai., dist. min.:* . . . non ipsa compositio et divisio mentalis, *conc. min.,* . . . non omnis veritas formalis, quae in intellectu nostro ex compositione et divisione mentali resultat, *nego min., nego cons.*

Insto. Ut Deus enuntiabilia cognoscat, debet in eo esse aliqua similitudo enuntiabilium. *Atqui* haec in eo esse nequit, cum enuntiabilia sint essentialiter composita, et Deus essentialiter simplex. *Ergo* . . . (*S. Thom.* l. c. obi. 2).

Resp. *Dist. mai.:* . . . aliqua similitudo (sensu lato) esse obiectivi per enuntiabilia significati, *conc. mai.,* aliqua similitudo modi, quo enuntiabilia in intellectu nostro formaliter constituuntur, *nego mai., contrad. min., nego cons.*

Obi. 10. Quae non sunt connumerabilia, non sunt cognoscibilia. *Atqui* infinita qua talia non sunt connumerabilia. *Ergo* non sunt cognoscibilia et consequenter a Deo non cognoscuntur (*S. Thom.,* S. th. 1, q. 14, a. 12, obi. 1).

Resp. *Dist. mai.:* . . . ei non sunt cognoscibilia, qui multitudines cognoscere nequit nisi enumerando unum post aliud, *conc. mai.,* . . . ei non sunt cognoscibilia, qui per suam infinitam essentiam est principium rerum omnium et singularum eandemque essentiam comprehendendo omnia et singula comprehendit, *nego mai., conc. min., nego cons.*

308. ***Obi. 11.*** Si Deus infinita cognosceret, ea sua scientia quodammodo pertransiret. *Atqui* infinitum non est pertransibile. *Ergo* Deus non cognoscit infinita (*S. Thom.* l. c. obi. 2).

Resp. *Dist. mai.:* . . . successive ea percurrendo, *nego mai.,* uno intuitu comprehensivo essentiae suae pro tota eorum cognoscibilitate ea cognoscendo, *conc. mai., contrad. min., nego cons.*

Obi. 12. Scientia Dei est mensura scitorum. *Atqui* contra rationem infiniti est, quod sit mensuratum. *Ergo* infinita non possunt sciri a Deo (*S. Thom.* l. c. obi. 3).

Resp. *Dist. mai.:* . . . mensura quantitativa, *nego mai.,* . . . mensura indicans essentiam et veritatem internam eorum, *conc.*

mai., contrad. min., nego cons. Quomodo scientia Dei mensuret res, quas Deus scit, S. Thomas l. c. ita explicat: „Unumquodque ... in tantum habet de veritate suae naturae, in quantum imitatur Dei scientiam, sicut artificiatum, in quantum concordat arti."

309. *Schol. I. Quo sensu scientia Dei sit causa rerum* (*S. Thom.*, S. th. 1, q. 14, a. 8). — Scientia Dei simili modo est causa creaturarum, atque scientia artificis est causa artificiati. Artificis enim scientia in opus artis causaliter non influit per hoc, quod artifex, antequam opus aggrediatur, scit illud ut effectibile, sed per hoc potius, quod artifex, postquam rationem operis possibilis perspexit, voluntate libera movet intellectum ad opus, quod cognoscitur ut effectibile, imperandum ut efficiendum, quo ipso artificis de opere effectibili scientia obiective considerata constituitur exemplar et quasi mensura operis, quod efficit.

Similiter scientia Dei non est causa creaturarum eo ipso, quod Deus creaturas possibiles cognoscit secundum omnes modos, quibus possibiles sunt. Nam Deus ita creaturas possibiles cognoscens simul cognoscit eas non absoluta necessitate per omnipotentem voluntatem suam ad actum exsistentiae esse reducendas; id quod ex tractatu de voluntate divina clare apparebit. Consequenter Deus per illam scientiam solam non est determinatus ad ullas ex creaturis possibilibus creandas. Quomodo igitur ad aliquas ex iis actuandas determinatur? Quatenus voluntate libera certas res ex iis, quas intellectus divinus proponit ut creabiles, decernit creare. Cognitio creabilitatis et decretum creationis sunt ab aeterno, *duratione* igitur simul; attamen decreto libero *ratione prior* est cognitio speculativa creaturae *ut effectibilis* et *ratione posterior* cognitio eius *ut libere efficiendae.* Itaque scientia Dei, *quatenus terminatur rebus creabilibus ad creationem libere per voluntatem divinam electis*, est causa rerum, non quidem efficiens, sed exemplaris. Scientia Dei qua causa rerum dicitur *scientia approbationis.*

310. *Schol. II. De ideis divinis* (cf. *S. Thom.*, S. th. 1, q. 15, a. 1. 2. 3). Idea intelligitur forma quaedam alicuius rei praeter hanc in intellectu aliquo exsistens, vel solum ut principium cognitionis illius rei vel etiam ut principium factionis

illius. Qua principium cognitionis idea dici solet *ratio rei*, qua principium factionis autem *exemplar rei*. Ex quo patet cognitionem, qua ens aliquod intelligens ideas suas intelligit ut rationes rerum, esse cognitionem speculativam, cognitionem autem, qua eas intelligit ut exemplaria rerum, esse cognitionem practicam (*S. Thom.* l. c. a. 1 et 3).

Quibus praestitutis evidens est in Deo esse ideas innumerabiles. Eo ipso enim, quod essentiam suam cognoscit ut imitabilem a certa creatura, eam cognoscit ut rationem propriam illius creaturae sive ut ideam eiusdem. Cognoscit autem Deus essentiam suam ut imitabilem per omnes et singulas creaturas possibiles. Consequenter innumeris pollet ideis. Attamen ea multitudo rationum in divina essentia intellectarum nullam secum fert distinctionem realem in Deo. Etenim quamquam „respectus multiplicantes ideas non sunt in rebus creatis, sed in Deo, non tamen sunt reales respectus, sicut illi, quibus distinguuntur personae“ (scl. personae divinae), „sed sunt *respectus intellecti a Deo*“ (*S. Thom.*, S. th. 1, q. 15, a. 2 ad 4).

Quinam sunt termini reales illorum respectuum, quos Deus ab aeterno in sua essentia intelligit? Quoad ideas *pure* speculativas termini sunt *entia finita condicionate tantum exsistentia*, scl. sub hypothesi liberi decreti divini eas creandi; quoad ideas practicas autem *entia finita vi decreti creationis ab aeterno absolute futura*.

Thesis XXVII.

311. **Deo ab aeterno perspecta sunt omnia libera absolute futura.** (Cf. *S. Thom.*, S. th. 1, q. 14, a. 13; Contra gent. lib. 1, cap. 67.)

St. Q. Futura libera intelliguntur actus futuri liberi creaturarum intelligentium. Actus autem liber est electio unius prae altero procedens ab ente intelligente, quod, omnibus ad aliquid eligendum requisitis positis et stantibus, active indifferens est ad illud eligendum et ad aliquid aliud eligendum, vel saltem ad illud eligendum et ad illud non eligendum (cf. explicationem libertatis arbitrii, quam fusius dedimus Psychol. rat. n. 356 sqq.).

Ex thesi XXVI. patet Deum cognoscere omnes actus liberos *qua possibiles eo tempore, quo futuri sunt*. Hac autem

thesi probare intendimus eum etiam cognoscere eorum *existentiam* futuram, priusquam exsistant, immo ab aeterno. Vocantur autem actus liberi vere futuri *libera absolute futura,* ut distinguantur ab actibus liberis condicionate futuris, de quorum cognitione thesi XXVIII. agemus.

312. *Arg. 1. (Ex obiectiva veritate actuum liberorum futurorum.)* Propositiones, quibus actus liberi vere futuri enuntiantur, sunt obiective verae. *Atqui* Deus pro infinita sua intelligentia omnem veritatem obiectivam cognoscit. *Ergo* cognoscit, quaenam sint illae propositiones, quibus actus liberi vere futuri enuntientur, aliis verbis: intelligit, qui actus liberi sint vere futuri.

Prob. mai. Ea propositio est obiective vera, in qua praedicatum subiecto est conforme. *Atqui* in omni propositione, qua affirmatur aliquam creaturam actum certum liberum certo tempore posituram esse, quem eo tempore revera ponet, praedicatum subiecto est conforme; quia in ea propositione per praedicatum subiecto id tribuitur, quod pro tempore, pro quo propositio enuntiatur, revera ad illud pertinet. *Ergo* propositio omnis, qua actus aliquis liber vere futurus enuntiatur, obiective vera est.

313. *Confirmatur.* Si Deus non certo cognoscit actiones futuras liberas, eas ignorat, antequam fiant. *Atqui* haec ignorantia Deo repugnat. *Ergo* Deus omnes actiones liberas futuras cognoscit.

Prob. min. multipliciter.

1. In illo supposito Deus de eventibus futuris, qui aut constituuntur ipsis actibus liberis creaturarum aut ab iis actibus aliquo modo pendent, donec actu essent, suam ignorantiam fateri deberet. Haec autem ignorantia in Deo esset verus defectus, vera privatio alicuius perfectionis, quia ex argumento supra dato patet actus liberos *qua futuros* esse obiective veros, consequenter secundum se cognoscibiles.

2. Absurditas ex eo augeretur, quod in illo supposito Deus non posset providentia sapienti actiones liberas creaturarum finibus a se intentis subordinare, quia nesciret, quando et quousque creaturae liberae consiliis suis obsecundaturae essent.

3. In illo supposito Deus in creaturis ordinandis aut duceretur aliqua probabilitate de oboedientia futura creatu-

rarum liberarum aut sensu stricto de ea dubius haereret. In priori casu posset decipi, in posteriori a cognitione veritatis obiectivae longe abesset.

314. *Arg. 2. (Ex aeternitate Dei.)*

Conspectui intellectus divini, cuius species intelligibilis est essentia divina, propter huius essentiae aeternitatem omnia tempora praesentia sunt cum omnibus et singulis eventibus, qui decursu temporum alii aliis succedunt. *Atqui* inter hos eventus sunt omnes actus liberi futuri creaturarum rationalium. *Ergo* hos Deus immutabili intuitu suo ab aeterno conspicit.

Prob. mai. Quod vi speciei intelligibilis aeternae semel cognoscitur ut certo tempore exsistens, id vi eiusdem semper cognosci debet ut eo tempore exsistens; secus enim ea species mutata esset, id quod repugnat aeternitati eius. *Atqui* a Deo vi speciei intelligibilis aeternae, quae est essentia eius, eventus futurus tum, cum revera continget eum esse, certe cognoscetur ut eo tempore exsistens, id quod patet ex thes. XXVI. parte II. *Ergo* semper a Deo cognoscitur ut eo tempore exsistens, aliis verbis: a Deo ab aeterno cognoscitur ut futurus. Consequenter conspectui intellectus divini ab aeterno omnia tempora praesentia sunt cum omnibus eventibus decursu eorum futuris.

315. Eadem *mai.* a S. Thoma (S. th. 1, q. 14, a. 13 ad 3, et Perihermenias lect. 14, § „Procedunt autem hae obiectiones“) illustratur similitudine alicuius hominis, qui ab aliqua altitudine totam viam intuetur, quae ducit per vallem, et qua multi successive transeunt. Ille, qui stat loco illo elevato, simul intuetur omnes, quorum unus post alterum per totam viam incedit. Ita Deus quodammodo stans in arce aeternitatis suae uno intuitu omnia tempora cum omnibus eventibus futuris secundum modum, quo aut necessario aut libere futuri sunt, distinctissime perspicit (cf. ad l. c. ex S. Thoma *Suarez,* De scientia, quam Deus habet de futuris contingentibus lib. 1, cap. 7, n. 18 sqq., Opp. [ed. Venet. 1741] X, 181 sq.).

316. ***Obi. 1.*** Quod Deus praevidet, necessario futurum est. *Atqui* secundum thesim Deus praevidet actus liberos futuros creaturarum. *Ergo* hi actus liberi necessario futuri sunt. *Atqui*

actus liberos necessario futuros esse repugnat. *Ergo* repugnat eos a Deo praevideri.

Resp. *Dist. mai.:* . . . i. e. supposita praescientia Dei *necessario* iudicandum est illud (aut necessario aut libere) futurum esse, *conc. mai.,* . . . i. e. supposita praescientia Dei iudicandum est illud *necessario et non libere* futurum esse, *nego mai., conc. min. Dist. cons. I. ut mai., contrad. min. subs.:* repugnat iudicandum esse actus liberos *necessario* futuros esse, *conc. min. subs.,* repugnat *necessario* iudicandum esse eos futuros esse, *subd. min. subs.:* Dei de iis praescientia non supposita, *conc. min. subs.,* ea supposita, *nego min. subs., nego cons. II.*

317. *Nota.* Potest etiam sic dici: Quod Deus praevidet, necessario futurum est necessitate aliqua, quae in ordine logico existit et factum futuritionis supponit sive sequitur, non vero semper necessitate aliqua *reali,* quae factum futuritionis antecedat.

Aliquando id breviter ita exprimitur, ut dicatur: Quod Deus praevidet, necessario futurum est *necessitate consequente, conc., necessitate antecedente, subd.:* si id, quod praevidet, est actio entis libere agentis, *nego,* si est actio entis naturali necessitate agentis, *conc.* — Distinctio a nobis supra data propterea data est, ut facilius in oculos caderet necessitatem consequentem et antecedentem quae dici solent versari in ordinibus diversis. Prior enim non habetur nisi in ordine logico et revera est nihil aliud atque *necessitas sanae menti incumbens agnoscendi factum verum tamquam factum verum pro eo tempore, pro quo est factum verum.* Altera autem necessitas scl. necessitas antecedens est praedeterminatio sive praedispositio entis agentis ad certam actionem, ex natura ipsius entis agentis, positis certis condicionibus, inevitabiliter resultans.

Obi. 2. Quod homo non potest omittere, non est ei liberum. *Atqui* actum, quem Deus praevidet, homo non potest omittere; etenim, si eum posset omittere, scientiam Dei posset fallibilem reddere. *Ergo* eiusmodi actus non est homini liber, et consequenter Deus nullum actum liberum hominis praevidet.

Resp. *Conc. mai., nego min. et cons., ad rat. min. dist. ass.:* . . . posset scientiam Dei fallibilem reddere, si illum actum, stante Dei praescientia, non solum *posset,* sed etiam fortasse *vellet* omittere, *conc. ass.,* . . . potest Dei scientiam fallibilem reddere, si eum certo libere ponet, quamquam facultate perfecte expedita eum omittendi pollebit, *nego ass.*

318. ***Obi. 3.*** Quod certo eveniet, quia aliquid praecedit, quod ab homine non pendet, non est ei liberum. *Atqui* actus, quos

Deus praevidet, certo evenient, quia scientia Dei praecedit, quae ab homine non pendet. *Ergo* eiusmodi actus non sunt homini liberi.

Resp. *Dist. mai.:* Quod certo eveniet, quia aliquid praecedit, quod ab homine neque entitative neque terminative pendet, *conc. mai.*, quod certo eveniet, quia aliquid praecedit, quod ab homine entitative quidem non pendet, attamen terminative, *nego mai., contrad. min., nego cons.*

Explico dist. Scientia, qua Deus actum liberum futurum hominis praevidet, *entitative* ab homine non pendet, quia secundum entitatem suam realem est nihil aliud nisi Deus vi essentiae suae sciens, quidquid obiective verum est. *Terminative* autem ab homine *aliqualiter* pendet, quatenus ab ipso pendet, quod terminus cognitionis divinae potius est positio quam omissio alicuius actionis tempore futuro ipsi adaequate possibilis. Dixi Dei de actione libera futura hominis praescientiam terminative *aliqualiter* ab homine pendere; *totaliter* enim etiam terminative ab homine non pendet, quia ab ipso non est, quod actio libera futura a Deo cognoscitur ut homini certo tempore adaequate possibilis. Potest illa terminativa scientiae divinae ab hominis arbitrio libero dependentia hac similitudine magis declarari. Homo die aliquo, quo sol lucet, non potest domo exire, quin influxum radiorum solis experiatur; sed sol lucens non necessitat hominem, ut exeat et radios lucis suae experiatur; potest enim homo, si ei placet, domi ita se abscondere, ut nullum influxum lucis solaris sentiat. Similiter homo ad nihil se determinare potest, quin eius determinatio subsit luci aeternae scientiae divinae; sed Deus luce huius scientiae hominem non necessitat, ut ad unum potius quam ad aliud se determinet. Quoties enim utrumque per intellectum ut eligibile proponitur, voluntas humana utrumlibet eligere potest.

319. ***Obi. 4.*** Si actus futuri hominis non necessario ponentur, quia Deus eos praescit, Deus eos praescit, quia ab homine libere ponentur. *Atqui* secundum responsa supra data ab homine non necessario ponentur, quia Deus eos praescit. *Ergo* Deus eos praescit, quia ab homine libere ponentur, quod est absurdum, utpote quod involvat influxum causalem hominis in scientiam Dei.

Resp. *Dist. mai.:* . . . Deus eos praescit, quia ab homine ponentur, i. e. positio futura actuum est causa actus, quo Deus eos praescit, *nego mai.*, . . . i. e. positio futura actuum est condicio unica obiective requisita, sub qua actus incausatus scientiae divinae eos qua futuros repraesentat, *conc. mai., conc. min., dist. cons. ut mai.* (cf. *S. Thom.*, S. th. 1, q. 14, a. 8 ad 1).

320. *Obi. 5.* Quod nullum esse determinatum habet neque in causis suis neque in se ipso, non est cognoscibile. *Atqui* actus liberi futuri neque in causis suis neque in se ipsis ullum esse determinatum habent. *Ergo* non sunt cognoscibiles.

Prob. min. per partes.

1. Id, ad quod causa indifferenter se habet, donec ab ea procedat, in causa sua nullum esse determinatum habet. *Atqui* ad certum actum liberum ponendum, qui creaturae liberae tempore futuro possibilis erit, ea creatura indifferenter se habet, donec ille actus ab ea procedat. *Ergo* ille actus liber futurus in causa sua nullum esse determinatum habet; consequenter, cum idem valeat de omnibus actibus liberis futuris, hi in causis suis nullum esse determinatum habent.

2. Quod in se non est, in se nullum esse determinatum habet. *Atqui* actus liberi futuri in se non sunt. *Ergo* in se nullum esse determinatum habent.

Resp. Dist. mai.: . . . Quod neque in causis suis neque in se ullum esse determinatum habet neque nunc neque alio tempore, *conc. mai.,* quod nunc quidem neque in causis suis neque in se ullum esse determinatum habet, attamen alio tempore habebit, *subd. mai.:* non est cognoscibile intellectui finito, *conc. mai.,* non est cognoscibile intellectui infinito, *nego mai., contrad. min., nego cons.*

Ad probationem min.:

ad part. 1. conc. mai., conc. min., conc. cons.;

ad part. 2. dist. mai.: . . . Quod nullo tempore in se est, *conc. mai.,* quod nunc quidem in se non est, attamen tempore futuro in se erit, *subd. mai.:* nunc nondum habet esse determinatum in se, *conc. mai.,* ad tempus futurum comparatum non habet esse determinatum in se, *nego mai., contrad. min., nego cons.* (cf. *Suarez,* De scientia, quam Deus habet de futuris contingentibus lib. 1, cap. 2, n. 6 sqq. Opp. [ed. Venet.] X, 165 sq.).

Thesis XXVIII.

321. **Deus perfecte cognoscit omnia libera condicionate futura.**

St. Q. Hac thesi agimus de actibus liberis creaturarum, qui de facto numquam positi sunt neque ponentur, qui tamen certe ponerentur, si creaturae liberae sub his vel illis circumstantiis versarentur, sub quibus nullo tempore revera sunt, et si Deus sub illis circumstantiis cum iis ad usum arbitrii liberi concurreret. Haec altera condicio semper sub-

intelligenda est, quia, ut lib. III. videbimus, sine immediato Dei concursu creatura nulla agere potest. Exempla habes in S. Scriptura I Reg. 23, 9—13; Matth. 11, 21—24; Luc. 10, 13. Asserimus igitur Deum illos actus non solum cognoscere ut sub certis adiunctis creaturae rationali adaequate possibiles (id enim ex thesi XXVI. evidens est), sed ut sub iisdem condicionibus *infallibiliter futuros.*

Ut vim argumenti, quo thesim probabimus, facilius apprehendas, haec prae oculis habe:

1. Creatura rationalis numquam versari potest in aliqua condicione, in qua ei numerus indefinitus actuum liberorum adaequate possibilis sit, id quod facile patet ex finitate intellectus eius. Immo, quatenus agitur de talibus creaturis, quales nos sumus, sub condicione qualibet paucae admodum alternativae habentur, circa quas perfecte expediti sumus ad libertatem exercendam.

2. Quamquam creatura rationalis *circa certum obiectum* libertatem suam exercere potest omissione actus positivi, tamen sub nulla condicione libere abstinere potest ab *omni* actu positivo sub ea condicione ei possibili, quia naturali necessitate aliquid appetit sub ratione boni (cf. Psychol. rat. n. 340).

322. *Probatur thesis ex disiunctiva veritate, quae habetur respectu cuiuslibet actus liberi sub certa condicione adaequate possibilis.* De actu libero quolibet, quem creatura sub certis condicionibus vere posset ponere, duas possumus formare propositiones contradictorie inter se oppositas, quarum una asserimus: „Illa creatura sub illis adiunctis illum actum poneret," et quarum altera idem negamus. Porro ex his duabus propositionibus una necessario est obiective vera, altera necessario obiective falsa (licet nobis patere non possit, utra sit vera, utra falsa). Nam duae propositiones contradictorie inter se oppositae nequeunt esse simul verae aut falsae.

Atqui Deus, utpote cuius intellectus sit infinitus, cognoscit, quidquid obiective verum est.

Ergo cognoscit, utra illarum duarum propositionum sit obiective vera. Consequenter de actu libero quolibet, qui sub certis condicionibus creaturae adaequate possibilis esset, cognoscit, utrum creatura sub iis condicionibus eum poneret

necne; aliis verbis: cognoscit omnia libera condicionate futura.

323. ***Obi.*** Quod nullo tempore est, non est cognoscibile nisi ut aliquid certo tempore possibile. *Atqui* actus liberi sub condicione futuri nullo tempore sunt. *Ergo* non sunt cognoscibiles nisi ut certo tempore possibiles.

Resp. *Dist. mai.:* Quod nullo tempore *est* neque, data certa hypothesi, umquam certo *esset*, *conc. mai.*, quod nullo quidem tempore *est*, attamen, data certa hypothesi, aliquando certo *esset*, *nego mai.*, *contrad. min.*, *nego cons.*

§ 4.

De medio obiectivo cognitionis divinae.

324. *Praenotanda.* Supra § 2 de medio subiectivo cognitionis divinae egimus. Iam quaeritur, num et quousque ei conveniat medium obiectivum. Intelligitur autem medium obiectivum cognitionis obiectum aliquod, cuius cognitio est ratio, ob quam aliud obiectum cognoscitur. Duplici autem modo id contingere potest. Aliquando enim sine ullo discursu in una re, quae cognoscitur, alia apprehenditur. Ita v. g. anima humana in actu cogitandi se ut principium eius sine ullo discursu apprehendit (cf. Psychol. rat. n. 191 sqq.). Aliquando vero ope discursus ex una re cognita alia intelligitur. Ex his duobus modis cognitionis obiective mediatae secundus Deo manifesto inesse nequit; etenim thesi XXIV. probavimus cognitionem divinam esse sine discursu.

Itaque quaeri id tantum potest, num et quousque Deus cognoscat aliqua *in* medio obiectivo, cum *ex* medio obiectivo nihil cognoscat. Sensus autem huius quaestionis magis declarandus videtur hoc modo:

Cum Deus pro intelligentia sua infinita non solum omnes veritates perfectissime cognoscat, quatenus singulae secundum se considerantur, sed etiam eas, quae ab aliis obiective pendent, secundum earundem a principiis vel causis suis dependentiam adaequate comprehendat, quaeritur, possintne aliquae veritates obiectivae a nobis afferri, quas Deus perfecte comprehendere nequeat, quin eo ipso certas alias veritates obiectivas cognoscat, utpote quae cum illis prioribus in ordine

ontologico necessario connectantur tamquam principiata cum suis principiis. Quodsi ita est, technice dicimus Deum cognoscere eam veritatem, quam intelligit esse ontologice principiatum necessarium alius veritatis, in hac alia ut in medio obiectivo.

325. Quibus praenotatis facillime patet Deum se ipsum absque ullo medio obiectivo cognoscere, utpote qui sit Ens prorsus independens.

Quaestio vero de medio obiectivo cognitionis rerum ab ipso diversarum in quattuor partes dividi potest:

a) de medio obiectivo cognitionis rerum omnium qua pure possibilium;

b) de medio obiectivo cognitionis rerum, quae per solam voluntatem Dei exsistunt;

c) de medio obiectivo cognitionis exsistentiae condicionate futurae actuum liberorum creaturarum rationalium;

d) de medio obiectivo cognitionis exsistentiae absolute futurae actuum liberorum creaturarum rationalium.

Iam ad has quattuor quaestiones per totidem theses respondebimus.

Thesis XXIX.

326. **Deus primo et per se se ipsum cognoscit, omnia autem alia, quatenus considerantur ut pure possibilia in se ipso, ut medio obiectivo cognoscit, i. e. eo ipso ea cognoscit, quod suam essentiam comprehendit.** (Cf. *S. Thom.*, Contra gent. lib. 1, cap. 48 et 49.)

St. Q. Parte I. theseos asserimus Deum primo et per se se ipsum intelligere, i. e. actum cognitionis divinae natura sua ita se habere, ut sine ullo medio obiectivo Deum repraesentet. Parte II. affirmamus alia omnia, i. e. tum ea, quae semper manent in statu purae possibilitatis, tum omnia, quae umquam *fuerunt, sunt, erunt,* vel sub condicione certa *fuissent, essent, futura essent,* a Deo cognosci in ipsius essentia ut medio obiectivo. Quod cum affirmamus, non statuimus omnia illa *sub omni respectu* in essentia divina ut obiecto cognito intelligi, sed solum *qua pure possibilia.* Quamquam enim per essentiam divinam *qua medium subiectivum* sive speciem intelligibilem etiam actualitas vel absoluta vel condicionata rerum et actionum exprimitur, tamen actualia *qua*

talia nequeunt dici in sola essentia divina *ut medio obiectivo* cognosci, id quod ex thesibus sequentibus apparebit.

Nihilominus verum manet Deum eo ipso, quod essentiam suam cognoscat, *omnia a se distincta* cognoscere; etenim, ut scite insinuat Suarez (De divina substantia lib. 3, cap. 2, n. 19; Opp. [ed. Venet.] I, 121), scientia rerum pro aliqua differentia temporis exsistentium scientiae earundem ut possibilium *nihil rei* addit, sed solum *respectum rationis.* Cognoscuntur enim eaedem res et actiones, sed secundum aliam ad actualem exsistentiam habitudinem.

327. Pars I. Deus primo et per se se ipsum cognoscit.

Arg. 1. (Ex specie intelligibili intellectus divini.) Illa res est primo et per se obiectum intellectus, cuius specie intellectus intelligit. *Atqui* species intellectus divini est essentia divina sive Deus ipse. *Ergo* Deus se ipsum primo et per se intelligit.

Arg. 2. (Ex eo, quod ordo idealis divinus ordinem realem perfectissime repraesentat.) Intellectus divinus infinite perfectus necesse est totum ordinem realem in primo eius principio comprehendat, quatenus ab eo pendet, consequenter omnia realia secundum eorum a Deo dependentiam intuitu suo immutabili exhibere debet. *Atqui* id manifeste non potest, nisi Deum primo et per se repraesentat. *Ergo* hoc dicendum est.

328. Pars II. Deus alia omnia in se ipso ut medio obiectivo comprehendit qua pure possibilia.

Qui perfecte comprehendit essentiam divinam, eo ipso cognoscit ea, quae in ea essentia vel eminenter praecontinentur vel sunt eiusmodi (negationes, privationes), ut, iis non cognitis, ea non perfecte cognoscantur, quae in essentia divina eminenter continentur. *Atqui* Deus ipse essentiam divinam perfecte comprehendit, et omnia alia praeter ipsum cognoscibilia vel in essentia divina eminenter continentur vel sunt eiusmodi, ut, iis non cognitis, ea non perfecte cognoscantur, quae in essentia divina eminenter praecontinentur (cf. quae diximus thes. XXVI, pars III et coroll. I).

Coroll. Ergo Deus est obiectum primarium scientiae divinae. Nam obiectum primarium respectu alicuius entis co-

gnoscentis illud dicitur, quod per se respondet eius cognitioni et est prima ratio, cur cetera cognoscantur. Ex thesi autem patet id respectu scientiae divinae non esse nisi ipsum Deum.

Thesis XXX.

329. **Deus ab aeterno in decretis suis cognoscit ea exstitura esse, quae independenter a libertate alicuius creaturae vel exstiterunt vel exsistunt vel exsistent.**

Probatur thesis ex habitudine rerum, de quibus agitur, ad decreta Dei. Quae independenter a libertate alicuius creaturae exsistentiam actualem nanciscuntur, eorum exsistentia solo libero Dei decreto determinatur. *Atqui* veritas obiectiva, quae solo libero Dei decreto determinatur, a Deo in hoc decreto ab aeterno cognoscitur. *Ergo* ab aeterno Deus in decretis suis cognovit exsistentiam futuram eorum, quae independenter a libertate alicuius creaturae vel exstiterunt vel exsistunt vel exsistent.

Prob. mai. Quae independenter a libertate alicuius creaturae exsistentiam actualem nanciscuntur, ea aut a Deo immediate efficiuntur, quo supposito eorum exsistentia futura certe non pendet nisi a solo Dei decreto; aut ea sunt effectus naturales non liberi creaturarum, quo supposito Deus eo ipso, quod tales creaturas esse voluit, etiam earum effectus libere decrevit; etenim Deus omnes vires creaturarum perspectas habet proindeque nequit non intelligere, quid, iis positis, necessario eventurum sit. *Ergo* in utroque supposito exsistentia eorum, de quibus agimus, solo libero Dei decreto determinatur.

Thesis XXXI.

330. **Libera condicionate futura q u a t a l i a a Deo cognoscuntur absque ullo medio obiectivo.**

St. Q. De modo, quo Deus cognoscat libera condicionate futura, inde a fine saeculi XVI. multum disputatum est. Ex variis responsis ad eam quaestionem prolatis tria imprimis notanda sunt:

a) *Sententia Bannez* et eorum, qui cum eo tenent praedeterminationem divinam physicam actionum liberarum creaturarum rationalium. Hi auctores dicunt Deum exsistentiam

condicionate futuram alicuius actus liberi creaturae rationalis in decreto actuali voluntatis suae cognoscere, quo statuerit creaturam liberam ad determinatum actum liberum praemovere, si ipsa in certis adiunctis versaretur. Quam praemotionem explicant esse influxum Dei physicum in voluntatem creaturae liberae, *natura praecedentem* voluntatis ad unum prae altero eligendum determinationem, qua voluntas in actu primo adhuc indifferens ita moveatur, ut ad certum determinatumque actum secundum transeat, idque ita, ut se libere determinet. Nam ex mente illorum auctorum praemotio sive praedeterminatio divina physica *ex interna natura sua* ita efficax est, ut absolute repugnet aliquem hominem physice praedeterminari ad aliquid libere volendum et illud non infallibiliter libere velle. Unde secundum eos facile patet Deum in decreto, quo voluntatem liberam praemovere statuit, cognoscere posse, qui actus liber ex pluribus alicui creaturae rationali sub certa condicione possibilibus revera futurus esset, si creatura in illa condicione poneretur. Neque solum actus bonos, sed etiam actus malos liberos sub condicione futuros quoad exsistentiam suam condicionatam a Deo in decretis suis cognosci ab iis, qui defendunt illam praemotionem, statuitur. Secundum enim eorum opinionem actus liberi mali non fiunt, nisi Deus creaturam liberam praemoveat ad entitatem actus, quocum malitia moralis coniuncta est. Neque tamen admittunt Deum creaturam ad ipsam malitiam moralem praemovere; unde etiam dicunt Deum non in decreto praemotionis eam malitiam qua futuram cognoscere, sed in decreto, quo eam permittere (non impedire) ei placuerit (cf. *Billuart,* Cursus Theol. [ed. Traiect. 1769] dissert. 8, a. 3, vol. II, p. 173 sqq.).

331. b) *Sententia, quam tradidit Molina* (In part. I. Divi Thomae q. 14, a. 13, disp. 15, p. 217). Secundum hanc sententiam Deus in supercomprehensione causae liberae creatae intelligit, quid haec, certa condicione posita, libere actura sit. Hanc autem supercomprehensionem declaravit consistere in perfecta comprehensione naturae liberae ad actum liberum proxime dispositae et in perfecta simul comprehensione corum, quae eam ad actum ponendum vel non ponendum allicere possint (cf. etiam Concord. in q. 14, a. 13,

disp. 52, ubi inter alia haec dicit: „Ad intuendum in re libera, in quam partem se inflectat, satis non est illius comprehensio neque quaecumque maior comprehensio, quam sit res comprehensa, sed necessaria est altissima atque eminentissima comprehensio, qualis in Deo solo comparatione creaturarum invenitur").

c) *Sententia, quam tradidit Suarez* et quam thesi nostra defendendam suscepimus. Ut vim theseos alte intelligas, significationem medii obiectivi quoad cognitionem divinam mente recole. Est enim, ut initio huius § exposuimus, medium obiectivum cognitionis divinae nihil aliud quam aliqua veritas obiectiva, quacum Deus cognoscit aliam veritatem obiectivam connecti tamquam principiatum cum principio suo ontologico. Hinc sensus theseos distinctius ita explicari potest: *Exsistentia condicionate futura certi actus liberi creaturae nullo principio ontologico secundum veritatem suam obiectivam determinatur nisi ipso exercitio libertatis creaturae, quod, concursu divino oblato, sub certa condicione tale* ***esset,*** *licet sub eadem condicione creatura vere potestate expedita polleret ad impediendum, ne tale esset.* Itaque cum intellectus divinus res perfectissime intelligat secundum modum, quo obiective inter se vel connectuntur vel non connectuntur, exsistentiam condicionate futuram actus liberi creaturae cognoscere nequit ut aliquod factum, quod naturaliter et inevitabiliter resultet ex ulla re vel eventu eam exsistentiam condicionate futuram praecedente. Consequenter unica ratio, quae afferri potest, cur eiusmodi futuritio condicionata certi actus liberi Deo sit cognoscibilis, *haec* est: Deus ex sua parte vi essentiae suae, *quatenus haec munere speciei intelligibilis fungitur,* necessario repraesentat omnem veritatem obiectivam secundum tempus, quo est vel esset, et secundum condicionem, sub qua est vel esset; aliter species eius intelligibilis non esset infinita. Ex parte autem creaturae exsistentia condicionata certi actus liberi pro quacumque condicione, sub qua creatura rationalis ad liberi arbitrii usum expedita supponitur, certe est veritas aliqua obiectiva, quia, ut in St. Q. theseos XXVIII. ostendimus, creatura libera ad libere agendum expedita non potest ab *omni* exercitio positivo libertatis abstinere. Consequenter intellectus divinus vi speciei intelligibilis infinitae certissime

eam veritatem obiectivam non solum attingit, sed eam ita etiam attingit, sicut in ordine ontologico ea veritas se habet, i. e. ut aliquid, quod per nihil ipsum praecedens sit determinatum.

Qua de re audiatur ipse Suarez: „Dicendum ergo est", inquit, „Deum cognoscere haec futura condicionata sua infinita virtute intelligendi, penetrando *immediate* veritatem, quae in ipsis est seu concipi potest; neque indigere aliquo alio medio, ut illa cognoscat... Nam, ut dixi, ex parte Dei et principii cognoscendi non oportet quaerere alium modum vel rationem cognoscendi quam ipsum lumen infinitum Dei et perfectionem ac aeternitatem scientiae eius" (quod lumen infinitum habetur per essentiam divinam *qua speciem intelligibilem* intellectus divini; et per eandem *secundum hanc formalitatem consideratam* habetur perfectio ac aeternitas scientiae Dei) ... „Ex parte autem obiecti seu rei cognoscendae neque oportet, ut aliquod medium intercedat, quia veritas ipsa in se et sine alio medio videtur a Deo; *quia nullum medium habet, et unumquodque cognoscitur a Deo, sicut est*" (De scientia, quam Deus habet de futuris contingentibus lib. 2, cap. 7, n. 15; Opp. [ed. Venet. 1741] X, 205. Eandem doctrinam Suarez exponit in De divina gratia pars 1, Proleg. 2, cap. 9, n. 9 [Opp. VI, 64]; cf. *ibid.* n. 7, p. 63). Porro De divina gratia, pars 2, Proleg. cap. 9, n. 10 (Opp. VII, 39) ad quaestionem, quomodo diversitas liberae electionis Petri et Pauli circa idem obiectum sub iisdem adiunctis eodem modo per intellectum propositum a Deo cognoscatur (cf. l. c. n. 2) haec respondet: „Aut postulatur ratio diversi eventus aut ratio praescientiae illius ex parte Dei. *Prioris ratio propria et proxima est liberum arbitrium* vel *solum in malis* vel *adiutum in bonis.* Neque contra hoc obstat, quod illae voluntates in priori signo sint aeque indifferentes: nam *potius ex hac ipsa indifferentia nascitur, ut unus sic, alius sic operetur pro suo arbitrio,* etiam ceteris omnibus antecedentibus exsistentibus paribus, quia hoc ipsum postulat *libertatis dominium* ... Ex intrinseca ergo potestate *illius* futura esse poterit illa diversitas. Supposito autem, quod sit futura, non oportet ex parte Dei aliam rationem reddere, ut cognosci possit, nisi *quia infinitam vim habet cognoscendi et omnem veritatem* ***in se ipsa*** *intuendi sine ullo*

discursu formali vel virtuali, sed ***per solam simplicem veritatis contemplationem.***"

332. Possit quis dicere a nobis debere admitti Deum cognoscere exsistentiam condicionate futuram actus liberi creaturae in sua essentia, *quatenus Deus sciat suam essentiam repraesentare illam exsistentiam ut obiective veram.* Utique evidens est Deum hoc scire, sed ex hoc non sequitur exsistentiam illam a Deo cognosci in essentia sua *ut in medio obiectivo,* nisi velimus medium obiectivum explicare sensu omnino alio, atque ad quaestionem nostram utiliter tractandam expedit. Etenim cognitio, qua Deus intelligit essentiam suam ut speciem intelligibilem omnia obiective vera repraesentantem, *ratione posterior* est quam ipsa actualis intuitio omnis obiective veri. Essentia enim divina *qua species intelligibilis* determinat Deum tum ad seipsum intuendum tum ad omnia alia *secundum modum, quo cognoscibilia sunt* (cf. *S. Thom.,* Contra gent. lib. 1, cap. 47, § „Cum enim", et cap. 48, § „Illa enim res". Itaque essentia divina *ratione* prius est principium, quo Deus omnia cognoscit, quam obiectum cognitum intellectus divini. Deus autem in ea cognoscit actualitatem condicionatam actuum liberorum futurorum, solum quatenus eam cognoscit ut obiectum natura sua repraesentans omne verum secundum modum et ordinem, quo est obiective verum (cf. *Suarez,* De scientia, quam Deus habet de futuris contingentibus lib. 1, cap. 4, n. 4 et 7; Opp. [ed. Venet.] X, 170 sq.).

Quaestio autem hoc loco solvenda haec est: Cur Deus vi essentiae suae qua speciei intelligibilis necessario intuetur futuritionem condicionatam actus liberi ut obiective veram? Utrum propterea, quia cum aliqua veritate ontologica, quae ipsa sit prior et Deo perspecta, naturaliter et inevitabiliter connectitur, an propterea solum, quia in se est obiective vera et consequenter intellectui divino necessario cognoscibilis? Hoc alterum censemus cum Suarez asserendum.

333. Sunt qui eandem atque nostram opinionem ita exprimant, ut dicant actum liberum sub condicione futurum non esse cognoscibilem nisi in se ipso (ita Cardinalis Franzelin, De Deo uno p. 466). Contra hunc loquendi modum nobis nulla occurrit solida difficultas. Nihilominus cum evitavimus,

quia potest falso intelligi et, ni fallor, a nonnullis falso intellectus est. Nam, qui ita loquuntur, nequaquam intendunt significare actum liberum sub condicione futurum nullo modo in Deo intelligi. Supponunt enim ex sua de divina rerum possibilium cognitione doctrina eiusmodi actum revera in Deo ut in medio obiectivo intelligi, *quatenus ratione prius sub certa condicione possibilis quam sub eadem condicione futurus est;* id solum negant *eius futuritionem condicionatam ab intellectu divino attingi in ullo medio obiectivo.*

334. *Probatur thesis ex libertate arbitrii.*

Ut ex declaratione medii obiectivi cognitionis divinae initio huius § tradita patet, illud solum dicendum est a Deo in medio obiectivo cognosci, cuius veritas obiectiva per aliquid ipso in ordine reali prius determinatur. *Atqui* existentia hypothetice futura alicuius actus liberi creaturae per nihil ipsa illa exsistentia in ordine reali prius determinatur. *Ergo* exsistentia hypothetice futura actus liberi creaturae a Deo non cognoscitur in medio obiectivo.

Prob. min. Creatura, quae supponitur ad libertatem exercendam perfecte esse expedita, non obstante omni impulsu, quo secundum esse suum subiectivum tangitur, et omni motivo per intellectum proposito, quo obiective allicitur, manet active indifferens ad agendum et non agendum, ad sic et aliter agendum, donec vi electiva voluntati suae insita se ad unum prae alio determinet (cf. Psychol. rat. n. 361). *Atqui* haec indifferentia activa evidenter obstat, quin eius determinatio actualis libera per ullum principium ontologicum ipsa voluntate actu se determinante prius secundum veritatem suam obiectivam determinetur. *Ergo* actus liberi determinati exsistentia non determinatur per ullum principium ontologicum in ordine reali ipso actu libero prius, et consequenter eius exsistentia hypothetice futura per nihil ipsa illa exsistentia in ordine reali prius determinatur.

Confirmatur thesis auctoritate S. Thomae.

1. Qui docet soli voluntati libere agendi tribuendum esse, quod sub certa aliqua condicione in hanc potius quam in illam partem se determinet, eo ipso docet exsistentiam hypotheticam actus liberi non esse determinatam per aliquid ipsa in ordine reali prius, et consequenter secundum se non

esse cognoscibilem nisi absque medio obiectivo. *Atqui* S. Thomas id docet, cum de voluntate libera (II sent. dist. 39, q. 1, a. 1 c.) dicit: „Ipsa . . potentia voluntatis, quantum in se est, indifferens est ad plura, sed quod *determinate* exeat in hunc actum vel in illum, *non est ab alio* determinante, sed *ab ipsa voluntate.*" *Ergo* . . .

2. S. Thomas (S. th. 1, q. 14, a. 13 c.) explicite docet eventus futuros contingentes, quos declarat (*ibid.* § „Sed contra") se intelligere „opera hominum libero arbitrio subiecta", a Deo propterea cognosci, *„quia eius intuitus fertur ab aeterno supra omnia, prout sunt in sua praesentialitate"*, i. e. secundum modum, quo omnia futura se habent, quando iam non sunt futura, sed praesentia, neque aliter posse cognosci, quia, quod est contingens, consideratum *„ut futurum et ut contingens nondum determinatum ad unum . . . non subditur per certitudinem alicui cognitioni"*. *Ergo* secundum ipsum actiones liberae sub certis adiunctis futurae per intellectum divinum absque ullo medio obiectivo attinguntur. Idem insinuatur S. th. 1, q. 86, a. 4 c.

335. ***Obi. 1.*** Homo, qui indolem alterius hominis bene novit, summa probabilitate praedicere potest, quomodo ille homo in certis adiunctis acturus sit. *Ergo* videtur rationi consonum Deum, *comprehendendo* indolem hominis et omnia in actionem eius liberam praevie influentia summa perfectione, in his ut in medio obiectivo intelligere, quid homo acturus sit.

Resp. *Conc. ant., nego cons.*, quia repugnat actionem liberam secundum omnes suas individuales rationes non solum summa probabilitate, sed etiam infallibili certitudine in causa sua cognosci, id quod ex argumento, quo thesim probavimus, clare patet.

Obi. 2. Creatura libera sub nullis adiunctis se determinare potest ad agendum, nisi prius Deus efficaciter velit, ut creatura se determinet. *Atqui* eo ipso, quod Deus prius efficaciter vult, ut creatura se determinet, eam praedeterminat et consequenter in sua praedeterminatione actum eius intelligit. *Ergo* hoc asserendum videtur.

Prob. mai. Creatura sub nullis adiunctis independenter a voluntate Dei ad sui determinationem procedere potest. *Atqui,* nisi Deus prius efficaciter vult, ut creatura sub certis adiunctis se determinet, creatura independenter a voluntate Dei ad sui determinationem procedit. *Ergo* . . .

Prob. min. Deus nihil efficaciter vult, quin causet, quod efficaciter vult. *Ergo* eo ipso, quod liberam creaturae determinationem efficaciter vult, eam causat, i. e. creaturam ad eam praedeterminat.

Resp. *Dist. mai.:* . . . nisi prius Deus efficaciter velit, ut creatura pro libitu ad hoc vel illud ex eligibilibus per intellectum ipsius propositis se determinet, *conc. mai.*, . . . nisi prius Deus efficaciter velit, ut ad hoc potius quam ad illud ex eligibilibus per intellectum ipsius propositis se determinet, *nego mai., contrad. min., nego cons.*

Ad prob. mai. conc. mai., dist. min.: . . . nisi Deus prius efficaciter vult, ut creatura sub certis adiunctis ad unum prae altero ex eligibilibus propositis se determinet, *nego mai.*, nisi Deus prius efficaciter vult, ut ad aliquid ex eligibilibus se determinet, *conc. min.* Nam hoc volens Deus nihil aliud vult, quam ut creatura vere utatur libertate sua, quia usus libertatis in concreto spectatus esse nequit, quin creatura ad unum vel aliud se determinet. *Nego cons.*

Ad prob. min. dist. ant.: . . . eo modo, quo illud efficaciter vult, *conc. ant.*, alio modo, *nego ant.* Nego suppositum consequentis, Deum liberam creaturae determinationem, antequam haec a creatura procedat, efficaciter velle ut determinationem ad unum et non ut determinationem ad utrumlibet *adaequate* possibilem.

336. ***Obi. 3.*** Qui uno loco docet Deum omnia *in se ipso* cognoscere, et alio loco aliqua a Deo *in se ipsis* intelligi, sibi contradicit. *Atqui* thesi XXIX. docuimus Deum omnia in se ipso cognoscere; thesi XXXI. aliqua, scl. actus liberos, sub condicione futuros a Deo in se ipsis cognosci. *Ergo* . . .

Resp. *Dist. mai.:* . . . Qui uno loco docet Deum omnia *sub omni respectu* in se ipso cognoscere, et alio loco docet aliqua a Deo sub omni respectu in se ipsis cognosci et sub nullo respectu in Deo, *conc. mai.* Qui uno loco docet Deum omnia sub uno certo respectu in se ipso cognoscere, et alio loco docet aliqua a Deo sub alio certo respectu in se ipsis cognosci, *nego mai., contrad. min., nego cons.* Suarez et nos Suarez sequentes docemus Deum cognoscere omnia *qua possibilia* in se ut medio obiectivo, consequenter etiam actus liberos condicionate futuros *ut sub certa condicione adaequate possibiles.* Addimus autem eosdem actus *quoad ipsam actualem futuritionem condicionatam* a Deo in se ipsis cognosci. In hoc nulla est contradictio.

337. ***Obi. 4.*** Thesis XXXI. videtur abhorrere a doctrina S. Thomae. Ipse enim (S. th. 1, q. 14, a. 5 et Contra gent. lib. 1, cap. 49) clare docet Deum alia a se *in se* cognoscere. *Atqui* exsistentia condicionate futura alicuius actus liberi est inter ea, quae sunt *alia a Deo. Ergo* secundum S. Thomam in Deo cognoscitur.

Resp. *Nego ass., ad probationem dist. mai.:* ... in se, i. e. per speciem essentiae suae, *conc. mai.*, in se ut in medio obiectivo, *subd. mai.:* sub omni respectu, *nego mai.*, sub aliquo respectu, *conc. mai., conc. min., nego cons.* Etenim *S. Thomas,* Contra gent. lib. 1, cap. 49, § 3, docet Deum omnia *aliqualiter* in se ut in causa cognoscere, quod etiam nos docemus. Praeterea S. th. 1, q. 14, a. 13 c. satis explicite docet futura contingentia a *nullo* intellectu posse in causa sua videri. Idem repetit S. th. 1, q. 86, a. 4, quo loco etiam verbis expressis docet: „*In se ipsis* futura cognosci non possunt *nisi a Deo.*"

Thesis XXXII.

338. **Actus liberos absolute futuros Deus sub lumine suae de eorum futuritione condicionata scientiae in decretis suis cognoscit.**

St. Q. Cum creatura, ut libro III. ostendemus, nihil agere possit, nisi Deus eo ipso momento, quo agit, facultatem eius agentem *qua agentem* concursu suo sustentat, evidens est nullum actum liberum creaturarum rationalium simpliciter sive absolute esse futurum, ad quem concurrere Deus non decreverit. Decreta autem divina libera quidem sunt, sed immutabilia (cf. infra thes. XXXV et XXXVI), consequenter ab aeterno. Neque potest esse ullum decretum divinum, cuius obiectum non sit ab aeterno a Deo distinctissime cognitum. Itaque Deus, ab aeterno decernens concurrere ad actus liberos creaturarum absolute futuros, hos actus *aliquo modo* in decreto concursus sui distinctissime cognoscit. Sed quomodo? Nam decretum concursus, ut ex thesi XXXI. clare patet, non potest esse medium obiectivum, in quo actus liber cognoscatur praecise secundum suam ab usu libertatis creatae dependentiam. Quousque igitur futuritio absoluta actus liberi in decreto concursus cognoscitur, et quomodo fieri potest, ut haec cognitio sit cognitio distincta actus futuri?

Ad quam quaestionem respondemus Deum eos actus in decretis suis non cognoscere ut *absolute* futuros, nisi quia

decreta concursus creaturis liberis praestandi formavit sub lumine cognitionis, qua absque ullo medio obiectivo cognoscit, quid creatura libera actura esset, si ipse sub certis adiunctis ad exercitium libertatis eam praemoveret et actuale exercitium libertatis eius concursu suo simultaneo sustentaret.

Aliis verbis: eosdem actus, quos absque ullo medio obiectivo cognoscit ut *condicionate futuros, si ipse decernat concurrere,* vi decreti actualis revera concurrendi videt ut *absolute* futuros.

339. *Probatur thesis ex thesi proxima probata.*

Secundum thesim XXXI. Deus actus liberos solum condicionate futuros absque ullo medio obiectivo cognoscit. *Atqui* actus liberi absolute futuri *ratione, prius* quam vi decreti concursus divini sunt absolute futuri, sub mera hypothesi illius decreti sunt solum condicionate futuri. *Ergo* a Deo ratione prius cognoscuntur ut solum condicionate futuri, quam vi decreti concursus cognoscuntur ut absolute futuri, et consequenter cognitio futuritionis absolutae eorum a Deo in decreto concursus sui cognoscitur in lumine cognitionis, quam ipse possidet de futuritione eorum condicionata.

340. *Coroll. ex thesibus XXXI. et XXXII.*

Ergo admittenda est ea cognitio divina, quae dici solet ***scientia media.*** Definitur enim scientia media ea cognitio, qua Deus absque decreto praemotionis sive praedeterminationis ad unum physicae ab aeterno cognovit, quid quaelibet creatura libera sub qualibet determinata condicione ageret, si usu libertatis expedito pollens in ea poneretur. Nomen ipsum scientiae mediae, licet non sit necessario retinendum, tamen omnino aptum esse ad eam cognitionem significandam ex § sequenti de divisione scientiae divinae patebit.

Nota. Obiectiones contra thesim XXXII. praecipuae sunt eae, quae fieri possunt contra concursum simultaneum, qui in eius expositione supponitur (vide has lib. 3, cap. 3, a. 2 ad thes. XLIX).

§ 5.

De divisione scientiae divinae.

341. Scientia divina, licet qua actus Deo internus sit simplicissima, tamen cum respectu ad obiecta, circa quae

versatur, multipliciter dividi potest. De quibus divisionibus aliqua notanda videntur, quia earum cognitio tum ad auctores scholasticos melius intelligendos non parum utilis est, tum ad expeditius de rebus ad cognitionem divinam pertinentibus disserendum multum iuvat.

A. *Dividitur scientia divina, quatenus ad omnia, circa quae versatur, obiecta comparatur:*

1. *in scientiam absolute et scientiam hypothetice necessariam (sive contingentem).*

Scientia absolute necessaria id a Deo cognoscitur, quod sub nulla hypothesi aliter se habere et consequenter sub nulla hypothesi aliter potest esse obiective cognoscibile; scientia autem hypothetice necessaria id, quod sub certa hypothesi aliter se habere et consequenter obiective alio modo potest esse cognoscibile. Ex quo facile intelliges scientia absolute necessaria a Deo cognosci ipsam essentiam divinam et omnia alia *qua pure possibilia;* scientia autem hypothetice necessaria actualitatem decretorum divinorum circa creaturas, actualitatem omnium, quae pro aliqua differentia temporis praeter Deum vel in se vel in alio sunt, necnon actualitatem condicionatam actionum liberarum creaturarum rationalium.

342. 2. *In scientiam signi rationis primi, signi rationis secundi, signi rationis tertii, signi rationis quarti.*

In hac divisione, quae in theologica mysterii SS. Trinitatis consideratione usui erit, obiecta scientiae divinae dispescuntur, secundum quod veritas obiectiva eorum non est aequaliter fundata. Id, ad cuius veritatem obiectivam nihil supponitur, Deus dicitur cognoscere in signo rationis primo; id, quod, huius veritate obiectiva supposita, proxime obiective verum est, in signo rationis secundo etc.

Hinc a) In signo rationis primo Deus cognoscit suum Esse *qua Esse divinum;*

b) in signo rationis secundo modos, quibus Esse divinum imitabile est, sive omnia possibilia *qua talia;*

c) in signo rationis tertio futuritionem condicionatam actionum liberarum omnium creaturarum rationalium possibilium;

d) in signo rationis quarto decreta sua actualia et omnia ab aeterno absolute futura.

3. *In scientiam speculativam et practicam.*

Haec divisio fit secundum ordinem, quo obiecta scientiae divinae se habent ad operationem Dei (cf. *S. Thom.,* S. th. 1, q. 14, a. 16 c. et *ibid.* q. 15, a. 3 c.; *Hontheim,* Theodicaea n. 891). Ex mente Aquinatis scientia speculativa ea dicenda sunt a Deo cognosci, quae non sunt termini effectionis divinae; scientia autem sensu stricto practica ea, quae sunt termini effectionis divinae *qua tales.* Addo *„qua tales“,* ut innuam, quousque mala moralia cadant sub scientiam Dei practicam (cf. *S. Thom.,* S. th. 1, q. 14, a. 16 c., § „Sed de his, quae potest quidem etc.“). Sensu enim *stricto* ea solum scientia est practica, qua quis id, quod ipse vult agere vel facere, scit ut sibi agibile vel factibile et ut a se ad actionem vel effectionem libere acceptum (cf. *S. Thom.,* S. th. 1, q. 79, a. 11 c.).

343. B. *Dividitur scientia divina, quatenus ad obiecta a Deo distincta comparatur, in scientiam visionis et simplicis intelligentiae* (cf. *S. Thom.,* S. th. 1, q. 14, a. 9 c. et Qq. disp. Ver. q. 2, a. 9 ad 2). Scientia visionis a Deo cognoscuntur omnia finita aliquando actualia, scientia, quae est simplicis intelligentiae *tantum,* omnia finita numquam actualia. In cognitione autem actualium scientia simplicis intelligentiae *ratione* praecedit scientiam visionis, quia nihil finitum potest secundum se actu verum esse, nisi prius verum sit ut terminus intellectus Dei et potentiae vel divinae vel creaturae per potentiam divinam effectibilis. Ex ipsis autem verbis, quibus S. Thomas ll. cc. utramque scientiam explicat, satis evidens est eum sub scientia simplicis intelligentiae non solum comprehendere ea, quae sensu stricto sunt *pure* possibilia vel considerantur ut *pure* possibilia, sed ea quoque, quae data certa hypothesi per libertatis creatae exercitium certo futura essent. Quare cum M. De Maria (Phil. Peripatetico-Schol. III, 227) dicendum censemus illam divisionem in scientiam visionis et simplicis intelligentiae „esse adaequatam, si assignatur pro obiecto simplicis intelligentiae quidquid non habet esse extra videntem, *uti a veteribus factitatum est,* quia tunc divisio fit per membra contradictorie opposita, inter quae non datur medium; nam pro obiecto visionis ponitur quidquid actu habet esse extra videntem, et pro obiecto simplicis intel-

ligentiae assignatur quidquid non habet vel non consideratur ut habens realem exsistentiam pro aliqua temporis differentia." Ex hoc iam patet, *servata terminologia Aquinatis,* non posse cognitionem futuritionis condicionatae actuum liberorum ad scientiam visionis referri (cf. quae habet Zigliara S. phil. II, 368 sq., n. XIII). Neque videtur regulis divisionis bonae perfecte satisfieri, si quis scientiam mediam, quam supra defendimus (thes. XXXI), scientiae visionis et simplicis intelligentiae strictius acceptae sine ulla restrictione obiectorum tamquam membrum tertium coordinet. Quid igitur faciendum? Vide sub *C.*

344. C. *Dividitur scientia divina, quatenus exclusive comparatur ad actus liberos creaturarum rationalium, in scientiam visionis, scientiam simplicis intelligentiae sensu strictiori acceptam, scientiam mediam.*

Haec divisio non repugnat divisioni sub B positae, quia in ea significatio scientiae simplicis intelligentiae magis coarctata est.

Actus enim liber dicitur cognosci scientia simplicis intelligentiae, quatenus cognoscitur ut certae creaturae (vel pure possibili vel aliquando actualiter exsistenti) sub determinatis adiunctis *adaequate possibilis, quin cognoscatur ut futurus, si creatura in illis adiunctis poneretur.*

Idem actus liber dicitur cognosci scientia visionis, quatenus cognoscitur ut *aliquando simpliciter actualis.*

Denique actus liber dicitur cognosci scientia media, quatenus cognoscitur neque ut aliquando simpliciter actualis neque ut certae creaturae (vel pure possibili vel aliquando actualiter exsistenti) sub determinatis adiunctis ita adaequate possibilis, ut simul cognoscatur esse actus aliquis, quem creatura sub iis adiunctis libere omitteret; sed *ut actus, quem certa creatura (vel pure possibilis vel actualiter aliquando exsistens) sub certis adiunctis certo poneret, si in iisdem versaretur.*

345. Ratio igitur divisionis est haec, quod actus liberi revera triplici modo se habere possunt ad actualem exsistentiam: a) ut actus sub certis adiunctis vel aliquando actualibus vel numquam actualibus adaequate quidem possibiles, sed non actuales; b) ut actus sub certis adiunctis vel non actualibus vel nondum consideratis ut actualibus certo actuales; c) ut

actus sub certis adiunctis aliquando vere actualibus certo actuales.

Sub prima habitudine cognoscuntur scientia simplicis intelligentiae sensu coarctato accepta; sub secunda habitudine scientia media; sub tertia habitudine scientia visionis.

Nomen autem scientiae mediae propterea satis aptum est, quia actus liber, quatenus vel est mere condicionate futurus vel consideratur ut mere condicionate futurus, medio quodam modo se habet inter suam puram possibilitatem adaequatam et exsistentiam suam actualem. Debet vero haec divisio tripartita restringi ad actus liberos, quia actus agentium non liberorum nequeunt cognosci ut sub certis adiunctis adaequate possibiles, quin eo ipso cognoscantur ut sub iisdem certo futuri. Nam soli enti libero haec excellentia propria est, ut, omnibus ad agendum praerequisitis et stantibus, perfecte expeditum sit ad agendum et non agendum circa obiectum, cum respectu ad quod certa actio ei est adaequate possibilis, cum ens necessario agens id, quod ei hic et nunc adaequate possibile est, non possit omittere.

346. D. *Dividitur scientia divina, quatenus ad ea solum, quae aliquando actu praeter Deum sunt, comparatur, in scientiam approbationis et reprobationis* (cf. *S. Thom.*, S. th. 1, q. 14, a. 8 c. sub fine. *Hontheim,* Theodicaea n. 892).

Haec divisio desumitur ex modo diverso, quo ea, quae a Deo sciuntur, se habent ad eius voluntatem. Itaque scientia approbationis Deus ea dicitur cognoscere, quae ei placent, scientia reprobationis ea, quae ei displicent. Placent autem Deo, quaecumque ab ipso sunt effecta; sensu stricto nihil ei displicet nisi malum morale.

Quare Deus nequit dici quidquam cognoscere scientia reprobationis nisi malum morale et creaturas rationales malo morali infectas, idque vel *secundum quid vel simpliciter,* prout eae creaturae malo morali aut levi aut gravi, vel malo morali gravi aut ad tempus aut in aeternum infectae sunt.

Art. 2.

De voluntate divina.

347. *Praenota.* Hoc articulo octo continentur sectiones:

§ 1. De exsistentia voluntatis divinae.

§ 2. De obiecto voluntatis divinae.

§ 3. De necessitate et libertate volendi voluntati divinae propria.

§ 4. De immutabilitate decretorum divinorum sive de immutabilitate Dei morali quae dici solet.

§ 5. Quomodo libertas divina stet cum immutabilitate Dei.

§ 6. De sanctitate voluntatis divinae.

§ 7. De affectibus voluntatis divinae.

§ 8. De virtutibus Dei (coroll. ad doctrinam de intellectu et voluntate Dei traditam).

§ 1.

De exsistentia voluntatis divinae.

Thesis XXXIII.

348. **Deo proprie convenit voluntas summe perfecta, quae realiter non differt ab ipsa essentia Dei.** (Cf. *S. Thom.*, S. th. 1, q. 19, a. 1; Contra gent. lib. 1, cap. 72 et 73.)

St. Q. Voluntas sensu stricto accepta est inclinatio quaedam entis intelligentis in bonum per intellectum apprehensum. Quae inclinatio potest esse vel pura complacentia in aliqua ratione bonitatis secundum se considerata vel appetitus boni, quo quis intelligit se carere, vel quies in bono, quod quis cognoscit sibi proprium. Voluntas sub secundo respectu manifesto involvit imperfectionem, non vero sub primo et tertio. Quare nil obstat, quin sub his in Deo inveniatur.

349. **Pars I. Deo proprie convenit voluntas infinite perfecta.**

Arg. 1. (Ex eo, quod Deus est creator hominis.) In creatore hominis formaliter sit necesse est omnis perfectio humana, in cuius ratione abstracta nulla involvatur imperfectio (thes. XVI). *Atqui* voluntas est eiusmodi perfectio humana, dummodo concipiatur ut facultas actu agens per modum purae in bono complacentiae; Deus autem est creator hominis (thes. III). *Ergo* voluntas in Deo formaliter est. *Atqui* omnis proprietas Dei est infinite perfecta (thes. XV). *Ergo* in Deo formaliter est voluntas infinite perfecta sive, quod ad idem redit, voluntas infinite perfecta Deo *proprie* convenit, non vero *metaphorice*.

Arg. 2. (Ex eo, quod Deus est ordinator mundi.) Ordo mundi debetur Deo qua enti intelligenti (thes. VI). *Ergo*

aut est a Deo solum per hoc, quod Deus mundum qua ordinabilem ab aeterno intellexit, aut per hoc, quod mundum, quem qua ordinabilem intellexit, qua mundum ordinatum voluit. *Atqui* illud prius manifesto est impossibile et ducit ad pantheismum iam reiectum. *Ergo* hoc alterum dicendum est; et consequenter in Deo proprie est voluntas, eaque ob Dei infinitatem infinite perfecta.

Prob. min. p. partes.

a) Illud prius est impossibile; nam „forma per intellectum considerata non movet nec aliquid causat nisi mediante voluntate", quia nulla res quidquam potest efficere nisi in finem determinatum; consequenter natura intellectualis *qua actu intelligens* non potest aliquid efficere nisi ob finem determinatum intellectum. *A fortiori* igitur intellectus simplicissimus in se subsistens nullo modo aliter quidquam efficere potest. *Atqui* aliquid efficere ob finem intellectum est nihil aliud quam velle, ut illud sit propter illum finem, et hac voluntate stante illud efficere (cf. *S. Thom.*, Contra gent. lib. 1, cap. 72, § „Praeterea, Forma etc."; lib. 3, cap. 2).

b) Illud prius ducit ad pantheismum iam reiectum. Nam si mundus solum propterea est, quia Deus eum ab aeterno ut ordinabilem intellexit, absoluta necessitate ab aeterno ab essentia divina qua intellectu in se subsistenti dimanavit et consequenter est complementum absolute necessarium essentiae Dei inhaerens. *Atqui* hoc supposito Deus non est Ens absolutum, a mundo prorsus independens, sed ens mundum ut sui complementum essentialiter exigens, quae sententia sane est pantheismus. *Ergo* . . .

350. *Arg. 3. (Ex eo, quod omne ens appetit bonum suum.)* Cf. *S. Thom.*, Contra gent. lib. 1, cap. 72, § „Amplius, Illud, quod consequitur etc."

Ens, quod naturaliter sit indifferens relate, ad id, quod naturae eius convenit, non solum inter entia creata non invenitur, sed ne concipi quidem potest, quin eo ipso concipiatur natura interne monstruosa. *Ergo* in Deo est inclinatio naturalis in bonum ipsius eaque intellectum sequens, cum ipse sit intellectus infinitus in se subsistens. *Atqui* eiusmodi inclinatio manifesto non potest esse nisi voluntas infinite perfecta. *Ergo* haec in Deo est.

Arg. 4. (Ex perfectione intellectus divini.) Cf. *S. Thom.,* Contra gent. lib. 1, cap. 72, § „Item, intelligere etc.“

Teste experientia nostra interna, quo perfectius natura spiritualis intelligit, eo magis delectatur in vero ut bono suo. *Atqui* Deus est natura spiritualis infinite perfecta et se ipsum ut veritatem primam in se subsistentem modo infinite perfecto intelligit (thes. XXVI). *Ergo* in se qua veritate prima ut bono suo infinite delectatur. *Atqui* delectatio in veritate ut bono intellecto est actus voluntatis. *Ergo* . . . (cf. *S. Thom.,* Contra gent. lib. 1, cap. 72, § „Item, Intelligere etc.“).

351. Pars II. Voluntas divina ab essentia Dei realiter non differt.

Probatur ex eo, quod velle divinum est actio actus puri (cf. *S. Thom.,* Contra gent. lib. 1, cap. 73, § „Amplius cum omne agens“). Omne agens agit, in quantum est actu. *Ergo* Deus, cum sit actus purus, per solam suam essentiam agit, sive actio et essentia Dei sunt realiter idem. *Atqui* velle divinum est actio (immanens) Dei. *Ergo* realiter ab essentia Dei non differt, et consequenter voluntas Dei, qui non potest esse nisi in actu *qua velle,* realiter ab essentia divina differre nequit.

352. ***Obi. 1.*** Actus voluntatis non potest esse nisi cum respectu ad finem aliquem. *Atqui* cum hoc respectu in Deo esse nequit. *Ergo* in eo omnino non est.

Prob. min. Actus voluntatis Dei, si respiceret finem, respiceret finem Dei volentis. *Atqui* Dei volentis non potest esse finis, quia Deus volens est realiter ipsa substantia divina, cuius certe non est finis (cf. *S. Thom.,* S. th. 1, q. 19, a. 1, obi. 1).

Resp. *Conc. mai., nego min. et cons., ad prob. min. dist. mai.:* . . . finem Deo volenti vel realiter identicum vel ab eo realiter distinctum, *conc. mai.,* finem a Deo realiter distinctum, *subd. mai.:* ut terminum efficientiae divinae ad Deum ut finem referendum, *conc. mai.,* ut finem ipsius velle divini sive ut bonum, in quo voluntas divina ut propter se amato quiescat, *nego mai., contrad. min., ad rationem min.:* Deus volens qua talis a substantia divina *realiter* non differt, *conc. mai.,* ab ea *formaliter* non differt, *nego ass.* Distinctio autem formalis inter Deum *ut substantiam* et Deum *ut volentem* sufficit, ut de Deo sub hoc altero respectu aliquid praedicari possit (v. g. habere creaturam

efficiendam pro termino libere electo), quod de eo sub priori respectu dici non potest.

353. ***Obi. 2.*** Voluntas est appetitus intellectualis. *Atqui* in Deo nullus est appetitus. *Ergo* in eo non est voluntas.

Prob. min. Appetitus est rei, qua quis caret, licet ea ipsi conveniat. *Atqui* Deus nulla re caret, quae ei convenit. *Ergo* in Deo non est appetitus (cf. *S. Thom.* l. c. obi. 2).

Resp. *Dist. mai.:* Voluntas non est nisi appetitus intellectualis sensu strictiori acceptus, quo quis nititur ad id consequendum, quod nondum habet, *nego mai.,* . . . est appetitus intellectualis sensu latiori acceptus, quatenus hic praeter desiderium boni alicui convenientis etiam complectitur amorem boni et delectationem in bono, quod quis cognoscit se possidere, *conc. mai., contrad. min., nego cons. Ad prob. min. dist. mai.:* Appetitus sensu latiori acceptus, *nego mai.,* appetitus sensu strictiori, *conc. mai., conc. min., dist. cons.:* In Deo non est appetitus per modum desiderii alicuius boni, quo Deus careat et quod Deo conveniat, *conc. cons.,* in Deo non est voluntas per modum amoris boni et delectationis in eo, *nego cons.*

354. ***Obi. 3.*** Voluntas est aliquod movens motum. *Atqui* Deus est primum movens immobile. *Ergo* in Deo non est voluntas (cf. *S. Thom.* l. c. obi. 3).

Resp. *Dist. mai.:* . . . movens ad efficiendum et motum a fine, quatenus scl. aliquod obiectum cognitum, quod propter se amatur, dicitur movere voluntatem, *conc. mai.:* . . . movens ad efficiendum et motum per efficientiam, *subd. mai.:* voluntas, quae per se est in potentia ad volendum, *conc. mai.,* voluntas, quae per se est actus volendi, *nego mai., dist. min.:* Deus est primum movens in ordine tum causae efficientis tum causae finalis et primum immobile in utroque ordine respectu omnis entis sibi externi, *conc. min.,* est ita primum immobile in ordine causae finalis, ut etiam a se ipso non moveatur, *„eo modo loquendi, quo intelligere et velle dicitur motus“, nego min.* (cf. *S. Thom.* l. c. ad 3). Quomodo autem intelligere et velle dicatur motus, S. Thomas explicat S. th. 1, q. 18, a. 3 ad 1. — Sensus illius phrasis *„Deus a se ipso ut a fine movetur“* est hic: Voluntas divina in Esse divino per intellectum divinum proposito quiescit complacentiae amore absoluto ita, ut praeter illud Esse nihil velit nisi cum respectu ad ipsum. Quod magis patebit ex thesibus proxime sequentibus.

§ 2.

De obiecto voluntatis divinae.

Thesis XXXIV.

355. Deus bonitatem suam infinitam propter ipsam amat, res autem alias propter bonitatem suam. (Cf. *S. Thom.*, S. th. 1, q. 19, a. 2; Contra gent. lib. 1, cap. 74 et 75.)

St. Q. Amat rem aliquam, qui delectatur in bonitate eius vel agnoscenda vel procuranda. Deus se ipsum amat solum priori modo, creaturas utroque. Thesi nostra affirmamus *ultimum* motivum, quo Deus movetur, ut et se amet et alia praeter se, esse suam bonitatem. Cum hoc autem compatibile est, quod unam rem vult et amat *proxime* propter ordinem, quem haec habeat ad aliam, v. g. animalia irrationalia propter hominem, beatitudinem creaturae rationalis propter finalem eius in gratia Dei perseverantiam et hanc perseverantiam propter eius assiduam in bonis operibus diligentiam etc. (cf. *S. Thom.*, S. th. 1, q. 19, a. 5 ad 3).

Porro, cum dicimus Deum amare alia a se propter suam bonitatem, non intendimus statuere eum bonitate sua necessario quasi urgeri ad alia *qua actu exsistentia* volenda et ita amore suo digna efficienda; immo id mox (thes. XXXV) explicite negabimus. Itaque illi modo loquendi haec subest vis: Deus, cum aliquid vult praeter se ipsum sive ut ens suam essentiam imperfecte imitans, hoc non vult nisi bonitate sua motus. Sed, si quis quaerat: „Cur Deus bonitate sua movetur ad aliquid praeter ipsum volendum, si ea bonitate non necessario ad id movetur?“ respondebimus: quia libere vult aliquid esse, quo bonitas ipsius repraesentetur et manifestetur. Omnis enim creatura quodammodo participat bonitatem divinam secundum similitudinem huius imperfectam. Sed posset Deus velle, ut nulla eiusmodi similitudo exsisteret, idque posset velle propter eandem suam bonitatem infinitam, utpote quam cognoscat sibi perfecte sufficere.

356. Itaque ea, quae Deus propter se ipsum vult et amat, per voluntatem eius ad ipsum referuntur ut ad finem. Nequit autem bonitas Dei esse finis rerum ut aliquid, quod Deo per res creatas acquirendum vel augendum sit, sed solum

ut aliquid rebus, quas Deus creat, secundum sui similitudines communicandum. Quare S. Thomas veritatem altera theseos parte enuntiatam ita declarat: *„Deus est finis rerum ut aliquid ab unaquaque re suo modo obtinendum“* (Contra gent. lib. 3, cap. 18). Revera enim eo ipso, quod Deus creat et conservat res ad suam bonitatem similitudinarie participandam, iis vult bonum et consequenter eas amat.

Attamen, quia eas non amat, nisi quatenus ipsi sunt similes, non potest dici eas propter ipsas amare *sensu stricto;* immo dicendus est creaturas rationales *sensu latiori* propter ipsas amare, quatenus vult earum beatitudinem et ceteras res ordinat in earum commodum (cf. *S. Thom.,* S. th. 1, q. 20, a. 2 ad 3).

Vix est, quod notemus Deum, quamquam est causa finalis rerum, quas vult, non esse sensu proprio causam actus subiectivi, quo vel se ipsum vel creaturas vult (cf. *S. Thom.,* S. th. 1, q. 19, a. 5). Solum sensu minus proprio bonitas Dei dici potest esse Deo causa volendi, quatenus scl. causa accipitur pro *principio* vel *ratione,* id quod fit apud *S. Thom.,* Contra gent. lib. 1, cap. 87, § „Voluntati enim etc.“ (cf. *Hontheim,* Theodicaea n. 897 sqq.). Ipse S. Thomas rem clarius exprimit Qq. disp. Ver. q. 23, a. 1 ad 3.

357. Pars I. Deus suam bonitatem propter ipsam amat.

Arg. 1. (Ex infinita rectitudine voluntatis divinae.)

Voluntas Dei, cum sit infinite perfecta et consequenter sapientiae absolute conformis, omnia amat, prout sunt amore digna. *Atqui* bonitas Dei per se est et per se consequenter est bona, cum ceterae res non sint per se entia neque per se bonae (cf. *S. Thom.,* S. th. 1, q. 6, a. 3 et 4). *Ergo* Deus bonitatem suam amat ut per se bonam, consequenter eam amat propter ipsam.

Arg. 2. (Ex eo, quod volitionis divinae non est principium a Deo diversum.)

Quod quis propter id ipsum vult, est obiectum principale voluntatis eius, et consequenter est ei principium volendi. *Atqui* Deo non potest esse aliquid ab ipso diversum principium volendi, quia eo ipso esset principium esse divini, cum secundum thes. XXXIII. velle divinum sit ipsum esse

divinum. *Ergo* nihil a Deo diversum potest esse obiectum principale voluntatis divinae sive propter se amari, consequenter Deus ipse sive bonitas divina propter se a Deo amatur (cf. *S. Thom.,* Contra gent. lib. 1, cap. 74, § „Praeterea, Principale volitum etc.“).

358. Pars II. Deus vult res alias propter bonitatem suam, aliis verbis: statuit bonitatem suam finem rerum.

Arg. 1. (Ex eo, quod res alias et vere amat neque amat ut finem.)

Secundum partem I. Deus bonitatem suam propter ipsam amat. *Ergo* res alias, quae exsistunt, aut nullo modo amat, aut eas amat propter bonitatem earum, aut eas amat propter bonitatem suam. *Atqui* primum et alterum horum dici nequit. *Ergo* tertium dicendum est.

Prob. min. subs. per partes.

1. Non potest dici Deus res alias nullo modo amare; nam omnes res, quatenus *sunt,* revera sunt bonae et consequenter eatenus amore dignae; quare optime S. Thomas: „Dicendum, quod Deus omnia exsistentia amat; nam omnia exsistentia, in quantum sunt, bona sunt. . . . Ostensum est autem . . . quod voluntas Dei est causa omnium rerum; et sic oportet, quod in tantum habeat aliquid esse aut quodcumque bonum, in quantum est volitum a Deo. Cuilibet igitur exsistenti Deus vult aliquod bonum. Unde cum amare nihil aliud sit quam velle bonum alicui, manifestum est, quod Deus omnia, quae sunt, amat. . . . *Amor Dei est infundens et creans bonitatem in rebus*“ (S. th. 1, q. 20, a. 2 c.).

2. Non potest dici Deus res alias propter ipsas amare, quia repugnat a Deo quidquam propter se ipsum amari, quod propter se ipsum non sit amore divino dignum. *Atqui* nulla res a Deo diversa propter se ipsam est amore divino digna, quia nulla a se habet suum esse et bonitatem suam (cf. *S. Thom.,* S. th. 1, q. 6, a. 3 c. ad 2).

Arg. 2. (Ex eo, quod Deus se ipsum amat propter se.)

„Quicumque amat aliquid secundum se et propter ipsum, amat . . . omnia, in quibus illud invenitur. Sed Deus suum esse et secundum se et propter ipsum vult et amat . . .; omne autem aliud esse est quaedam sui esse secundum similitu-

dinem participatio. . . . Relinquitur igitur, quod Deus ex hoc ipso, quod vult et amat se, vult et amat alia" (cf. *S. Thom.*, Contra gent. lib. 1, cap. 75, § „Amplius, Quicumque etc.").

359. ***Obi. 1.*** Deus non potest esse res ab essentia divina diversa. *Atqui* velle divinum est ipse Deus secundum esse suum. *Ergo* velle divinum non potest rem a Deo diversam habere obiectum (cf. *S. Thom.*, S. th. 1, q. 19, a. 2, obi. 1).

Resp. *Conc. mai., dist. min.:* Velle divinum *subiective* spectatum, *conc. min.*, velle divinum *obiective* spectatum, *subd. min.:* . . . spectatum secundum obiectum *principale, conc. min.:* . . . spectatum secundum obiectum *totale, nego min., dist. cons.* secundum subdistinctionem *min.*

Obi. 2. Obiecto voluntatis suae ens volens movetur. *Ergo,* si Deus res ab ipso distinctas habet obiectum voluntatis suae, ab ipsis movetur, id quod repugnat absolutae eius independentiae (*S. Thom.* l. c. obi. 2).

Resp. *Dist. ant.:* Obiecto voluntatis, quod est finis eius (vel realis vel secundum rationis considerationem), *conc. ant.*, obiecto voluntatis, quod est volitum ad finem, *nego ant., dist. pariter cons.*

Obi. 3. Cuicumque enti volenti unum ut obiectum voluntatis sufficit, non quaerit aliquid praeter illud. *Atqui* Deo sua essentia ut obiectum voluntatis suae sufficit. *Ergo* non quaerit et consequenter non vult aliquid praeter suam essentiam (*S. Thom.* l. c. obi. 3).

Resp. *Dist. mai.:* . . . *sibi* nihil quaerit praeter illud, *conc. mai.,* . . . *alii* nihil quaerit praeter illud, *subd. mai.:* non absoluta necessitate, *conc. mai.*, non libere, *nego mai., conc. min., nego cons.*

360. ***Obi. 4.*** Actus voluntatis multiplicantur secundum obiecta eius. *Atqui* actus voluntatis divinae non potest esse nisi unus. *Ergo* obiectum voluntatis divinae non potest esse nisi unum scl. ipse Deus (*S. Thom.* l. c. obi. 4).

Resp. *Dist. mai.:* . . . secundum obiecta *propter se* volita, *conc. mai.*, secundum obiecta non volita nisi cum ordine ad aliquid propter se volitum, *nego mai., conc. min., nego cons.*

Obi. 5. Quod ad augendam bonitatem divinam nihil conferre potest, Deus non potest velle propter bonitatem suam. *Atqui* nulla res creata ad augendam bonitatem divinam quidquam conferre potest. *Ergo* Deus nullam rem creatam propter bonitatem suam velle potest.

Resp. *Dist. mai.:* . . . i. e. non ideo, ut bonitas Dei per id crescat, *conc. mai.*, . . . i. e. non ideo, ut id, quod per se non est bonum, fiat formaliter bonum per bonitatem Dei, *nego mai., conc. min., nego cons.*

§ 3.

De necessitate et libertate volendi voluntati divinae propria.

Thesis XXXV.

361. Deus suam bonitatem absoluta necessitate amat; exsistentiam rerum finitarum libere decernit vera libertate indifferentiae. (Cf. *S. Thom.*, S. th. 1, q. 19, a. 3; Contra gent. lib. 1, cap. 80—83 incl.)

St. Q. I. Necessitas amoris, quo priori theseos parte Deum se ipsum absolute necessario amare dicimus, est necessitas *naturalis* eiusmodi, ut Deus circa essentiam suam non solum nequeat habere affectum amori oppositum, sed etiam perpetuo et intensissimo amore eam amplectatur. Itaque haec necessitas non solum est *specificationis,* sed etiam *exercitii* eiusque numquam interrupti; quare infinite excedit necessitatem naturalem, qua homo amat beatitudinem in huius vitae statu, de qua necessitate cf. quae S. Thomam et Suarez sequentes diximus in Psychologia (Psychol. rat. n. 348 sq. 351. 354, obi. 3). Ut autem vim argumentorum, qua pars I. probatur, recte aestimes, prae oculis habe, velle ens aliquod ut bonum et amare illud esse idem.

II. Libertas indifferentiae, de qua altera parte theseos loquimur, intelligitur immunitas a principio interno, quo voluntas natura prius quam aliquid eligat, ad id eligendum determinetur et restringatur. Deus enim, quamquam exsistentiam earum rerum finitarum, quae aliquando exsistunt, ab aeterno voluit, tamen ab aeterno eam voluit voluntate naturaliter perfecte expedita ad eam non volendam. Quare exsistentia earum decreto alicui divino debetur, ad quod statuendum Deus ab aeterno revera erat active indifferens, licet haec indifferentia activa non *duratione,* sed *natura* ipsum decretum praecesserit. Cave igitur, ne existimes non ob aliam rationem Deum esse liberum in creaturis volendis quam propterea, quia nullum ens ab ipso diversum cum cogere potuerit ad eas volendas.

362. III. Sed cur potius dicimus Deum exsistentiam rerum finitarum ab aeterno libere *decernere* quam *decrevisse?* Ratio est, quia decretum divinum cogitandum est non solum ut actus voluntatis, qui numquam retractetur (cf. thes. XXXVI), sed etiam ut actus unus ab aeterno in aeternum aequali intensitate actuali permanens, quo Deus non solum libere *voluit,* sed revera libere *vult,* quidquid exsistentiae finitae aliquando exstitit, exsistit, exsistet. Quod bene explicatur a *Suarez,* Metaph. disp. 30, sect. 16, n. 32 sq. „Nos", inquit ille, „non solum sumus liberi, antequam velimus, sed etiam cum volumus; et actus, quo volumus, simul est *liber simpliciter* et *necessarius ex suppositione:* prius autem natura vel ratione fit aut est, quam illam necessitatem habere intelligatur, et prius ratione vel natura quam talis actus fiat, intelligitur voluntas pro eodem instanti indifferens ad illum faciendum: quod autem in nobis est *instans,* est in Deo ipsa *aeternitas:* et quod in nostro actu est *necessitas ex suppositione pro illo instanti,* pro quo esse supponitur, est in Deo *necessitas immutabilitatis pro sua aeternitate. . . .*" „In sua aeternitate (Deus) simpliciter libere vult et eadem libertate perpetuo manet in eodem decreto."

363. **Pars I. Deus suam bonitatem absoluta necessitate amat.**

Arg. 1. (Ex eo, quod voluntas Dei necessario est in actu.) Ens, cuius voluntas non potest esse in statu potentialitatis amandi aliquid, sed necessario se habet ut amor actualis, absoluta necessitate id amat, propter quod amat, quidquid amat. *Atqui* Deus ob summam suam simplicitatem et infinitatem est Ens, cuius voluntas necessario sit amor actualis; porro secundum thes. XXXIV. ipse bonitatem suam solam propter ipsam amat, cetera propter eandem. *Ergo* absoluta necessitate amat suam bonitatem (cf. *S. Thom.,* Contra gent. lib. 1, cap. 80, § „Ostensum est").

Arg. 2. (Ex eo, quod unumquodque ens ad suum esse inclinat.)

„Omnia, in quantum sunt, assimilantur Deo; qui est primo et maxime Ens. Omnia autem, in quantum sunt, suo modo naturaliter diligunt suum esse. Multo igitur magis Deus suum esse diligit naturaliter." Natura autem voluntatis

divinae absoluta necessitate est in actu. *Ergo* Deus absoluta necessitate diligit esse suum sive bonitatem suam (*S. Thom.*, Contra gent. l. c. § „Adhuc, Omnia").

Arg. 3. (Ex eo, quod dilectio Dei est perfectio pura.)

Diligere id, quod solum propter se est summe perfectum, consequenter summe bonum, summe appetibile, est perfectio pura. *Atqui* in Deo omnis perfectio pura est modo infinite perfecto. *Ergo* Deus absoluta necessitate se ipsum sive bonitatem suam infinite amat.

364. Pars II. Deus exsistentiam rerum finitarum libere decernit.

Arg. 1. (Ex eo, quod res finitae contingenter se habent ad motivum voluntatis Dei.)

Voluntas necessario non fertur nisi in finem, prout eum naturali necessitate amplectitur, et in ea media, quae intellectus cognoscit tamquam media cum fine ita spectato connexa. *Atqui* secundum thes. XXXIV. Deus exsistentiam rerum finitarum non potest velle ut finem; neque eae res ab intellectu divino apprehendi possunt ut media ad finem necessaria, cum Deus evidenter intelligat suam bonitatem sibi solam sufficere. *Ergo* Deus exsistentiam rerum finitarum libere decernit (cf. *S. Thom.*, Contra gent. lib. 1, cap. 81, § „Est enim").

Arg. 2. (Ex eo, quod nequit esse multitudo actu infinita.)

„Cum ... divina bonitas sit infinita et infinitis modis participabilis" ... „si (Deus) „ex hoc, quod vult bonitatem suam, vellet de necessitate ea, quae ipsum participant, sequeretur, quod vellet esse infinitas creaturas infinitis modis participantes suam bonitatem; quod patet esse falsum, quia, si *vellet, essent,* cum sua voluntas sit principium essendi rebus", nequeunt autem esse, ut patet ex eo, quod multitudo actu infinita repugnat (n. 221 sq.). Non igitur de necessitate vult etiam ea, quae nunc sunt (cf. *S. Thom.*, Contra gent. lib. 1, cap. 81, § „Amplius, Deus).

Arg. 3. (Ex Dei sapientia.)

Si Deus exsistentiam rerum finitarum non vellet cum vera libertate indifferentiae, supponere deberemus cum aut

iudicare aliquod bonum sibi non necessarium revera sibi esse necessarium, aut necessario amare ut bonum, quod *per se* non est bonum, sed *nihil. Atqui* utrumque repugnat infinitae Dei sapientiae. *Ergo* . . .

365. ***Obi. 1.*** Quidquid Deus vult, ab aeterno vult. *Atqui,* quidquid ab aeterno vult, necessario vult. *Ergo* nihil libere vult (cf. *S. Thom.,* S. th. 1, q. 19, a. 3, obi. 1).

Resp. *Dist. mai.:* Vel necessario vel libere, *conc. mai.,* necessario, *subd. mai.:* quidquid vult ut necessario connexum cum suo esse infinito, *conc. mai.,* quidquid vult ut exsistens praeter essentiam suam, *subd. mai.:* necessitate naturali, *nego mai.,* necessitate suppositionis, quatenus necesse est eum illud vere velle, quod libere vult, *conc. mai., contrad. min.:* quidquid ab aeterno vult, necessario vult vel naturali necessitate vel necessitate suppositionis tantum, *conc. min.,* naturali necessitate, *subd. min.:* quidquid vult ut cum suo esse necessario connexum, *conc. min.,* quidquid vult ut exsistens praeter essentiam suam, *nego min., nego cons.*

Obi. 2. Deus vult res finitas ut res actu exsistentes propter bonitatem suam. *Atqui* bonitatem suam naturali necessitate vult. *Ergo* etiam res finitas necessitate naturali vult (*S. Thom.* l. c. obi. 2).

Resp. *Dist. mai.:* Ex suppositione, quod Deus res finitas ut res exsistentes libere vult, eas vult propter bonitatem suam, *conc. mai.,* bonitate sua necessitatus est ad eas ut exsistentes volendas, *nego mai., conc. min., nego cons.*

366. ***Obi. 3.*** Quidquid Deo ita naturale est, ut totaliter habeatur eo ipso, quod natura divina absolute necessaria exsistit, certe est absolute necessarium. *Atqui* velle res finitas ut exsistentes, in Deo eo ipso totaliter habetur, quod natura divina absolute necessaria exsistit. *Ergo* Deus absoluta necessitate vult res finitas ut exsistentes (*S. Thom.* l. c. obi. 3).

Resp. *Dist. mai.:* Si sub omni hypothesi habetur tum secundum entitatem suam tum secundum realem respectum entitatis suae ad terminum ab ipso distinctum, *conc. mai.,* si sub omni hypothesi habetur quidem secundum entitatem suam, non vero secundum realem respectum entitatis suae ad terminum ab ipso distinctum, *nego mai., contrad. min., nego cons.*

Obi. 4. Si Deus res finitas ut exsistentes vera libertate indifferentiae vult, abstractione facta a suppositione actualis voli-

tionis ipsius liberae, potest eas non velle ut exsistentes. *Atqui*, si hoc potest, voluntas eius est contingens, consequenter mutabilis et imperfecta, quod est absurdum. *Ergo* ... (*S. Thom.* l. c. obi. 4).

Resp. *Conc. mai., dist. min.:* ... i. e. res finitae qua termini voluntatis divinae aliter se habent ad eam, quam se habere possent, *conc. min.*, ... i. e. voluntas divina considerata secundum actum internum, quo Deus res finitas vult ut exsistentes (quamquam eodem actu permanente eas potest non velle ut exsistentes), est contingens, *nego min.*

Breviter: Voluntas divina entitative spectata est contingens, *nego min.*, terminative spectata, *subd. min.:* spectata secundum terminum primarium, qui est bonitas divina, *nego min.*, secundum terminum secundarium, qui constituitur rebus finitis, *subd. min.:* ita ut res finitas non necessario velit ut adaequate possibiles secundum omnes modos, quibus possibiles sunt, *nego min.*, ita ut eas non necessario velit ut actu exsistentes, *conc. min., nego cons.*

367. ***Insto.*** Secundum datam distinctionem actualitas immutabilis essentiae divinae, quatenus spectatur sub formalitate voluntatis, sufficit ad actionem volendi exsistentias finitas, simulque statuitur eam actionem ab essentia divina abesse posse. *Atqui* haec duo inter se pugnare videntur; nam actio, quae abesse potest, adesse nequit, quin actualitati essentiae divinae realiter aliquid addat. *Ergo* data distinctio videtur reicienda.

Resp. *Conc. p. 1. mai., dist. p. 2. mai.:* Simulque statuitur eam actionem secundum suum esse subiectivum ab essentia divina abesse posse, *nego mai.*, ... secundum realem habitudinem esse sui subiectivi ad res finitas non quidem qua possibiles, sed qua actu exsistentes abesse posse, *subd. mai.:* quia actualitas immutabilis essentiae divinae per se solam non sufficit ad eam realem habitudinem, quatenus ipsa essentia illa concipitur ut voluntas, *nego mai.*, quia res finitas, quas essentia divina, quatenus est voluntas, necessario vult *ut possibiles*, quatenus est intellectus, necessario intelligit ut non necessario exsistentes et consequenter ut sibi *non necessario volendas qua exsistentes, conc. mai.*, explicatione *mai.* hac distinctione tradita et supposita, *nego min. et rat. add., nego cons.* Sine sui mutatione Deus per immutabilem essentiam suam sub formalitate voluntatis liberae spectatam res finitas qua exsistentes velle potest, quia, quidquid actualitatis ad quodcumque velle Deo dignum requiritur, eo ipso iam habetur, quod actualitas essentiae divinae est vere infinita. Easdem autem

qua exsistentes potest non velle, quia cognoscit eas per se non esse bonas, utpote quae ex se nihil sint.

368. ***Obi. 5.*** Quod est indifferens, ad utrumlibet non agit, nisi ab aliquo alio inclinatur ad unum. *Atqui* secundum thesim Deus est indifferens ad utrumlibet, scl. ad res finitas qua exsistentes volendas et non volendas. *Ergo* eas non vult, nisi quatenus ab aliquo alio ad hoc inclinatur. *Atqui* hoc fieri nequit. *Ergo* thesis est falsa (*S. Thom.* l. c. obi. 5).

Resp. *Dist. mai.:* Quod est *passive* indifferens, *conc. mai.*, quod est *active* indifferens, *nego mai., contrad. min., nego cons. 1., conc. min. subs. et cons. 2.*

Obi. 6. Quidquid Deus scit, ex necessitate scit. *Atqui* sicut scientia eius, ita voluntas est ipsa essentia divina. *Ergo*, quidquid Deus vult, ex necessitate vult (*S. Thom.* l. c. obi. 6).

Resp. *Dist. mai.:* Vel ut mere possibile vel ut actu aliquando exsistens, *conc. mai.*, ut actu aliquando exsistens extra essentiam suam, *subd. mai.:* in hypothesi decreti liberi de eius exsistentia, *conc. mai.*, ea hypothesi non facta, *nego mai., conc. min., nego cons.* — Ad tricas ulteriores evitandas nota hoc, ad quod comparare poteris *S. Thom.*, S. th. 1, q. 14, a. 13, obi. 2 et ad 2: Si antecedens alicuius propositionis condicionalis in ordine logico absolute necessarium est, eius consequens est *qua illatio logica* absolute necessarium, sed non semper *ontologice* sive in ordine reali extra mentem iudicantem. Iam vero in hac propositione condicionali: *„Si Deus scivit has creaturas futuras esse, hae creaturae erunt“*, antecedens non est absolute necessarium nisi in ordine logico, quatenus scl. ex eo, quod ab aeterno hae creaturae revera ut futurae cognoscibiles erant, absoluta necessitate concludendum est Deum ab aeterno eas scivisse ut futuras. Sed Deus ab aeterno ontologice nullo modo necessitabatur ad eas ita sciendas nisi ex suppositione decreti sui liberi. Itaque consequens illud *„hae creaturae erunt“* non est absolute necessarium in ordine reali.

§ 4.

De immutabilitate decretorum divinorum.

Thesis XXXVI.

369. **Decreta Dei sunt immutabilia sive, ut aiunt, Deus est moraliter immutabilis.** (Cf. *S. Thom.*, S. th. 1, q. 19, a. 7.)

St. Q. Deus, quem thes. XIX. demonstravimus esse physice immutabilem, manifesto non mutatur, cum aliquid

eligit. Quo supposito quaeritur, utrum immutabilis in se perseverans quoad totum esse sibi internum mutare possit habitudinem liberam voluntatis suae ad res finitas, ita ut nunc libere decernat hoc, nunc illud; an exercitium libertatis divinae absolvatur uno decreto ab aeterno formato et semper manente; utpote quo omnibus rebus et eventibus ita provisum sit, ut non possit contingere casus, pro quo mutatio decreti aeterni secundum normam sapientiae sit aut desiderabilis aut possibilis. Hoc alterum thesi affirmatur. Possumus autem loqui de pluralitate decretorum divinorum secundum multitudinem obiectorum decreti unius.

370. *Probatur thesis ex physica immutabilitate Dei et summa perfectione intellectus divini.*

Cum voluntas sit boni, duplici modo ens intelligens potest incipere aliquid velle, quod antea noluit:

a) propter mutationem status sui physici, qua fit, ut ei incipiat esse bonum et videri bonum, quod antea ei non fuit bonum neque visum est bonum;

b) propterea quod libere diligentius attendit ad rationem aliquam boni, quam antea non eo modo consideraverat vel etiam prorsus ignoraverat. (Quae attentio libera in homine, qui, *iisdem stantibus adiunctis,* mutat voluntatem suam, aliquando procedit ex honesto desiderio rationi conformiter agendi, aliquando ex ignavia quadam et inconstantia animi, qua fit, ut mentem libere avertat a consideranda ratione boni *veri* actionis sibi secundum rectam rationem eligendae, eamque libere figat in consideranda ratione boni *apparentis* actionis, quam recta ratio suadet ne eligat.) *Atqui* neutro modo Deus potest incipere aliquid velle, quod antea noluit. *Ergo* eius decreta sunt immutabilia.

Prob. min. quoad utramque partem.

a) Qui physice immutabilis est, ei nequit quidquam incipere esse bonum propter mutationem status sui physici. Consequenter ob hanc rationem non potest mutare voluntatem suam. *Atqui* Deus est physice immutabilis (thes. XIX). *Ergo* . . .

b) Deus, cum intellectus eius sit infinite perfectus, nequit ullum obiectum cognoscibile ignorare neque potest successive

inaequaliter ad singula cognoscibilia attendere neque minus ad ullum obiectum attendere, quam requiritur, ut illud perpetuo pro tota sua cognoscibilitate comprehendatur. *Atqui* qui est eiusmodi, evidenter non potest ullam rationem boni ignorare neque ad ullam umquam minus vel magis vel alio modo attendere quam antea. *Ergo* non potest aliud velle quam antea ob diversam considerationem boni eligibilis.

371. ***Obi. 1.*** Secundum Sacram Scripturam (Gen. 6, 7; Ier. 18, 7—10 incl.) Deum aliquando paenitet aliquid voluisse. *Atqui* quem paenitet aliquid voluisse, nunc aliud vult quam antea. *Ergo* . . . (cf. *S. Thom.*, S. th. 1, q. 19, a. 7, obi. 1 et 2).

Resp. *Dist. mai.:* Metaphorice, *conc. mai.*, proprie, *nego mai., contradist. min., nego cons.* Deum alicuius facti a se libere voliti paenitere dicitur, quatenus ab aeterno cum respectu ad hominum merita vel demerita decernit eos post certum tempus, quo bene vel male vixerint, aliter tractare quam antea, et quatenus eo tempore adveniente revera aliter eos tractat. Hoc faciendo Deus quodammodo destruit opus suum pristinum, et ita *secundum effectum suum* spectatus aliqualem similitudinem hominis gerit, quem vere paenitet aliquid egisse. Hic enim, quod ab eo factum est, conatur reddere infectum, quantum potest.

Obi. 2. Qui per solam suam voluntatem effectus suos producit, idque ita, ut nunc producat effectum ei oppositum, quem antea produxit, evidenter mutat voluntatem suam. *Atqui* ita Deus agit, cum v. g. in Nova Lege eadem sacrificia offerri vetat, quae in Lege Vetere praescripsit. *Ergo* . . . (*S. Thom.* l. c. obi. 3).

Resp. *Dist. mai.:* Si non antea statuit diversis temporibus diversos effectus producere, *conc. mai.;* si id antea statuit et dein secundum decretum antea factum constanter agit, *nego mai., dist. min., nego cons.*

372. ***Obi. 3.*** Qui potest aliquid velle et non velle, eius voluntas est mutabilis. *Atqui* ex thesi, qua libertas Dei probata est (thes. XXXV), evidens est Deum posse aliquid velle et non velle. *Ergo* . . . (*S. Thom.* l. c. obi. 4).

Resp. *Dist. mai.:* Si hoc potest quidem, sed non aliter nisi uno decreto aeterno irrevocabili, *nego mai.*, si potest decreto revocabili, *conc. mai., contrad. min., nego cons.*

373. ***Obi. 4.*** Secundum fidem catholicam homo praecepta Dei constanter servans meretur beatitudinem, et homo modo debito orans exauditur. *Atqui* neque unum neque alterum cum im-

mutabilitate decretorum divinorum compatibile est. *Ergo* haec immutabilitas adversatur fidei catholicae.

Prob. min.

a) Aut Deus ab aeterno immutabiliter decrevit me ad beatitudinem admittere aut immutabiliter decrevit me ab ea excludere. *Atqui*, si primum, beatitudinem assequar absque ullo merito; sin alterum, ab ea excludar non obstante merito quocumque. *Ergo* in hypothesi decretorum Dei immutabilium homo praecepta Dei constanter servans beatitudinem non meretur.

b) Aut Deus ab aeterno immutabiliter decrevit mihi concedere, quod precibus assequi conor, aut hoc non decrevit. *Atqui*, si primum, Deus mihi illud concedet quidem, sed non ob preces meas; si alterum, non obstantibus precibus meis illud numquam assequar.

Resp. *Conc. mai., nego min. et cons.; ad prob. min.*

Ad a) *Dist. mai.:* . . . i. e. aut unum aut alterum decrevit sine ullo respectu ad modum, quo tu libere te habiturus es ad praecepta Dei servanda, *nego mai.*, . . . i. e. aut unum aut alterum decrevit cum respectu ad modum, quo tu usurus es libertate tua in observandis praeceptis Dei, *conc. mai., contradist. min., nego cons.*

Ad b) *Dist. mai.:* . . . i. e. sine ullo respectu ad preces tuas futuras aut decrevit tibi concedere, quod precibus obtinere conaris, aut id non decrevit, *nego mai.*, cum respectu ad modum, quo tu libere vel orabis vel orationem negliges, aut unum aut alterum decrevit, *conc. mai., contrad. min., nego cons.*

Responsum nostrum spectat illum agendi modum, quem doctrina revelata discimus a Deo *communiter* servari *respectu eorum, qui rationis usu pollent.* Abstrahendo a privilegiis gratiae specialibus, quale v. g. fuit conversio S. Pauli apostoli, Deus ab aeterno decrevit *et consequenter omni tempore actu vult:* 1. ut omnes homines usu rationis pollentes habeant media salutis aeternae vere sufficientia, quibus salventur, dummodo iis oblatis bona voluntate libere utantur; 2. ut iis, qui gratia orandi iis oblata recte utantur, concedantur quaecumque opus sunt ad praecepta Dei constanter servanda et beatitudinem consequendam. Qui ad haec, quae non solum rationi conformia, sed etiam divinitus certa sunt, bene attendat, facile intelliget decretis aeternis divinis nihil contineri, quod faveat ignaviae, sed ex iis potius petenda esse incitamenta fortissima vitae honestae et studii orationis assidui.

§ 5.

Quomodo libertas divina stet cum immutabilitate Dei.

374. *Praenota.* Quamquam ea, quae de hac quaestione dicenda videntur, in thesibus proxime praecedentibus exponendis et in difficultatibus contra eas allatis solvendis a nobis iam aliquo modo insinuata sunt, tamen utile erit praecipua de hac re notanda per aliqua asserta distinctius declarare (cf. ad haec *S. Thom.,* Contra gent. lib. 1, cap. 76—79 incl. *Suarez,* Disp. met. d. 30, sect. 9).

375. *Assertum 1. Immutabilitatem Dei cum eius libertate non recte componunt, qui dicunt Deum creaturas solum metaphorice libere velle et amare, non vero proprie.*

Opinio hoc asserto reiecta Suarez teste (op. et l. c. n. 4) fuit nonnullorum antiquorum. Eam esse falsam clare patet ex iis, quae diximus thes. XXXIII, p. I, arg. 2, et thes. XXXIV, p. II, arg. 1. Priori enim loco probatum est Deum creaturas *vere velle,* altero autem loco eum creaturas *vere amare.* Itaque falsum est, quod illi antiqui putabant, Deum creaturas *libere velle* nihil aliud significare quam eum *efficere* creaturas, cum eas *possit non efficere.* E contrario cum S. Thoma tenendum est Deum creaturas aliquando actuales ab aeterno velle et amare, licet eas non efficiat ab aeterno (cf. Contra gent. lib. 1, cap. 79; S. th. 1, q. 13, a. 7 ad 3).

376. *Assertum 2. Actus, quo Deus creaturas vere vult et amat, cum immutabilitate eius ab iis non recte componitur, qui dicunt exercitio libertatis suae Deo revera quidem aliquid addi, sed hanc additionem, utpote quae facta sit ab aeterno, non obstare eius immutabilitati.*

Opinio hoc asserto reiecta fuit Caietani, sed iam reprehensa est a Ferrariensi idque rectissime. Eam enim tenere non poteris, quin logice cogaris admittere in Deo esse aliquod accidens. Essentia enim Dei secundum se spectata, prout est active indifferens ad creaturas volendas et non volendas, absoluta necessitate ab aeterno est; actus autem liber, qui secundum Caietani opinionem ab aeterno Dei essentiae vere additur, est *contingens.* Consequenter, ea opinione admissa, Deus ab aeterno ita est, ut eius essentiae aliquid insit, quod ei non inesset, si Deus ab aeterno non decrevisset entia finita creare. Hoc autem additum, licet ipsa essentia

Dei *natura* tantum, non vero *duratione* posterius sit, revera est accidens. „Ille actus liber", ait Suarez (l. c. n. 18), „prout est modus divinae voluntatis, aut est substantia aut accidens; non enim est medium. Non est autem substantia, quia increata esse non potest, cum ab illa distinguatur, neque etiam creata, quia non posset esse intra Deum aut actuare divinam voluntatem. Neque etiam potest esse substantia tamquam modus substantialis increatae substantiae, cum nullo modo ad constitutionem vel complementum substantiae pertineat. Relinquitur ergo, ut sit accidens."

377. *Assertum 3. Rationi non consonat opinio eorum, qui explicationem exercitii libertatis divinae asserto II. reiectam ita temperant, ut dicant id, quod eo exercitio Deo addatur, ita addi, ut ab eius essentia realiter non distinguatur.*

Auctores, quos hoc asserto impugnamus, cum Caietano tenebant quidem Deum eo, quod libere vellet creaturas, in se aliter se habere, quam si eas libere nollet; sed in eo ab eius sententia deviabant, quod illum alium se habendi modum ab essentia realiter non differre dicebant. Quae opinio non solum difficillima intellectu est, sed etiam naturae essentiae divinae repugnat. Ea enim admissa, essentia divina secundum esse sibi vere internum ab aeterno simul esset necessaria et contingens, necessaria secundum se, contingens secundum actum liberum sibi ab aeterno identificatum.

378. *Assertum 4. Exercitium libertatis divinae cum Dei immutabilitate ita componendum est, ut dicamus Deum eodem actu voluntatis, quo se ipsum absoluta necessitate amat, et qui ab eius essentia realiter non distinguitur, creaturas ab aeterno sensu proprio libere velle et amare.*

Secundum hanc sententiam, quam late exponit et defendit Suarez (l. c. n. 29—60), actus liber ab aeterno essentiae Dei nihil addit nisi relationem rationis ad obiectum finitum aliquando in se exsistens. Ex quo patet actum, quo Deus libere amat creaturas, *entitative* non esse liberum, sed solum *terminative*. Entitative enim est absolute necessarius, cum sit ipsa essentia divina, quatenus haec concipitur sub formalitate voluntatis divinae, quae ab ea non realiter, sed ratione tantum distinguitur. Itaque Deus unico actu voluntatis suae et se ipsum amat et entia contingentia vult et

amat secundum sua quaeque tempora. Sed duplex hoc obiectum, se ipsum scl. et entia contingentia, Deus voluntate sua subiective immutabili diversimode complectitur pro modo, quo intellectus divinus utrumque proponit. Nam Deus, sicut intelligit se ipsum esse ens infinite bonum omni amore dignum, ita se ipsum necessario infinite amat. Entia autem a se diversa non necessario, sed libere vult, quia intelligit se ipsum pro sua infinitate sibi esse sufficientem, nihilque esse praeter se, quod amore dignum sit, nisi per suam efficientiam, quam intelligit non necessario applicandam esse, bonitatem atque amabilitatem recipiat. Nihilominus *supposita libera rerum creatione,* Deus *vero* amore amplectitur creaturas ut opera summae suae sapientiae et potentiae et ut similitudines finitas suae infinitae bonitatis. Consequenter ex sua parte etiam ea praestat, quae requiruntur, ut singulis creaturis ea bona obveniant, quae iis pro natura earum debentur. Qua de re plura in tractatu de divina providentia.

379. *Coroll.* Magnum igitur est discrimen inter modum, quo libertas divina, et eum, quo libertas humana exercetur. Nam

1. Amor Dei erga creaturas non est liber quoad esse actus, quo formaliter exsistit qua amor, sed solum quoad terminum exsistentiae actualis creaturarum; amor autem, quo nos libere aliquod obiectum amplectimur, est liber quoad esse actus subiectivi, ad quem in nobis producendum, suppositis supponendis, libere nos determinamus, sed, *stante* certo actu subiectivo amoris, terminatio eius nobis non est libera *formaliter,* sed solum *causaliter* (cf. *Suarez* l. c. n. 41).

Ratio huius discriminis est Dei infinitas actualis et nostrum esse limitatum et perfectibile. Deus, quia est actu infinitus, per naturam suam habet, quidquid actualitatis ad quodcumque exercitium libertatis requiritur. Porro hoc exercitium *ex ipso conceptu suo* non est mutatio, sed nihil significat nisi *ita velle, ut, cum vis, cum pleno actus tui dominio velis.* Quod dominium in nobis habetur respectu certi termini, quatenus habetur respectu actus illum terminum spectantis; in Deo autem infinito non potest haberi nisi respectu termini finiti. Nos igitur, *quia actum liberum in nobis efficimus,* mutamur, non quidem praecise per actum in nobis iam stantem, sed per actum in nobis libere effectum.

Deus autem non mutatur, quia actus infinitus ad omnem amorem ipsi possibilem infinite sufficiens aeque immutabiliter stat atque natura divina, quacum realiter identificatur. — Inde facile alia discrimina fluunt.

2. Voluntas humana prius est in potentia remota et non completa ad se ipsam libere determinandam, quam est in potentia proxima et perfecte expedita; Deus ab aeterno per naturam suam perfecte expeditus est ad libere volendum.

3. Voluntate libera homo multa obiecta non potest ita simul actu amplecti, ut de singulis distincte cogitet; Deus autem uno actu aeterno voluntatis suae multa eaque opposita vult pro diversis temporibus et rerum adiunctis cum distinctissima cognitione singulorum.

§ 6.

De sanctitate voluntatis divinae.

Thesis XXXVII.

380. **Sanctitas, prout est moralis voluntatis perfectio, in Deo verissima est et absoluta.** (Cf. *Lessius*, De divinis perfectionibus lib. 8.)

St. Q. Nomen sancti saepe adhibetur ad aliquid significandum, quod propter specialem dignitatem ei propriam cum inviolabili quadam reverentia tractandum est. Quo sensu persona regis dicitur sacrosancta, et homines atque res Dei cultui specialiter dicati simili appellatione distinguuntur. Quodsi nomen sancti hac significatione acceptum consideras, prout significat *aliquid propter dignitatem suam speciali reverentia habendum,* certe Deus dicendus est sanctissimus. Sed de sanctitate ita intellecta hoc loco non agitur. Quaestio enim nobis est de ea sanctitate, quae est perfectio moralis voluntatis. Haec secundum communem usum loquendi tria involvit: a) immunitatem a labe peccati; b) constantiam in bono rationis prosequendo; c) perfectam cum voluntate divina conformitatem. Quae tria ad unum reduci possunt, scl. ad constantem perfectamque voluntatis cum lege aeterna Dei consensum. Videri quidem possit conceptus sanctitatis hoc modo declaratus necessario implicare agni-

tionem alicuius superioris et consequenter dependentiam et limitationem in eo, qui dicitur sanctus. Quod si ita esset, Deus non *proprie,* sed *metaphorice* tantum dici posset sanctus. At res non ita se habet. Nam, *si abstrahimus a modo, quo conformitas voluntatis cum lege aeterna creaturae rationali inest,* ea conformitas secundum se considerata significat: perfecte et constanter velle, quod summae sapientiae ab aeterno placuit. Quibus praestitutis

381. *Probatur thesis ex conceptu sanctitatis.*

Voluntas, cuius actus perfecte conformis est ordini, quem summa sapientia approbat, perfecte sancta est; porro voluntas, quae ex pluribus ordinibus rerum summae sapientiae conformibus unum libere eligit, nullo alicuius auctoritatis sibi superioris mota imperio, est *absolute* sancta, siquidem eius sanctitas nullam connotat ab aliquo superiore dependentiam. *Atqui* talis est voluntas Dei. *Ergo* haec voluntas est perfecte et absolute sancta.

Prob. min. p. partes.

a) Voluntas divina numquam aliter agere potest, quam sapientia divina agendum esse videt, quia cum hac realiter identificatur.

b) Voluntas divina praesentem rerum ordinem ex infinitis possibilibus liberrime eligit (cf. thes. XXXV. et infra thes. LI. de optimismo) nullo autoritatis sibi externae imperio mota, cum sit voluntas Domini unici, supremi.

Nota. Obiectiones, quae contra hanc thesim ex permissione malorum moralium fieri possunt, partim iam solutae sunt ad thes. XXII., partim solventur ad thes. LIII.

§ 7.

De affectibus voluntatis divinae.

382. *Praenota.* Numero undenario passionum appetitus sensitivi undecim correspondent affectus voluntatis rationalis humanae, qui sunt: amor, odium, gaudium, tristitia, desiderium, fuga (horror), spes, desperatio, audacia, timor, denique ira. Iam quaeritur, quorum affectuum nomina de Deo proprie praedicanda sint. Ad quam quaestionem breviter respondemus per haec asserta:

383. *Assertum 1. In Deo proprie est amor.* Id clarissime patet ex thes. XXXIV (cf. *S. Thom.,* S. th. 1, q. 20).

Assertum 2. In Deo non est sensu proprio odium inimicitiae strictissime acceptum, prout intelligitur affectus, quo quis alicui personae vult malum sub ratione mali (cf. *S. Thom.*, Contra gent. lib. 1, cap. 96). Metaphorice autem Deus dicitur aliqua odio habere (odio abominationis quod dicitur) idque dupliciter:

a) ut significetur eum aliqua nullo modo approbare neque positive velle. Hoc sensu dicimus Deum odisse peccatum;

b) ut significetur Deum ad ordinem iustitiae servandum velle, ut aliqui pro peccatis suis puniantur. Ita Deus dicitur odisse peccatores in peccato morientes (cf. *S. Thom.* l. c. § „Dicitur autem Deus etc.").

384. *Assertum 3. In Deo maxime proprie est gaudium.* Etenim gaudium qua delectatio spiritualis est quietatio quaedam voluntatis in obiecto suo. Deus autem in se ipso, qui est obiectum voluntatis suae principale, maxime quietatur; utpote in se omnem sufficientiam habens (cf. *S. Thom.*, Contra gent. lib. 1, cap. 90, § „Item, Gaudium etc.").

Assertum 4. Tristitia in Deo esse nequit. Est enim tristitia de malo, quod quis invitus patitur, sive de privatione boni convenientis. Deus autem, cum natura sua summus dominus summumque bonum sit, neque invitus aliquid pati neque bono aliquo sibi convenienti privari potest. Itaque, sicut Deus merito quidem dicitur in bonis nostris sibi placere, non vero ex iis novam aliquam voluptatem capere, ita mala nostra moralia ei displicent, sed non contristant. Ex eo autem, quod nulla tristitia Deo sensu proprio convenire potest, facile patet cum nullius facti proprie *paenitere* neque alicui *invidere* posse ullum bonum. Praeterea paenitentia etiam propterea Deo proprie inesse nequit, quia mutationem voluntatis importat, et invidia etiam ob hanc rationem ab eo aliena est, quod fieri nequit, ut Deus bonum alterius tamquam sibi malum accipiat (cf. *S. Thom.*, Contra gent. lib. 1, cap. 89, §§ „Omnis enim passio etc.", „Item, Paenitentia etc.", „Praeterea, Absque etc.").

385. *Assertum 5. Desiderium et fuga (horror) strictissime accepta in Deo non sunt.* Nam desiderium non est nisi boni, quod non habetur, fuga autem mali, quod advenire potest. Quare neuter affectus potest esse in Deo, bono infinito et im-

mutabili *saltem respectu sui ipsius.* „At nihil obstat", ait Kleutgen, „quominus uterque affectus ei *proprie* attribuatur *respectu nostri.* Neque enim horum affectuum essentia in animi commotione, quam in nobis experimur, sita est; sed desiderium per se est nihil aliud quam *velle sive aliis sive nobis bonum, quod haberi potest, sed nondum habetur;* nec ad rationem fugae aliud pertinet quam *voluntate averti a malo, quod nobis vel aliis accidere potest.* Atqui Deus vult omnes salvos fieri, neminem autem perire. Respectu igitur nostri invenitur in eo, et quod desiderii et quod fugae ratio postulat" (Inst. theol. I, n. 584).

Assertum 6. Spes et desperatio in Deo proprie esse nequeunt. Uterque enim affectus spectat bonum difficulter consequendum. Deo autem nihil difficile est (cf. *S. Thom.,* Contra gent. lib. 1, cap. 89, § „Adhuc, Ratio").

Assertum 7. Neque audacia neque timor in Deo proprie sunt, quia ipsi nihil periculosum est (cf. *S. Thom.* l. c. § „Amplius, Sicut").

Assertum 8. Deus sensu proprio non irascitur. „Ira", inquit S. Thomas, „a Deo longe est secundum rationem suae speciei, non solum, quia affectus tristitiae est, sed etiam, quia est *appetitus vindictae propter tristitiam ex iniuria conceptam*" [scl. ira sensu strictissimo accepta] (l. c. sub fin.).

386. *Assertum 9. Nomina affectuum, quae secundum speciem suam divinae perfectioni repugnant, Deo per metaphoram aliquando apte tribuuntur.* S. Thomas (Contra gent. lib. 1, cap. 91, § „Sciendum tamen") duplicem affert rationem, ob quam id apte fieri possit:

a) propter similitudinem, inter effectus ex pura perfectione aliqua divina procedentes et effectus, quos homo producit aliqua illarum affectionum motus. Ita, ut alibi iam explicavimus, Deus dicitur irasci, paenitentiam agere;

b) propter similitudinem, quae est inter principia affectionum illarum humanarum et affectiones amoris et gaudii Deo proprias. Ita dicitur Deus *tristari de hominibus, qui sua culpa in interitum ruunt, quia eos vere amat et sub condicione liberae eorum cooperationis vere eos vult salvare.* Similiter dicitur *ridere sive gaudere in interitu impiorum,* non quod miseria

eorum finalis *qua talis* ei placeat, sed *quia ei placet, ut finaliter iustitia sua in iis puniendis manifestetur, qui tempore probationis durante resistunt benevolae misericordiae ipsius.*

387. *Nota.* Sicut distinguendum est inter affectiones voluntatis divinae proprie et metaphorice dictas, ita distinguendum est inter voluntatem Dei proprie et metaphorice acceptam. Nam „praeceptum divinum quandoque metaphorice voluntas Dei dicitur", quae voluntas, prout opponitur voluntati Dei proprie dictae, dicitur *voluntas signi,* cum voluntas Dei proprie dicta vocetur *voluntas beneplaciti.* Ita *S. Thomas,* S. th. 1, q. 19, a. 11.

§ 8.

De virtutibus Dei (coroll. ad doctrinam de intellectu et voluntate Dei traditam).

388. Sicut non omnia nomina affectionum, ita non omnia nomina virtutum, quas in hominibus observamus, Deo proprie tribui possunt; sed ea solum, quorum significatum non includit imperfectionem. Qua de re haec notanda videntur:

Assertum 1. Virtus in genere spectata sive intellectualis sive moralis de Deo proprie praedicari non potest, prout intelligitur ***habitus bonus,*** *sed solum qua* ***actus bonus permanens*** *ab essentia eius realiter non distinctus.* Id facillime intelligitur ex summa Dei simplicitate et pura eius actualitate (cf. *S. Thom.,* Contra gent. lib. 1, cap. 92).

Assertum 2. Nulla virtus de Deo proprie praedicari potest, in cuius essentia abstracte concepta lateat aliqua imperfectio. Quare de Deo sensu proprio praedicari non possunt eae virtutes, quibus regitur usus bonorum corporalium (v. g. parsimonia) vel politica conversatio (v. g. reverentia et obocdientia ergo superiores) neque eae, quibus moderantur passiones (v. g. temperantia, mansuetudo, fortitudo) [cf. *S. Thom.* l. c. § „Cum autem etc."].

389. *Assertum 3. Ex virtutibus vitae activae de Deo plures dicuntur sensu proprio:*

a) *ars et prudentia.* Etenim ars est ratio rei fiendae in mente facientis, et prudentia est cognitio ordinans voluntatem ad agendum; unde facile patet utramque hanc virtutem Deo proprie convenire ratione infinitae sapientiae ipsius

(cf. *S. Thom.*, Contra gent. lib. 1, cap. 93, § „Amplius, Eorum etc.“).

b) *Iustitia* ea scl., quae dicitur *distributiva,* vi cuius superior aliquis inferiores suos bonis afficit vel bonis privat, prout quantitati dignitatis naturalis et quantitati meritorum uniuscuiusque convenit. Deum hoc modo agere quoad creaturas ipsi subiectas facile patet. Intellectu enim suo infinito perfecte cognoscit, quid quantitati dignitatis naturalis et meritorum uniuscuiusque conveniat. Porro, licet inter plura, quae cum ea quantitate quadrant, libere eligat, tamen fieri nequit, ut aliquid eligat, quod cum ea quantitate sapienter componi nequeat; Deus enim realiter idem est cum sua sapientia et consequenter regulam eius relinquere nequit (cf. *S. Thom.*, S. th. 1, q. 21, a. 1, c.).

Iustitia autem *commutativa* Deo proprie non convenit, utpote qui nulli possit esse debitor (cf. *S. Thom.* l. c.).

c) *Liberalitas.* A virtute enim liberalitatis appellatur liberalis, qui bona sua, nullum sibi emolumentum quaerens aut sperans, propter ipsam bonitatem et convenientiam dationis communicat. Hoc autem Deo maxime proprium est; ipse enim „non vult alicui suam bonitatem communicare ad hoc, ut sibi exinde aliquid accrescat, sed quia ipsum communicare est sibi conveniens sicut fonti bonitatis“ (cf. *S. Thom.*, Contra gent. lib. 1, cap. 93, § „Amplius, Sicut“).

d) *Misericordia* in Deo proprie est, quatenus intelligitur amor et benevolentia, qua quis servata regula summae sapientiae inducitur ad miseriam eorum tollendam, quos amat (cf. *S. Thom.*, S. th. 1, q. 21, a. 3).

e) *Veritas sive Veracitas.* De hac dicemus infra thes. XL.

Notandum autem est, quod S. Thomas de omnibus his virtutibus dicit: „*Sunt praedictae virtutes in Deo universalioris extensionis quam in homine; nam sicut iustitia hominis se habet ad civitatem vel domum, ita iustitia Dei se habet ad totum universum*“ (*S. Thom.*, Contra gent. lib. 1, cap. 93 sub fin.).

390. *Assertum 4. In Deo proprie sunt virtutes vitae contemplativae: sapientia, scientia, intellectus* (cf. *S. Thom.*, Contra gent. lib. 1, cap. 94). Etenim

a) *Sapientia* est altissimarum causarum cognitio; ipse

autem Deus se, qui est prima omnium causa, adaequate comprehendit.

b) *Scientia* est rei cognitio per propriam causam; Deus autem omnium causarum et effectuum ordinem perspiciens non potest ignorare singularum rerum proprias causas.

c) *Intellectus* ***qua virtus*** est immaterialis cognitio intelligibilium absque discursu; Deus autem uno intuitu spirituali omnia cognoscibilia penetrat.

Art. 3.

De vita Dei beatissima.

Thesis XXXVIII.

391. **Deus vere et proprie ita vivit, ut sui cognitione et dilectione sit infinite beatus.**

St. Q. Ut in Philosophia naturali huius *Cursus* explicatum est, ex communi usu loquendi ea entia mundana vivere dicuntur, quae in statu sibi connaturali versantes se ipsa movent, prout *se movere* significat se sua actione perficere sive immanenter agere, idque vel ita ut actio maneat in eadem facultate entis agentis, qua hoc agere dicitur (ut v. g. cognitio), vel ita, ut maneat in eodem supposito, cuius est facultas, qua ens agens agit (ut v. g. nutritio). Ibidem etiam ostensum est in hoc mundo esse tres vitas essentialiter diversas, vitam vegetativam, sensitivam, intellectualem (cf. *Haan,* Phil. natur. n. 127 sqq.).

Facile patet Deo non posse convenire vitam vegetativam neque vitam sensitivam. Neque minus evidens est in Deo non esse vitam intellectualem in actu primo tantum sicut in nobis, antequam actu aliquid intelligamus.

392. Quaeritur autem hoc loco, num excellentia illa, qua viventia mundana omnia a non viventibus separantur, ita abstracte concipi possit, ut Deo proprie convenire dicenda sit. Hoc est, quod parte I. theseos affirmamus. Contra quam *prima facie* videri possit haec insuperabilis stare difficultas, quod operatio qua ens aliquod se vere perficiat et consequenter vere immanenter agat, necessario involvat aliquam mutationem ipsius et consequenter de Deo non *formaliter* et

proprie, sed *eminenter tantum* et *metaphorice* dici possit. Quae difficultas ut removeatur, distinguere oportet inter operationem immanentem intellectus et voluntatis humanae in *fieri* et *in facto esse.* In nobis intellectiones vi intellectus agentis vere efficiuntur, et voluntas nostra vere mutatur, cum de potentia volendi ad actualem volitionem procedit. Sed intellectiones et volitiones nostrae *iam effectae* ***per se*** *non sunt actiones efficientes, sed actiones generis omnino alius, quae versentur quidem circa aliquem terminum, sed non ut terminum efficiendum;* id quod neminem latere potest, qui scit, quid agat, cum actu aliquid intellectualiter *contemplatur* vel *actu perseverat in volitione alicuius obiecti.* Attende igitur ad hoc simulque considera in conceptu facultatis immanenter agendi, qui est conceptus vitae in genere spectatae, latere conceptum vitae magis abstractum, quo aeque vere distinguuntur omnia viventia huius mundi a non viventibus; qui conceptus est: *habere sua operatione suam perfectionem aliquo saltem modo.* Quibus bene perspectis argumentum partis I. facile capies.

Parte II. contendimus vitam Dei esse infinite beatam, aliis verbis: Deum in se ut bono infinito per intellectum suum possesso et comprehenso voluntatis delectatione spirituali omnem mensuram excedente perfecte quiescere.

393. Pars I. Deus vere et proprie vivit.

Excellentia viventibus prae non viventibus propria abstracte concepta in eo est, quod omne ens vivens connaturaliter exsistens saltem aliquatenus sua operatione habeat perfectionem suam, cum omne ens inanimatum perfectionem suam totaliter debeat actioni alienae. *Atqui* Deus sua actione non solum aliquatenus, sed totaliter habet perfectionem suam, cum sit realiter idem atque suum intelligere et suum velle. *Ergo* vere et proprie vivit.

394. Pars II. Deus est infinite beatus sui cognitione et dilectione.

Arg. 1. (Ex eo, quod Deus omne verum cognoscit.) Beatitudo, cum sit bonum perfectum naturae intellectualis, consistit in veritatis cognitione gaudioque, quod ex ea cognitione resultat. *Atqui* Deus se ipsum cognoscens omne verum

infinite perfecte cognoscit et consequenter infinite perfecte gaudet in se ut in fonte omnis veritatis. *Ergo* . . .

Arg. 2. (Ex eo, quod Deus est bonum infinitum.) Deus sua essentia fruitur (thes. XXXIV), quae est bonum infinitum. Porro ea fruitio, cum cognitione et amore infinito constituatur, est infinite perfecta. *Atqui* fruitio infinite perfecta boni infiniti est beatitudo infinite perfecta. *Ergo* Deus est infinite beatus sui cognitione et amore. Potest haec infinita Dei beatitudo amplius illustrari ostendendo ea contineri omnia, quae homines desiderare solent, modo eminenti (cf. de hac re *S. Thom.*, S. th. 1, q. 26, a. 4, c. et Contra gent. lib. 1, cap. 102, § „Amplius, Perfectio").

Coroll. Deus est sua vita et sua beatitudo. Utrumque facillime infertur ex identitate intellectionis et volitionis divinae cum esse divino a se exsistente (cf. *S. Thom.*, Contra gent. lib. 1, cap. 98, § „Item, suum vivere" et ib. cap. 101, § „Beatitudo enim").

Nota. Difficultates iis, quae in **St. Q.** dicta sunt, intellectis facile solvuntur (cf. *S. Thom.*, S. th. 1, q. 18, a. 3 et 1, q. 26, a. 1).

Art. 4.

De Dei omnipotentia. (Cf. *S. Thom.*, S. th. 1, q. 25.)

Thesis XXXIX.

395. In Deo est potentia infinita ad omnia intrinsecus possibilia se extendens, unde Deus recte dicitur omnipotens.

St. Q. Non loquimur de aliqua potentia passiva, vi cuius Deus actus vel accidentales vel substantiales recipere possit, sed de potentia, quae est pure activa et *qua talis,* ut ait S. Thomas, „non dividitur contra actum, sed in eo fundatur; nam unumquodque agit, secundum quod *est* in actu" (S. th. 1, q. 25, a. 1 ad 1), consequenter non secundum quod *fit* in actu. Potest autem potentia pure activa definiri *principium efficienter agendi in aliud.*

Thesis duas continet partes. Parte I. asserimus Dei potentiam vere esse infinitam; parte II. eam recte dici omnipotentiam.

396. Pars I. Potentia Dei est infinita.

Si potentia Dei esset finita, alia potentia cogitari posset, quae esset maior ipsa. *Atqui* hoc sibi repugnat. Quidquid enim in Deo est, realiter est idem atque essentia eius simplicissima, quae est infinita (thes. XV).

Pars II. Infinita potentia Dei recte dicitur omnipotentia.

Ea potentia recte dicitur omnipotentia, qua effici potest omne esse intrinsecus possibile. *Atqui* potentia infinita Dei omne esse intrinsecus possibile effici potest, quia secus non esset infinita. Ergo recte dicitur omnipotentia.

Prob. mai. Ut aliqua potentia recte dicatur omnipotentia, requiritur et sufficit, ut terminum habere possit, quidquid revera ut *aliquid sub ratione entis cadens* intelligibile est. *Atqui* eiusmodi non est nisi esse intrinsecus possibile; „id enim, quod contradictionem implicat, verbum esse non potest, quia nullus intellectus potest illud concipere“ (*S. Thom.*, S. th. 1, q. 25, a. 3, c. fin.). *Ergo* . . .

397. ***Obi. 1.*** Ens infinitum est intrinsecus possibile. *Atqui* Deus efficere non potest ens infinitum. *Ergo* non recte dicitur omnipotens.

Resp. *Dist. mai.:* Ens infinitum a se exsistens, *conc. mai.*, ens infinitum creabile, *nego mai., conc. min., nego cons.*

Obi. 2. Si Deus efficere potest, quidquid intrinsecus possibile est, potentiam suam exhaurire potest. *Atqui* potentia infinita exhauriri nequit. *Ergo* Deus non potest efficere, quidquid intrinsecus possibile est. *Atqui,* si hoc non potest, non recte dicitur omnipotens. *Ergo* non recte dicitur omnipotens.

Prob. mai. Si Deus efficere potest, quidquid intrinsecus possibile est, velle potest, ut omnia entia intrinsecus possibilia hic et nunc sint actualia. *Atqui* hoc supposito manifesto potentiam suam exhaurire potest, quia tot simul efficere potest actualia, quot sunt intrinsecus possibilia. *Ergo* . . .

Resp. *Nego mai., conc. min., nego cons. 1., conc. min. subs., nego cons. 2. Ad prob. mai. dist. mai.:* . . . omnia *hic et nunc* intrinsecus possibilia, *conc. mai.:* . . . omnia *pro alio tempore* intrinsecus possibilia, *nego mai., contrad. min., nego cons.*

Insto. Secundum datam distinctionem interna rerum possibilitas pendet ab aliquo tempore. *Atqui* nequit ab ullo tempore pendere. *Ergo* data distinctio est falsa.

Prob. min. Quod ab aeterno in Deo fundatur, non pendet ab aliquo tempore. *Atqui* interna rerum possibilitas ab aeterno in Deo fundatur. *Ergo.*

Resp. *Dist. mai.:* Omnis interna rerum possibilitas, *nego mai.,* aliqua interna rerum possibilitas, *subd. mai.:* . . . pendet a tempore aliquo ut a fundamento suo, *nego mai.,* essentialiter respectum habet ad aliquod tempus, quocum (sicut cum omni tempore et cum omni duratione contingenti possibili) in essentia Dei fundatur, *conc. mai., contrad. min., nego cons.*

Ad prob. min. dist. mai.: . . . ut a fundamento suo, *conc. mai.,* . . . ut a correlato suo, quocum in essentia Dei fundetur, *nego mai., conc. min., nego cons.*

Ut videas, num aliquid hic et nunc vere intrinsecus possibile sit, non solum considerare debes, utrum secundum se seorsim consideratum involvat repugnantiam necne, sed etiam, utrum conceptus eius obiectivus totalis aliquid contineat, quod conceptui obiectivi temporis praesentis repugnet necne. Quare optime Aquinas: *„Aliqua . . olim habuerunt rationem possibilium, dum erant fienda, quae iam deficiunt a ratione possibilium, dum sunt facta“* (S. th. 1, q. 25, a. 4 ad 2. Cf. totum articulum).

398. ***Obi. 3.*** Plura sunt entia intrinsecus possibilia quam entia contingentia aliquando actualia. *Atqui* Deus non potest ea efficere, quae numquam sunt actualia. *Ergo* non potest omnia entia intrinsecus possibilia efficere.

Resp. *Conc. mai., dist. min.:* i. e. ea absolute non posset efficere, si ab aeterno non aliter decrevisset, *nego min.,* i. e. ex supposito, quod ab aeterno libere decrevit ea non efficere, ea efficere non potest, *conc. min., nego cons.* Cf. infra Schol. II. et *S. Thom.,* S. th. 1, q. 25, a. 5 per totum.

Obi. 4. Spiritum in se efficere ideam est res intrinsecus possibilis. *Atqui* Deus est spiritus neque tamen id potest. *Ergo* non potest efficere, quidquid intrinsecus possibile est.

Resp. *Dist. mai.:* . . . ideam, quae ei iam inesse supponitur, *nego mai.,* secus, *conc. mai.,* vel melius: spiritum, cui non omnes ideae sunt essentialiter propriae, *conc. mai.,* secus, *nego mai., contrad. p. 1. min., conc. p. 2. min., nego cons.* Vide similem difficultatem apud *S. Thom.,* S. th. 1, q. 25, a. 3, obi. 1.

399. ***Obi. 5.*** Deus non potest mentiri. *Atqui* mentiri est intrinsecus possibile. *Ergo* Deus non potest facere, quidquid intrinsecus possibile est.

Resp. *Conc. mai., dist. min.:* ... ut species alicuius defectus moralis actioni physicae per abusum libertatis arbitrii entis agentis coniuncta, *conc. min.*, ut pura realitas positiva, *nego min.*, *dist. pariter cons.*

Mendacium secundum malitiam suam formalem spectatum non est actus, sed privatio recti ordinis inter actum intellectus eiusque signum abusu arbitrii liberi causata. Itaque *qua mendacium formale* non debetur alicui efficientiae, sed deficientiae libere admissae (cf. *S. Thom.* l. c. obi. 2 et ad 2). Mendacium non eo praecise committitur, quod quis profert verba a mente sua aliena, sed eo, quod ea proferre conatur tum, cum animadvertit talibus verbis proferendis se laedere ordinem, quem recta ratio dictat servandum esse inter iudicia mentalia et externas eorum manifestationes. Malitia mendacii consistit in volitione libera hunc ordinem non servandi, quae volitio manifesto non est vis activa aliquam realitatem positivam efficiendi.

400. *Schol. I. De ratione formali potentiae Dei.* „Potentia", inquit Aquinas, „in rebus creatis non solum est principium actionis, sed etiam principium effectus. Sic igitur in Deo salvatur ratio potentiae quantum ad hoc, quod est principium effectus, non autem quantum ad hoc, quod est principium actionis, quae est divina essentia" (S. th. 1, q. 25, a. 1 ad 3). Aliis verbis: creatura effective agere potest tum in se ipsa, ut ipsa evadat apta et expedita ad certum effectum extra se producendum, tum ad ipsam productionem alicuius certi effectus sibi externi. Deus autem non potest effective agere nisi ad effectum aliquem sibi externum producendum, quia per essentiam suam est esse infinitum simulque actio infinite perfecta ad productionem effectus cuiuslibet externi sufficiens, *licet per essentiam suam non sit actio effectum necessario producens.*

Sed quid est illud principium effectus in Deo formaliter? Ad hoc videtur esse respondendum: Ratio formalis potentiae Dei est voluntas Dei, quatenus haec per se ipsam est principium effectivum eorum, quae intellectu divino cognoscuntur esse intrinsecus effectibilia et consequenter voluntati divinae eligibilia ut res efficiendae. Hanc explicationem rationis formalis potentiae divinae S. Thomas proponit his verbis: „Ipsa scientia vel voluntas divina, secundum quod est principium effectivum, habet rationem potentiae" (S. th. 1, q. 25, a. 1 ad 4; cf. *ibid.* q. 19,

a. 4, c, § „Tertio", ubi inter alia haec habet: „Cum esse divinum sit ipsum eius intelligere, praeexsistunt in eo effectus eius secundum modum intelligibilem et per modum intelligibilem procedunt ab eo, et sic per consequens per modum voluntatis." Qui locus etiam utilis nobis erit ad melius intelligendum, quomodo Deus immediate nobiscum ad agendum concurrat.

401. *Schol. II. De potentia Dei absoluta et ordinata.*

Divisio potentiae Dei in absolutam et ordinatam non ab omnibus doctoribus eodem modo explicatur.

1. S. Thomas, Scotus, alii potentiam Dei dicunt absolutam, quatenus haec secundum se consideratur; ordinatam, quatenus ad decreta divina comparatur. Ita v. g. Deus potentia absoluta a morte nos praeservare potest, potentia autem ordinata non potest (cf. *S. Thom.*, S. th. 1, q. 25, a. 5 ad 1. Haec explicatio optima videtur.

2. Sunt qui dicant Deum miraculose operari potentia absoluta, ordinata vero potentia, quando se accommodet ordini communi naturae et gratiae. In quem modum loquendi Kleutgen recte animadvertit potentiam, quae in hac explicatione dicatur ordinata, rectius dici ordinariam; etenim operationes miraculosae Dei non minus per eius decreta aeterna ordinatae sunt quam communes eius operationes.

3. Alii ordinatam Dei potentiam dicunt, quatenus sapientiae, iustitiae ceterisque attributis divinis coniuncta et per eas quodammodo moderata est; absolutam, quatenus per se solam operatur. Quae explicatio minus placet. Ea enim supposita proprie nihil est, quod Deus possit potentia absoluta *tantum*. Nam, ut scite observat S. Thomas, „nihil *potest* esse *in potentia divina,* quod non possit esse in voluntate iusta ipsius et intellectu sapienti eius" (S. th. 1, q. 25, a. 5 ad 1). Aliis verbis: Id, quod ulli attributo divino *simpliciter* (i. e. non ex supposito decreto divino tantum) repugnat, *adaequate inspectum* non potest esse realitas positiva intrinsecus possibilis.

Caput V.

De attributis respectus ideales esse divinum consequentes exprimentibus sive de attributis Dei idealibus.

Praenota. Hoc loco considerabimus a) ea attributa, quibus Deus describitur ut Ens summe aptum ad intellectum quietandum et voluntatem delectandam, quae sunt: veritas, bonitas, pulchritudo eius; b) ea attributa, quibus Deus describitur ut Ens captum omnis creaturae intellectualis excedens, quae sunt: invisibilitas, incomprehensibilitas, ineffabilitas eius.

Art. 1.

De divina veritate.

Thesis XL.

402. **Deus non solum est prima veritas essentialis et prima veritas intellectualis, sed etiam prima veritas moralis, ita ut sit summe verax et fidelis.** (Cf. *S. Thom.*, S. th. 1, q. 16.)

St. Q. Veritas intellectualis (logica, formalis) est adaequatio intellectus cum re; veritas autem essentialis (interna, obiectiva, metaphysica) dicitur de rebus cum respectu ad intellectum, quatenus correspondent ideae, secundum quam factae sunt, et quatenus sunt aptae ad veram sui notitiam in intellectu generandam. Veritas denique moralis cernitur in verbis et factis, eaque duas complectitur virtutes: veracitatem et fidelitatem. Verax est, qui non deliberate contra mentem loquitur sive mentitur; fidelis est, qui ea, quae promisit, praestat et, quae minatus est, exsequitur sub iis condicionibus sub quibus ea rationi conformiter vel promisit vel minatus est, dummodo utrumque sine defectu morali facere possit.

403. **Pars I. Deus est prima veritas essentialis.**

Ea res est prima veritas essentialis, quae primum intellectum determinat ad intelligendum. *Atqui* haec res est essentia divina; ipsa enim intellectum divinum et subiective et obiective determinat ad intelligendum; subiective qua species intelligibilis eius, obiective qua exemplar eminens omnis realitatis possibilis praeter Deum. *Ergo* essentia divina sive Deus est prima veritas essentialis.

404. Pars II. Deus est prima veritas intellectualis.

Ens, cuius essentia est veritas intellectualis infinite perfecta et causa omnis veritatis intellectualis praeter ipsum aliquando exsistentis, recte dicitur prima veritas intellectualis. *Atqui* Deus est huiusmodi ens. *Ergo* . . .

Prob. min. p. partes.

1. Deus est suum intelligere infinite perfectum. *Atqui* omne intelligere, *quatenus vere est intelligere,* rationem veritatis intellectualis continet. *Ergo* Deus est veritas intellectualis infinite perfecta; ut ita loquar, Deus est per essentiam suam veritas formalis in se subsistens, omnem veritatem obiectivam exprimens.

2. Deus, cum sit ipsum intelligere in se subsistens, vi essentiae suae ita se habet, ut non possit esse ens intelligens praeter ipsum neque actus intelligendi, cuius ipse non sit causa prima; aliis verbis: Deus est causa prima omnium actuum intelligendi *qua talium,* i. e. quatenus sunt expressiones veritatis obiectivae. *Atqui* hoc ipso manifesto est causa omnis veritatis intellectualis, quae praeter ipsum umquam invenitur. *Ergo* id concedendum est.

405. Pars III. Deus est prima veritas moralis.

Ens per ipsam essentiam suam summe verax et summe fidele est prima veritas moralis. *Atqui* Deus est illud ens. *Ergo* . . .

Prob. min. p. partes.

1. Deus est summe verax.

Arg. 1. (Ex inordinatione mendacii.) Verbum externum latius acceptum, i. e. manifestatio sui ad entia intellectualia alia ab ente aliquo intelligente *qua tali* procedens, natura sua et consequenter secundum dictamen rectae rationis est signum verbi interni sive conceptus resp. iudicii mentalis eius, qui verbum edit; neque in ullum finem rationi conformiter edi potest, nisi servetur dictamen rectae rationis, verbum internum omni verbo externo *aliqualiter* vere esse significandum. *Ergo* verbis externis *adaequate inspectis* aliud significare, quam mente tenes, est contra ordinem rectae rationis, consequenter contra ordinem summae sapientiae. *Atqui* Deus, cum sit sanctitas absoluta (thes. XXXVII), ab hoc ordine deviare nequit.

Ergo Deus, si loquitur, mentem suam vere manifestat, aliis verbis: est verax. *Atqui* haec perfectio sicut ceterae modo infinite perfecto ei propria est vi ipsius esse divini infiniti. *Ergo* Deus est *summe* verax.

406. *Arg. 2. (Ex eo, quod Deus per voluntatem suam necessario manifestat intellectum suum.)*

Mendacium formale numquam profertur, nisi quatenus ens aliquod intelligens volitione sua actuali sibi imperat actum manifestationis ad entia alia intelligentia, quo iis significetur aliquid ut iudicio ipsius intellectuali conforme, quod revera ei non est conforme. *Atqui* eiusmodi volitio actualis esse nequit nisi in ente, cuius volitio non identificatur cum eius intellectione. *Ergo* ens, quod per simplicissimam suam essentiam est suum intelligere et suum velle, non potest formaliter mentiri, sed essentialiter est summe verax. *Atqui* Deus est eiusmodi ens. *Ergo* Deus est summe verax.

407. 2. Deus est summe fidelis.

Qui rationi conformiter semper praestat, quod promisit, et semper exsequitur, quod minatus est, sub iis condicionibus, sub quibus aliquid vel promittit vel minatur, est summe fidelis. *Atqui* Deus semper ita agit. *Ergo* Deus est summe fidelis.

Prob. min. Deus eo ipso, quod veracitas summa ei propria est, tum, cum aliquid se facturum esse pronuntiat, voluntatem id faciendi vere habet. *Atqui* voluntas eius non solum entitative, sed etiam quoad decreta sua obiectiva est immutabilis (thes. XXXVI). *Ergo,* quantum per sapientiam licet et quantum per potentiam fieri potest, Deus faciet, quod se facturum esse edixit. *Atqui,* cum nihil promittat neque minetur nisi summe sapienter, et cum potentia exsequendi polleat infinita, contingere nequit, ut vel dictamine sapientiae vel defectu potentiae umquam prohibeatur, quin faciat, quod se facturum esse praedixit. *Ergo* id semper exsequitur.

Coroll. Ergo homo Deo loquenti fidem debet firmissimam.

408. ***Obi. 1.*** Essentia divina non est vere principium determinans intellectum primum (scl. divinum); nam cum ipso omnino idem est. *Ergo* non est, cur eam dicamus primam veritatem essentialem (cf. *S. Thom.,* S. th. 1, q. 16, a. 5, obi. 2 et ad 2).

Resp. *Dist. ant.:* . . . non positive, *conc. ant.,* non negative, *nego ant.* Utique intellectus divinus neque realiter manat ab

essentia divina, neque ab ea efficitur, neque ei ut exemplari ab ipso realiter diverso conformatur; attamen Deus, quatenus formaliter est intelligens, ob nullam aliam rationem est intelligens, nisi quia est *esse a se* sive essentia divina. Quare Deus recte dicitur per essentiam suam esse principium veritatem intellectus sui *negative* determinans, quo significetur Deo solam essentiam suam *qua talem* esse rationem sufficientissimam veritatis formalis ipsi qua intellectui infinito propriae, neque ipsum ab ullo principio sibi externo illam veritatem formalem derivare.

409. ***Obi. 2.*** Si Deus est prima veritas, omne verum est ab ipso. *Atqui* aliquem peccare est verum. *Ergo* aliquem peccare est a Deo; quod patet esse falsum (*S. Thom.* l. c. obi. 3).

Resp. *Dist. mai.:* . . . omne formaliter verum et omne *in se* ontologice verum, *conc. mai.,* omnis defectus alicuius veri ontologici, *nego mai., contrad. min.:* peccatum, quod aliquis committit, est aliquid formaliter verum vel aliquid *in se* ontologice verum, *nego min.,* iudicium aliquem peccare est aliquid formaliter verum, *conc. min., dist. cons. sicut min.*

Explico resp. Quod in se esse habet et consequenter in se ipso ontologice verum est, dici debet esse a Deo, prima veritate. Sed peccatum secundum malitiam suam spectatum non est in se, sed est privatio rectitudinis voluntatis abusu libertatis arbitrii a creatura rationali causata; quare peccatum formaliter qua tale dici nequit esse a Deo. Iudicium autem, quo quis iudicat peccatum commissum esse, si illud vere commissum est, est aliquid formaliter sive logice verum, quia repraesentat voluntatem aliquam creatam ut certo defectu morali affectam, quo vere affecta est. Hoc iudicium est a Deo ut a prima causa omnis veritatis intellectualis (cf. praeterea *S. Thom.* l. c. a. 7 et Qq. disp. Ver. q. 1, a. 5, c. et *ibid.* obi. 1—18 ad perfectiorem theseos intelligentiam acquirendam).

Art. 2.

De bonitate divina.

Thesis XLI.

410. **De Deo bonitas tum essentiae tum voluntatis absolute summa praedicanda est.**

St. Q. I. Bonitas rei est perfectio eius, quatenus haec apta est ad voluntatem ad se inclinandam. Bonum enim est obiectum voluntatis. Id igitur, in quod omnis voluntas naturaliter fertur, rationem boni constituit. Iam vero non solum

voluntas, sed omnis appetitus naturaliter fertur in perfectionem; fertur enim in esse actu (cf. *S. Thom.,* Contra gent. lib. 1, cap. 37, § „Adhuc, Bonum"); porro „in tantum . . . est perfectum unumquodque, in quantum est in actu" (S. th. 1, q. 5, a. 1, c.). Sed tamen perfectum non prorsus idem dicit quod bonum. Perfectum enim non exprimit nisi actum essendi, qui ens aliquod naturae ipsius conformiter compleat; bonum autem respectum ad voluntatem addit. Quapropter diximus bonitatem esse perfectionem rei, quatenus haec apta sit ad voluntatem ad se inclinandam. Ad hoc autem omnis perfectio revera apta est, quia voluntas sibi in bonitate qualibet complacere potest saltem ut in bono naturae intellectualis qua talis (cf. *S. Thom.,* S. th. 1, q. 16, a. 4 ad 1).

411. II. Bonitas dividitur:

1. in bonitatem *absolutam* et *respectivam.*

Bonitas absoluta est perfectio rei, quatenus per hanc res habet, quidquid tamquam sibi conveniens appetit. Bonitas autem respectiva est eadem perfectio, quatenus per eam res apta est ad alia perficienda et consequenter ad sui desiderium in aliis excitandum.

2. in bonitatem *naturalem* (essentiae) et *moralem* (voluntatis).

Bonitas essentiae in rebus est, bonitas voluntatis consistit in appetitione illius boni quod voluntati tamquam appetitui rationali secundum dictamen rectae rationis proprium est. Hoc bonum dicitur bonum morale et est conformitas voluntatis cum lege aeterna Dei sensu latiori sumpta, quia recta ratio dictat viam a summa Sapientia praemonstratam esse eam, qua ens intelligens incedere debeat.

412. **Pars I. De Deo praedicanda est summa bonitas essentiae.**

In Deo et bonitas essentiae absoluta et bonitas essentiae respectiva summa est. *Ergo* de eo praedicanda est bonitas essentiae simpliciter sive sub omni respectu absolute summa.

Prob. ant. p. partes.

1. Bonitas essentiae absoluta est rei perfectio, quatenus per hanc res habet, quod naturaliter appetit, sive est esse actuale rei, quatenus id appetitui eius naturali adaequate spectato perfecte correspondet. *Atqui* Deo non convenit ap-

petitus naturalis praeter voluntatem, et ipse per essentiam suam ita perfectus est, ut voluntate sua infinita in essentia sua amanda beatissimus conquiescat (thes. XXXVIII). *Ergo* in Deo est summa bonitas essentiae absoluta.

2. Bonitas essentiae respectiva in eo consistit, quod res secundum perfectionem suam ita se habet ad alias res, ut hae appetitu eius perficiantur. *Atqui* Deum vel in se vel in sui similitudine ab ipso totaliter dependente appetendo omnes res perficiuntur, quia creaturae *rationales* eo perfectiores sunt, quo magis Deo cognitione et amore uniuntur; et *omnes* creaturae eo perfectiores, quo magis Esse divinum similitudinarie participant. *Ergo* in Deo est summa bonitas essentiae respectiva.

Pars II. De Deo summa bonitas voluntatis praedicanda est.

Bonitas voluntatis consistit in conformitate eius cum norma, quam dictat intellectus divinus summe sapiens. *Atqui* cum hac norma voluntas Dei non potest non perfectissime congruere, cum realiter sit idem atque intellectus divinus.

Coroll. *Ergo* Deus est summe amabilis et amandus.

413. ***Obi. 1.*** Deus non videtur esse sensu proprio bonus. Nam ratio boni consistit in modo, specie et ordine. Aliis verbis: aliquod ens est bonum, quatenus a certa causa efficiente materia eius certae formae substantiali certo *modo* est proportionata, et illud ens consequenter factum est ens certae *speciei*, debito *ordine* in finem naturae suae tendens. *Atqui* haec de Deo non sunt vera. *Ergo* . . . (cf. *S. Thom.*, S. th. 1, q. 6, a. 1, obi. 1 et q. 5, a. 5, obi. 1 et c.).

Resp. *Nego ass., ad rat. dist. mai.:* Ratio boni in abstracto considerata, *nego mai.*, ratio boni ad bonitatem substantiarum corporearum huius mundi contracta, *conc. mai.*, *conc. min.*, *nego cons.*

Obi. 2. Ens, in quo est summa bonitas essentiae respectiva, ab omnibus entibus appetatur necesse est. *Atqui* Deus non ab omnibus entibus appetitur; multa enim sunt entia, quae Deum non cognoscunt, multa etiam, quae non obstante sua Dei cognitione nolunt Deo coniungi. *Ergo* . . . (cf. *S. Thom.*, S. th. 1, q. 6, a. 1, obi. 2).

Resp. *Dist. mai.:* . . . appetitu solum naturali, *subd. mai.:* in se, *nego mai.*, in sui similitudine, *conc. mai.*, appetitu elicito,

nego mai., contrad. min., nego cons. Ad rat. additas: Ex his sequitur Deum ab aliquibus entibus appetitu elicito non *posse* appeti et ab aliis appetitu elicito revera *non appeti, licet possit, conc. ass.*, . . . sequitur non ab omnibus appeti appetitu solum naturali modo explicato, *nego ass.* Entia non cognoscentia Deum non possunt appetitu elicito appetere; entia sensitive tantum cognoscentia eum appetitu non solum naturali, sed etiam elicito appetunt *in sui similitudine.*

414. ***Obi. 3.*** Ex thesi sequitur Deum dicendum esse summum bonum. *Atqui* Deus non satis recte dicitur summum bonum. *Ergo* thesis laborat aliquo defectu.

Prob. min. Deus non satis recte dicitur summum bonum, si non sunt bona Deo inferiora. *Atqui* non sunt, quia solus Deus est bonus. *Ergo* . . .

Prob. ratio min. Bonum est, quod omnia appetunt. *Atqui* Deum solum omnia appetunt, quia ipse solus est finis omnium. *Ergo* solus Deus est bonus (cf. *S. Thom.*, S. th. 1, q. 6, a. 2, obi. 2 et ad 2).

Resp. *Conc. mai., nego min., nego cons. Ad prob. min. conc. mai., nego min., nego cons. Ad prob. rat. min. dist. mai.:* . . . i. e. omnia aliquod bonum appetunt, *conc. mai.*, . . . i. e. quidquid bonum est, omnia appetunt, *nego mai., conc. min., nego cons.*

Insto. Si Deus est summum bonum, virtualiter saltem componitur ex suo esse sive sua bonitate et ex eo, a quo haec bonitas appellatur summa. *Atqui* id repugnat summae Dei simplicitati. *Ergo* . . . (*S. Thom.* l. c. obi. 1).

Resp. *Dist. mai.:* Si illud „summum", prout distinguitur a bonitate Dei, denotat aliquid Deo internum, *conc. mai.*, si non denotat nisi relationem rationis bona inferiora cum Deo comparantis, *nego mai., contrad. min., nego cons.* (cf. *S. Thom.* l. c. ad 1).

415. ***Iterum insto.*** Deus non est in eodem genere cum ullo alio bono. *Atqui*, quae non sunt in eodem genere, non possunt inter se comparari. *Ergo* Deus cum nullo alio bono comparari potest et consequenter non recte dicitur summum bonum (*S. Thom.* l. c. obi. 3).

Resp. *Dist. mai.:* . . . neque est principium eminens omnis generis boni, *nego mai.*, est tamen principium eminens omnis generis boni, *conc. mai., dist. min.:* . . . si sunt in diversis generibus, *conc. min.*, si unum est principium omnis generis, alterum est in genere, *subd. min.:* non possunt inter se comparari secundum rationem aliquam utrique univoce propriam, *conc. min.*, non

possunt inter se comparari secundum rationem aliquam utrique *vere* propriam, licet de uno et altero non univoce, sed analogice praedicanda sit, *nego min., dist. cons. 1. ut min. et nego cons. 2.*

416. *Scholion. Deus solus per suam essentiam est bonus* (cf. *S. Thom.,* S. th. 1, q. 6, a. 3). Nam res dicitur bona, quatenus propter perfectionem suam est appetibilis. Triplex autem rei perfectio distingui potest: 1. *esse;* 2. *ad agendum esse expeditum;* 3. *quiescere in fine suo.* Ex his tribus perfectionibus ne prima quidem ulli rei per suam essentiam convenit, quia omnis res creata secundum suam essentiam solam nihil aliud est nisi aliquid in essentia divina intelligibile, nihil realiter ab ipsa distinctum, nisi secundum quod ens essentiam divinam sub condicione volitionis liberae divinae imperfecte imitans ab aeterno a Deo intelligitur sub illa condicione fore realiter ab ipso distinctum (cf. *S. Thom.,* Qq. disp. Ver. q. 1, a. 5 per totum). Quam doctrinam Aquinatis prae oculis habens Suarez optime dixit actum, quo Deus se ipsum et possibilia comprehendit, *re* et *ratione*[1] esse unum. Deus autem illam triplicem perfectionem per suam essentiam habet; nam a) est a se; b) agit per actum essentiae suae; c) nullum extra se habet finem, ad quem ordinetur, sed amore infinito quiescit in essentia sua. Bonitate ipsius bonum est, quidquid est bonum praeter ipsum. Bonum enim non est, quod non exsistit. Entia igitur pure possibilia, sicut condicionate tantum sunt entia, ita condicionate tantum sunt bona. Sed unumquodque ens, quod praeter Deum exsistit, *qua ens* est bonum „bonitate divina sicut primo principio exemplari, effectivo et finali omnis bonitatis. Nihilominus

---

[1] *Suarez,* De divina substantia lib. 3, cap. 2, n. 13 haec habet: „Intelligi potest Deus unico et simplicissimo actu intueri se et in se creaturas, ita ut, quando actus ille, quo se intelligit, concipitur a nobis transire ad creaturas, *non intelligatur esse quasi novus actus etiam ratione* distinctus, sed idem conceptus secundum utrumque terminum quem habet, primarium et secundarium. *Et hic est optimus et verus modus* concipiendi in Deo scientiam, quam habet de creaturis in se, quia unico complexu simplicissimo (ut Dionysius dixit), *videndo suam essentiam* videt omnes alias essentias participabiles ab illa, et *videndo suam necessitatem essendi* videt possibilitatem aliorum entium" (cf. De sanctissimo Trinitatis mysterio lib. 9, cap. 6, n. 8, ubi idem clare docet).

tamen unumquodque dicitur bonum *similitudine* divinae bonitatis *sibi inhaerente, quae est formaliter sua bonitas,* denominans ipsum. Et sic est bonitas una omnium et etiam multae bonitates" (cf. *S. Thom.,* S. th. 1, q. 6, a. 4, c. fin.).

Art. 3.

De pulchritudine divina.

Thesis XLII.

417. Deus est pulchritudo summa.

St. Q. Cf. quae de ratione pulchri explicata sunt in Ontologia (*Frick,* Ontologia n. 339 sqq.). S. Thomas dicit id esse pulchrum, cuius ipsa apprehensio placet (S. th. 1, 2, q. 27, a. 1 ad 3). Quae pulchri definitio, dummodo ita explicetur, ut „apprehensio" intelligatur *omnis intuitus intellectualis,* omnino recta est. Id enim omnes dicunt pulchrum, quod ita se habet, ut ens intelligens, ad illud contemplandum sufficienter aptum et dispositum, contemplatione eius sola secundum voluntatem suam rationalem necessario delectetur. Cogita v. g., quid omnes significare intendant, cum loquuntur de aedificio pulchro, de imagine pulchra, de poemate pulchro, de ratione agendi pulchra. Delectatio autem naturalis, quae in voluntate rationali ex contemplatione sola alicuius rei oritur, non potest aliam rationem obiectivam habere, nisi perfectionem eximiam, quae rei sub aliquo saltem respectu propria esse evidenter intelligitur. Bonum enim naturae intellectualis *qua talis* est verum; quare quo magis ens intelligens, cum aliquam rem contemplatur, animadvertit eam rem entitate sive veritate obiectiva sibi interna excellere, eo magis secundum voluntatem delectatur, dummodo contemplatio versetur circa ipsam rem in se consideratam, et non solum sit cognitio rei per aliquas eius similitudines imperfectas laboriose combinandas. Inde intelliges, quam apte pulchrum appellatum sit *splendor veri.* Inde etiam facile concludes rem aliquam eo pulchriorem esse, quo magis secundum se et secundum suam ad res alias cum ipsa aliquo modo connexas habitudinem perfecta sit.

418. *Quibus praenotatis probatur thesis ex notione pulchritudinis.* Ens summe pulchrum, cuius pulchritudo ab eius essentia realiter non distinguitur, est summa pulchritudo, utpote quae eminenter in se praecontineat omnes pulchritudines cogitabiles. *Atqui* Deus est ens summe pulchrum, et eius pulchritudo ab essentia ipsius realiter non distinguitur. *Ergo* Deus est summa pulchritudo.

Ad. mai. Maior ex thesibus de unitate et infinitate Dei ut *Entis a se* facile infertur. Nam eiusmodi ens pulchrum, cum sit a se exsistens, non potest esse nisi pulchritudo una in se subsistens actu infinita (cf. theses XIII et XV).

Prob. min. p. partes.

1. Quo perfectior aliqua res est tum secundum se tum secundum suos ad res alias respectus, eo pulchrior est. *Atqui* sub utroque respectu Deus est summe perfectus, quia secundum se est ens actu infinitum et secundum suos ad alias res respectus omnia intellectu infinite perfecto comprehendit (thes. XXIV) et voluntate sanctissima secundum normam sapientiae infinitae disponit (thes. XXXVII). *Ergo* Deus est summe pulcher.

2. Pulchritudo entis summe simplicis ab eius essentia realiter non distinguitur. *Atqui* Deus est ens summe simplex (thes. XIV). *Ergo* . . .

419. ***Obi. 1.*** Contemplatio rei pulchrae eo delectabilior est, quo res est pulchrior. *Ergo,* si Deus sensu proprio est pulcher, cum non possit esse nisi summe pulcher, eius contemplatio nobis est summe delectabilis. *Atqui* id certe dici nequit. *Ergo* Deus non est sensu proprio pulcher.

Resp. *Dist. ant. mai.:* . . . si ens rem pulchram contemplans ad eam intuitive contemplandam sufficienter aptum et expeditum est, *conc. ant. mai.,* si non est aptum ad eam contemplandam nisi ope similitudinum laboriose colligendarum et a prototypo longe deficientium, *nego ant. mai., dist. pariter cons. mai., conc. min., nego cons.*

Obi. 2. Si pulchritudo de Deo proprie est praedicanda, ratio pulchri in Deo *formaliter* invenitur. *Atqui* nequit in eo inveniri nisi *eminenter. Ergo* . . .

Prob. min. Deo formaliter inesse nequit perfectio, quae abstracte concepta involvit imperfectionem. *Atqui* ratio pulchri est

eiusmodi perfectio. Neque enim quisquam ullam pulchritudinem sibi exhibere potest nisi rerum corporearum vel in rebus corporeis. Dein id confirmatur auctoritate S. Thomae, qui ad pulchritudinem tria requirit: integritatem, debitam proportionem, claritatem; quae tria connotant compositionem et imperfectionem (cf. *S. Thom.*, S. th. 1, q. 39, a. 8, c.). *Ergo* ratio pulchri in Deo non invenitur nisi eminenter.

Resp. *Dist. mai.:* . . . formaliter, sed *modo infinite eminentiori* quam in ulla creatura, *conc. mai.*, formaliter et *eodem modo* atque in creaturis, *nego mai., nego min. et cons., ad prob. min. conc. mai., nego min., ad rat. min.:* Dato, quod ea ratione asseritur, sequitur hominem in hac vita non habere ideam propriam (intuitivam, quidditativam) pulchritudinis spiritualis, *conc. ass.*, sequitur pulchritudinem spiritualem non esse pulchritudinem proprie dictam, aliis verbis: sequitur rationem pulchri, quae de re corporea praedicatur, non posse ita abstracte concipi, ut rei spirituali proprie inesse possit, licet huic et illi non univoce, sed analogice conveniat, *nego ass.* (cf. St. Q.) *Ad auctoritatem S. Thomae* dicendum est eum l. c. describere eam pulchritudinem, cuius homines conceptum proprium habent, scl. pulchritudinem corpoream, sed eius mentem nequaquam esse, Deum non esse pulchrum nisi *metaphorice* sive ut causam rerum pulchrarum *tantum*. Docet enim explicite: „*Bonum* (i. e. perfecte bonum) *laudatur ut pulchrum*“ (*S. Thom.*, S. th. 1, q. 5, a. 4 ad 1). — Quodsi quaeras, quidnam sit discriminis inter Deum ut perfectum, Deum ut bonum, Deum ut pulchrum, ita respondemus ex mente Aquinatis:

Deus est perfectus, quatenus per solam essentiam habet, quidquid ei convenit.

Deus est bonus, quatenus propter perfectionem suam sibi et creaturis est appetibilis.

Deus est pulcher, quatenus eius contemplatio menti eum intuenti non potest non esse iucunda et delectabilis.

Art. 4.

De invisibilitate, incomprehensibilitate, ineffabilitate Dei.

420. *Assertum 1. Deus non solum omni oculo corporeo, sed etiam omni menti finitae naturaliter invisibilis est, aliis verbis: neque intellectu humano neque ullo alio intellectu finito sine influxu supernaturali ab ipso Deo in hunc finem praestito Deus cognosci potest, ut in se est* (cf. *Suarez,* Disp. met. d. 30, sect. 11).

Deum non esse sensibiliter visibilem, ita ut oculo alicui corporeo secundum suam ipsius substantiam apparere possit, ex summa eius simplicitate nullo negotio infertur. Eum praeterea intellectui humano naturaliter esse invisibilem, ita ut nullus homo intuitu naturali intellectus ipsam substantiam divinam apprehendere possit, ex iis evidens est, quae in Psychologia rationali de cognitione substantiarum immaterialium probavimus. Ostendimus enim nullam earum a nobis in hac vita naturaliter clare cognosci posse nisi mediate ope rationum intelligibilium a rebus corporeis abstractarum conceptibus abstractivis, analogicis, negativo-positivis (cf. Psych. rat. n. 202 sqq.). *A fortiori* igitur Deus a nobis in hac vita alio modo naturaliter cognosci nequit.

Neque ullus alius intellectus finitus intellectu humano superior Deum naturaliter apprehendere potest, ut est in se. Nam modus cognitionis intellectualis mere naturalis creaturae intelligentis naturae, a qua manat, proportionata sit necesse est. Itaque cum omnis natura intellectualis finita infinite inferior sit Deo infinito, modus, quo Deus intelligentia talis naturae repraesentatur, infinite distat ab excellentia modi, quo Deus cognoscendus est, ut vere cognoscatur, sicut est in se.

421. *Scholion. Estne cognitio Dei nobis naturalis dicenda* ***quidditativa?*** Ad hanc quaestionem, ut recte animadvertit Suarez (Disp. met. d. 30, sect. 12, n. 4 sqq.), diversimode respondendum est, prout terminus cognitionis quidditativae sumitur aut sensu latiori aut sensu magis astricto. Nam si cognitio quidditativa intelligitur esse „cognitio, qua de re cognoscitur, quid sit, concipiendo aliquod praedicatum quidditativum eius, non tantum ut commune, sed etiam ut proprium“ (*Suarez* l. c. n. 5), omnino fatendum est nos etiam naturaliter habere cognitionem Dei quidditativam. Nam, ut ex toto nostro de attributis divinis absolutis tractatu patet, multa cognoscimus, quae essentiae Dei eique soli vere et proprie conveniunt. „Ergo vere cognoscimus aliquo modo quidditatem Dei“ (*Suarez* l. c. n. 6). Itaque, qui ad id significandum cum Scoto dicit hominem etiam naturaliter Deum quidditative cognoscere, verum dicit neque adversatur S. Thomae, sed eius doctrinam tradit, ut clare patet ex S. th. 1, q. 13, a. 2, c., ubi de nominibus Deo propriis loquens dicit:

„Huiusmodi quidem nomina significant substantiam divinam et praedicantur de Deo substantialiter . . . Cum igitur dicitur: *Deus est bonus*, non est sensus: *Deus est causa bonitatis*, vel *Deus non est malus*, sed est sensus: *Id, quod bonitatem dicimus in creaturis, praeexsistit in Deo.*"

Sed cognitio quidditativa sensu stricto accepta a nobis de Deo naturaliter non habetur. Intelligitur enim „cognitio illa, per quam cognoscuntur de re omnia praedicata quidditativa usque ad differentiam vel quasi differentiam ultimam, *eam concipiendo proprio* [i. e. non analogico] *et positivo conceptu*" (*Suarez* l. c. n. 5). Huiusmodi cognitio a comprehensione quidem Dei infinite distare potest; attamen neque nobis neque angelis *naturaliter* convenit, quia utrisque ea, quae Deo essentialiter propria sunt, naturaliter non sunt cognoscibilia nisi per conceptus negativo-positivos, id quod ex probatione asserti 1. facile infertur et bene explicatur a Suarez l. c. n. 7—9 incl.

422. *Assertum 2. Deus ne supernaturaliter quidem comprehendi potest ab ulla creatura* (*S. Thom.*, S. th. 1, q. 12, a. 7. *Suarez*, Disp. met. d. 30, sect. 12, n. 1—3 incl.).

Revera enim, quomodocumque Deus creaturam elevet, eam non potest donare vi intelligendi infinita. Haec autem requiritur, ut Deus comprehendatur, i. e. tantum cognoscatur, quantum cognoscibilis est. Ens enim infinite perfectum est infinite intelligibile, et, quod est infinite intelligibile, non potest secundum totam suam cognoscibilitatem apprehendi nisi intellectu infinito.

423. *Assertum 3. Deus omni homini, omni angelo, immo sibi ipsi creaturis loquenti ineffabilis est* (cf. *Suarez*, Disp. met. d. 30, sect. 13).

Deum esse ineffabilem significat eum non posse nominari tali nomine, quod naturam eius, sicut in se est, perfecte exprimat. Facile patet neque homines neque angelos tali nomine inter se de Deo loqui posse. Namque nomina significant conceptus. Sed, ut ex asserto 2. patet, nulla creatura ne supernaturaliter quidem formare potest conceptum Dei comprehensivum. Consequenter nomen, quo eiusmodi conceptus significetur, neque formare neque intelligere potest. Inde autem concludendum est etiam Deum creaturis non ita

loqui posse, ut totam perfectionem suam adaequate manifestet. Nihil enim creaturis perfecte intelligibile de se dicere potest, quod adaequate explicet essentiam ipsius, „etiamsi per totam aeternitatem Deus de se ipso loqueretur“ (*Suarez* l. c. n. 4).

424. *Coroll.* Ergo maiestas divina non solum est summe pulchra, sed etiam summe sublimis. Nam, „sicut pulchrum excitat admirationem et amorem, sic sublime stuporem ingenerat et ad venerandum aut timendum inclinat. Id nascitur ex praestantia, qua intuentem percellit“ (*Liberatore,* Met. gen. n. 68). Possumus autem triplex sublime distinguere: ontologicum, dynamicum, mathematicum; quorum primum fundatur in excellentia naturae, secundum in excellentia virtutis sive physicae sive moralis, tertium in excellentia magnitudinis sive continuae sive discretae (cf. *Liberatore* l. c.).

Quibus praenotatis facile patet Deum ita esse sublimem, ut omne sublime infinite superet. Omne enim sublime ontologicum infinite excedit qua actus purus infinitus; super omne sublime dynamicum excellit sua omnipotentia et sanctitate summa; omne sublime mathematicum eminenter praecontinet sua immensitate et aeternitate.

425. *Scholion. Quod inter omnia nomina Dei sit nomen ei maxime proprium* (*S. Thom.,* S. th. 1, q. 13, a. 11).

Nomen *„Qui est“,* i. e. *„Qui est a se sive per solam essentiam suam“,* secundum S. Thomam (l. c.) est nomen ob tres rationes Deo maxime proprium:

1. quia exhibet fundamentale discrimen inter essentiam Dei et essentiam creaturae. Essentia enim Dei per se solam est *esse,* essentia creaturae per se solam est *nihil* (*Suarez,* Disp. met. d. 31, sect. 2, n. 3. *S. Thom.,* S. th. 1, q. 46, a. 1 ad 1 et Quaest. disp. de Potentia q. 3, a. 5 ad 2);

2. quia implicite significat omne positivum esse qua tale de Deo vere esse praedicandum, aliis verbis: Deum esse Ens actu infinitum;

3. quia significat esse Dei ut immobiliter stans ab aeterno in aeternum.

Liber III.

De Dei in res ab ipso diversas actione. (Pro cuius actionis varietate de eo praedicantur attributa relativa quae dici solent.)

Caput I.

De rerum creatione.

426. *Praenota.* Hoc capite agemus:
1. De facto creationis.
2. De incommunicabilitate potentiae creatricis.
3. De antiquitate creaturae in genere spectatae.
4. De antiquitate mundi nobis noti in concreto spectati.

Art. 1.

De facto creationis.

Thesis XLIII.

427. **Origo rerum a Deo diversarum liberae eius ex nihilo creationi debetur.**

St. Q. I. Vox creandi secundum usum communem loquendi significat omnem efficientiam sive physicam sive moralem. Ita homo dicitur creare ignem, terra fruges, populus consules, morbus molestias.

Sensu autem stricte philosophico vox creandi significat: *totaliter efficere ens qua ens sensu arctiore acceptum*, i. e. *ens in se subsistens;* quae effectio totalis solum habetur, cum aliqua substantia, quae per se, ut in se subsistens mere intelligibilis est, secundum esse suum substantiale totum efficitur. Quare creatio sensu stricto accepta sive creatio ex nihilo quae dici solet a S. Thoma declaratur esse *„productio alicuius rei secundum totam suam substantiam, nullo praesupposito, quod sit vel increatum vel ab aliquo creatum“* (S. th. 1, q. 65, a. 3, c.).

428. II. *Parte I.* huius Aquinatis sententiae continetur creationis definitio, parte II. brevis definitionis explicatio.

Definitio igitur est haec: *„Creatio est productio alicuius rei secundum totam suam substantiam.“* Ad quam recte intelligendam haec nota:

a) Creatio dicitur *„productio alicuius rei“*; quo distinguitur ab *actione mere cognoscitiva* et a *volitione aliqua nihil efficiente.* Est enim creatio actio *effectiva.*

b) Creatio dicitur productio alicuius rei *secundum suam totam substantiam.* Ita significatur ante creationem nihil esse *eius rei,* quae dicitur creari. Distinguitur igitur creatio a generatione accidentium et a generatione earum formarum substantialium, quae neque oriri neque actu manere possunt absque dependentia ab aliquo subiecto informationis. Etenim generatio accidentis non est productio alicuius rei secundum *substantiam,* sed secundum determinationem secundariam ei qua substantiae iam exsistenti compatibilem. Generatio autem alicuius formae substantialis in esse a materia dependentis non est productio alicuius rei secundum substantiam *totam,* sed secundum actum, qui subiectum praeexsistens ita specificet, ut nihil sit nisi terminus subiectum in ordine corporis naturalis vel anorganici vel organici complens.

429. III. Explicationis gratia S. Thomas definitioni creationis haec addit: *„nullo supposito, quod sit vel increatum vel ab aliquo creatum“.* Quibus verbis creatio clare opponitur:

a) emanationi rerum e substantia divina, de qua pantheistae antiqui loquebantur (cf. *S. Thom.,* S. th. 1, q. 90, a. 1). S. Thomas ipse loquitur quidem de rerum a primo principio emanatione (S. th. 1, q. 45, a. 1, c.), sed eam distinctissime explicat ut effectum solius voluntatis liberae divinae omnipotentis (cf. S. th. 1, q. 19, a. 3, c., § „Circa divina“, *ibid.* a. 4 per totum. *Kleutgen,* Phil. schol. n. 998 sqq.).

b) Formationi rerum e materia aliqua increata (cf. S. th. 1, q. 44, a. 2; Qq. disp. pot. q. 3, a. 5).

c) Omni mutationi rerum creatarum exsistentium (cf. Contra gent. l. 2, cap. 17; Qq. disp. pot. q. 3, a. 2).

430. IV. Ad idem significandum, quod „productio rei secundum suam totam substantiam“ significat, aliquando dicimus: *Creare est aliquid ex nihilo facere.* In hac phrasi illud *„ex nihilo“* duplici modo ita explicari potest, ut tota phrasis genuinam creationis notionem exhibeat·

α) ita ut *„ex“* sumatur pro *„post“;* sicut dicimus: „Ex mane fit meridies“, i. e. „post mane“. Secundum hanc explicationem sensus illius phrasis est: Creare est aliquid facere, quod non sit mera forma substantialis vel accidentalis alicuius subiecti iam exsistentis.

β) Ita ut *„ex nihilo“* significet *„non ex aliquo“;* simili modo atque *„de nihilo loqui“* significat *„non de aliqua re loqui“.* Qua explicatione supposita illa phrasis interpretanda est: Creare est aliquid facere sine sustentaculo causae materialis (cf. *S. Thom.,* S. th. 1, q. 45, a. 1).

431. V. Recentiores quidam, ut discrimen inter creationem ex nihilo et productionem accidentium formarumque substantialium a materia dependentium magis explicite efferrent, creationem definiverunt esse *productionem rei ex nihilo sui et subiecti.* Ad hanc definitionem intelligendam observa:

a) *ex nihilo sui* produci dicitur, quidquid revera efficitur; quod enim vere efficitur, antea non erat.

b) *Ex nihilo sui, sed non subiecti producitur* omne accidens et omnis forma substantialis mere informans. Nam accidens producitur eo, quod subiectum in specie completum *qua tale manens* mutatur; forma autem substantialis mere informans eo producitur, quod subiectum in specie incompletum ita mutatur, ut in eo naturaliter oriatur certus actus specificans, ad quem per se in potentia est.

c) *Ex nihilo sui et subiecti* producitur omnis substantia in ratione substantialitatis completa, cuius antea nihil in rerum natura erat.

Ex quo patet omnem productionem alicuius substantiae spiritualis esse sensu stricto creationem, etiam productionem materiae primae sub certa forma sive elementari sive altiori (cf. *S. Thom.,* S. th. 1, q. 61, a. 1 ad 2; q. 118, a. 2, c.; q. 44, a. 2 per totum).

432. **Pars I. Origo rerum a Deo diversarum creationi divinae debetur** (cf. *S. Thom.,* S. th. 1, q. 45, a. 4).

Deus substantiam individuam quamlibet ex nihilo creare potest, neque potuit ulla substantia individua finita praeter Deum exsistere nisi supposita divina creatione. *Ergo* origo rerum a Deo diversarum creationi divinae debetur.

Prob. ant. p. partes.

1. Potentia activa Dei infinita se manifestare potest ut per se solam ad aliquid efficiendum sufficiens. *Atqui* in nullo effectu praeter creationem ita se manifestat, quia omnis alius effectus est mutatio subiecti iam exsistentis. *Ergo* per potentiam infinitam activam Dei res ex nihilo creari possunt.

Alio modo: Deus pro omnipotentia sua efficere potest, quidquid intrinsecus possibile est. *Atqui* omnis substantia individua finita secundum totum esse suum intrinsecus possibilis est. *Ergo* Deus efficere potest, ut sit, licet nihil ad eam pertinens exsistat; aliis verbis: eam creare potest.

2. Ex thesibus de unitate et infinitate Dei (thes. XIII et XV) evidens est omnia entia praeter Deum originem suam debere Deo. Nam secundum eas theses Deus solus est *Ens a se*, totam plenitudinem essendi in sua substantia simplicissima continens. Consequenter, quidquid exsistit praeter Deum, non potest esse nisi participans Esse divinum secundum aliquam eius imperfectam similitudinem. *Quibus suppositis ita arguo:* Ut verum sit omnia entia praeter Deum exsistentia a Deo orta esse, aliqua saltem substantia finita a Deo *immediate* orta sit necesse est. *Atqui* a Deo nulla substantia finita immediate oriri potuit nisi per creationem ex nihilo; quia secus de substantia Dei summe simplici et immutabili realiter emanare potuisse dicenda esset, id quod sine absurditate asseri nequit. *Ergo* . . .

Ad mai. Exsistentia eorum, quae per essentiam suam sunt mere intelligibilia in Deo fundata, evidenter non potest in ipsis rationem suam sufficientem habere, cum ipsa non sint per se vere entia (*S. Thom.,* S. th. 1, q. 14, a. 9, c.), quare Suarez (Disp. met. d. 31, sect. 2) Aquinatem sequens praeclare dicit: „Nec potuit in mentem alicuius doctoris catholici venire, quod essentia creaturae ex se et *absque efficientia libera Dei sit aliqua* ***vera res aliquod verum esse reale habens*** distinctum ab esse Dei". Deus enim se cognoscens de iis nihil aliud cognoscit ut aliquid a sua essentia creatrice *realiter* distinctum nisi illud esse, quod iis formaliter conveniret, si sua essentia *essentialiter per creaturas imitabilis et secundum modos imitabilitatis suae intuitui ipsius patens* eas haberet similitudines sui *simpliciter* reales, quae

ut *condicionate reales* in ea intelligibiles sunt et in ea a Deo intelliguntur actu comprehensivo, quem Suarez recte dicit esse actum non solum *re,* sed etiam *ratione* unum cum actu, quo Deus se ipsum comprehendat. Quo supposito evidentissimum est nullam essentiam contingentem recte concipi, si concipiatur esse *per se aliquid a Deo realiter distinctum. Atqui* quod per se non est quidquam a Deo realiter distinctum, omnino nihil est a Deo realiter diversum, donec per Deum esse sortiatur. *Ergo,* cum omnes essentiae praeter unam essentiam divinam absolute necessariam sint essentiae contingentes, omnes sunt nihil a Deo realiter diversum, donec per Deum esse sortiantur (cf. quae diximus n. 416).

Evidens autem est eas non posse per Deum esse sortiri nisi ita, ut una saltem ex iis essentiis, quae in Deo *ut condicionate entia* intelligibiles sunt, *immediate* a Deo oriatur.

433. Pars II. Origo rerum a Deo diversarum liberae Dei creationi debetur.

Deus, utpote spiritus purissimus, qui sit suus intellectus et suum intelligere, sua voluntas et suum velle (thes. XXIV, XXXIII), non potuit ullam essentiam contingentem ex nihilo creare, nisi eius essentiam, quam ut *condicionate ens* in se ab aeterno intellexit, ut *simpliciter ens* vere voluit. *Atqui* ut *simpliciter* ens eam non necessario voluit, quia nihil ut *simpliciter* ens necessario vult nisi suam bonitatem infinitam. *Ergo* liberae Dei creationi origo rerum ab ipso diversarum debetur.

Ad mai. cf. haec Aquinatis verba: „Cum esse divinum", inquit, „sit ipsum eius intelligere, praeexsistunt in eo effectus eius secundum modum intelligibilem, et per modum intelligibilem procedunt ab eo, et sic per consequens per modum voluntatis" (S. th. 1, q. 19, a. 4, c., § „Tertio").

434. ***Obi. 1.*** Ut aliquid ex nihilo efficiatur, nihil in esse mutandum est. *Atqui* id sibi repugnat. *Ergo* nequit quidquam ex nihilo effici (cf. *S. Thom.,* S. th. 1, q. 45, a. 1, obi. 3).

Resp. *Dist. mai.:* . . . si effectio ex nihilo concipienda est ut vera mutatio, *conc. mai.,* si non concipienda est ut mutatio, sed ut origo rei totius per voluntatem creantem secundum essentiam finitam praeconceptam, *nego mai., conc. min., dist. cons. ut mai.*

Ad dist. mai. nota haec S. Thomae: „In omni mutatione vel motu oportet esse aliquid aliter se habens nunc quam prius; hoc enim ipsum nomen mutationis ostendit. Ubi autem tota substantia rei in esse producitur, non potest esse aliquod idem aliter et aliter se habens, quia illud non esset productum, sed productioni praesuppositum. Non est ergo creatio mutatio“ (Contra gent. lib. 2, cap. 17, § „Praeterea“).

Insto. Eadem res, quae antea est possibilis, vi creationis est exsistens et consequenter qua possibilis ad creationem supponitur. *Atqui* quod ad creationem ut possibile supponitur, non est omnino nihil, sed aliquid intelligibile; nequit autem esse aliquid intelligibile, nisi in se sit essentia realis. *Ergo* ad creationem aliquis essentia realis creaturae supponitur, et consequenter creatio est mutatio, per quam haec essentia transit ad esse.

Resp. *Conc. mai., conc. p. 1. min., dist. p. 2. min.:* Nequit esse aliquid intelligibile, nisi in se sit essentia realis a Deo simpliciter realiter diversa, *nego p. 2. min.,* nisi sit essentia realis a Deo sub hypothesi, quod ipse velit, realiter diversa, *conc. p. 2. min., dist. cons. 1.:* . . . aliqua essentia creaturae, quae denominatur realis, quia sine ulla realitate sibi secundum se propria in essentia Dei a Deo intelligibilis est ut realiter effectibilis, *conc. cons. 1.,* . . . aliqua essentia creaturae, quae *absque efficientia libera Dei* sit in se ens reale a Deo realiter diversum, *nego cons. 1., nego cons. 2.*

Explico resp. Deus se intelligendo cognoscit, quae essentiae ut imitationes sui ipsius imperfectae realiter futurae essent per potentiam suam, si ipse eam libere applicaret ad eas essentias ut essentias in se ipsis reales ex nihilo evocandas. Itaque essentiae pure possibiles in se ipsis spectatae non ab aeterno a Deo realiter distinctae sunt, sed ab aeterno a Deo sunt intelligibiles ut res, quae ab ipso realiter distinctae essent, si ipse eas efficeret. In ipsa efficientia sive creatione alicuius substantiae pure possibilis Deus agit secundum formam idealem, quatenus agit secundum essentiam in sua essentia comprehensa praeconceptam ut essentiam suae essentiae condicionate similem, scl. sub condicione liberae applicationis potentiae divinae ad eam de nihilo creandam.

435. ***Obi. 2.*** Quod creatur ex nihilo, simul fit et factum est. *Atqui* nulla actione potest aliquid simul fieri et factum esse. *Ergo* non potest quidquam ex nihilo creari (cf. *S. Thom.,* S. th. 1, q. 45, a. 2, obi. 2).

Resp. *Conc. mai., dist. min.:* . . . nulla actione successiva, *conc. min.,* nulla actione instantanea, *nego min., nego cons.* „In

omni factione, in qua est successio, *fieri* est ante *factum esse* . . . Hoc autem in creatione non potest accidere, quia *fieri*, quod praecederet *factum esse* creaturae, indigeret aliquo subiecto, quod non posset esse ipsa creatura, de cuius creatione loquimur, quia illa non est ante *factum esse* nec etiam in factore (i. e. ne in factore quidem); non enim moveri est actus moventis, sed moti (i. e. sicut forma per motum producta non est realiter in causa movente, sed in subiecto, in quo efficitur: ita substantia creatione producta non est realiter in creatore, sed oritur vi creationis [*S. Thom.*, Contra gent. lib. 2, cap. 19, § „Adhuc"]).

Obi. 3. Effectus proprius creationis est esse finitum. *Atqui* esse finitum ab esse infinito eo distinguitur, quod recipitur in aliquo subiecto, cum esse infinitum sit esse in se subsistens. *Ergo* effectui proprio creationis praesupponitur aliquod subiectum.

Resp. *Conc. mai., dist. min.:* . . . secundum intelligendi modum, *conc. min.*, realiter, *nego min., nego cons.*

„Creatio", inquit S. Thomas, „non est mutatio nisi *secundum modum intelligendi tantum*. . . In creatione, per quam producitur tota substantia rei, non potest accipi aliquid idem aliter se habens nunc et prius nisi secundum intellectum tantum; sicut si intelligatur aliqua res prius non fuisse totaliter (i. e. secundum totum esse suum) et postea esse" (S. th. 1, q. 45, a. 2 ad 2). Itaque, cum dicimus v. g.: „Angelus recepit esse suum substantiale a Deo, qui eum creavit", non intelligitur receptio nisi secundum intelligendi modum. Nam Deus creavit totum angelum in se subsistentem sive, quod secundum modum loquendi Aquinatis idem est, *esse* angeli sensu stricto acceptum (cf. Quodlib. 9, a. 3, c., § „Esse ergo proprie"). Quare „cum totius substantiae non sit aliquod subiectum receptivum" (cf. *S. Thom.*, S. th. 1, q. 27, a. 2 ad 3), illud *esse*, quod ponitur in ordine realis existentiae vi actionis creatricis, non potest realiter recipi in aliquo subiecto.

436. ***Obi. 4.*** Distantia infinita pertransiri nequit. *Atqui*, ut aliquid ex nihilo creetur, necesse est distantiam infinitam pertransiri; quia inter *nihil* et *esse* revera est distantia infinita. *Ergo* nulla res ex nihilo creari potest.

Resp. *Conc. mai., nego min. et rat. add., nego cons.:* „Obiectio illa procedit ex falsa imaginatione, ac si sit aliquod infinitum medium inter nihilum et esse; quod patet esse falsum. Procedit autem falsa haec imaginatio ex eo, quod creatio *significatur* ut quaedam mutatio inter duos terminos exsistens" (cf. *S. Thom.*, S. th. 1, q. 45, a. 2 ad 4). Subest autem ei obiectioni hoc ve-

rum, quod inter *nihil* totius substantiae finitae et *esse* eiusdem est *disproportio infinita*. Ex qua nihil aliud concludendum est ac nullum ens ex nihilo quidquam creare posse nisi ens potentiae infinitae sive Deum; qua de re dicemus thesi proxime sequenti.

Obi. 5. Omne *esse* est propter *agere*, a *fortiori* igitur esse infinitum. *Atqui* Deus est esse infinitum. *Ergo* necessario agit. *Atqui* si necessario agit, necessario ex nihilo aliquid creat. *Ergo* creatio divina non est libera.

Resp. *Dist. ant. mai.:* Omne *esse*, quod non realiter identificatur cum sua actione, *conc. ant. mai.*, omne omnino *esse*, etiam esse primum, quod est ipsa sua actio, *nego ant. mai., nego cons. mai., conc. min., dist. cons. 1.:* Ex praemissis sequitur eum necessario agere, *nego cons. 1.*, revera necessario agit, *subd. cons. 1.:* immanenter intelligendo et se ipsum amando, *conc. cons. 1.*, ad extra (i. e. respectu entium finitorum), *nego cons. 1., dist. min. subs.:* Si necessario immanenter agit, *nego min. subs.*, si necessario ad extra agit, *conc. min. subs., nego cons. 2.* (cf. thes. XXXV).

437. ***Insto.*** Actio, qua Deus creat, est ipse Deus. *Ergo* Deus absoluta necessitate creat.

Resp. *Dist. ant.:* Deus, si creat, non exercet actionem, quae ab eius essentia realiter distinguatur, *conc. ant.*, essentia divina, quatenus sub formalitate voluntatis consideratur, non libere determinat, utrum velit esse creans necne, *nego ant., nego cons.*

Nota. Praeterea contra libertatem creationis divinae afferri possunt obiectiones, quas attulimus contra part. II. thes. XXXV., n. 365 sqq. Ad quas perfectius solvendas recole assertum IV.: de modo, quo libertas divina stet cum eius immutabilitate (n. 378).

438. *Schol. I. De creatione active et passive spectata.*

Creatio active spectata est ipse Deus, quatenus decretum, quo ab aeterno statuit, ut aliquando sint substantiae finitae, momento praestituto voluntate sua omnipotenti eas efficiendo exsequitur. Quo ipso oriuntur substantiae finitae, quae antea nihil erant nisi termini intellectus divini in Deo intelligibiles; realiter enim antea ab essentia divina nullo modo distinguebantur nisi ut condicionata ab Absoluto. Sed realiter erat *„divina essentia, prout eius similitudo a diversis participari potest diversimode“* (cf. *S. Thom.*, S. th. 1, q. 44, a. 3, c.), et omnipotentia divina ad eas similitudines ab nihilo ad esse quodammodo vocandas sufficiens (cf. Ps. 32, 9; Rom. 4, 17).

Per creationem active spectatam Deus realiter quidem efficit substantias finitas; sed non est dicendus *realiter ad eas referri.* Etenim, si creatione in eo oriretur realis ad rem creatam relatio, ea aut esset praedicamentalis aut transcendentalis. Sed non potest esse praedicamentalis, quia Deus non creat per accidens sibi additum. Neque potest esse transscendentalis, quia essentia divina non absoluta necessitate creaturas efficit, sed libere. Fundatur igitur effectus creatus in libera applicatione omnipotentiae divinae. Quod exercitium libertatis divinae ab essentia divina realiter quidem non distinguitur; attamen quoad terminum Deo externum, circa quem versatur, ab ea absolute separabile est.

Creatio passive spectata est ipsa creatura, quatenus haec secundum originem exsistentiae suae realiter tota est a Deo. Unde evidens est eam involvere relationem realem creaturae ad Deum. Quare S. Thomas dicit: „Creatio passive accepta et est ‚*in creatura*' et est ‚*creatura*'." Est enim „*in creatura*" ut relatio, et est „*creatura*" ut fundamentum relationis (cf. *S. Thom.,* S. th. 1, q. 45, a. 3 ad 2 et Qq. disp. pot. q. 3, a. 3). Creatio autem qua relatio a suo fundamento non *re,* sed *ratione* dumtaxat distinguitur (cf. *Frick*, Ontologia n. 269 sqq. *Suarez,* Disp. met. d. 47, sect. 7, imprimis n. 6). Doctrinam hac sectione a Suarez traditam esse ipsam doctrinam S. Thomae latius ostendit *De San,* Cosmologia I, 369 sqq.

439. *Schol. II. De conceptu creationis apud Rosmini.*

Secundum Rosmini creatio est synthesis quaedam, qua mens divina „*esse initiale*" secundum eius essentiam spectatum refert ad terminos finitos [1].

Esse autem initiale, ut iam vidimus in Psychologia rationali (n. 309), secundum Rosmini ab essentia divina realiter non distinguitur.

Quae cum ita sint, ea creationis explicatio non videtur quadrare cum discrimine absoluto inter esse divinum et esse

[1] Cf. quae ex eius Teosofia refert *Liberatore,* Inst. Phil. II (ed. 1. novae formae), 510: „Riferito dall' intelligenza per mezzo della sintesi divina, l' essere iniziale, non come intelligibile ma puramente come essenza, ai *termini reali finiti,* fa che esistano gli *enti finiti* subbiettamente e realmente."

creaturae. Secundum Rosmini enim esse creaturarum non distinguitur ab esse divino nisi ratione terminorum[1].

Verum quidem est etiam apud S. Thomam inveniri hoc principium: *„Esse non est nisi unum."* Sed ex mente eius id nihil aliud significat nisi hoc: *Omne ens exsistens qua exsistens non est nisi unum,* quod ad idem redit atque hoc principium: *Universale qua tale non exsistit.* Ceterum S. Thomas pluribus locis expresse docet *esse* ipsum creaturae a Deo esse *effectum:* „Primus autem effectus est ipsum *esse,* quod omnibus aliis effectibus supponitur" (Qq. disp. pot. q. 3, a. 4, c., § „Ad horum").

„Esse autem *simpliciter* per creationem causatur, *quae nihil praesupponit"* (Contra gent. lib. 2, cap. 21, § „Adhuc, Effectus"). Et revera, cum S. Thomas doceat, ut supra vidimus, creationem esse productionem totius substantiae, eo ipso affirmat *esse simpliciter* entis finiti esse effectum proprium creationis; nam secundum ipsum *esse simpliciter* est id, quod de tota substantia in se subsistenti qua tali considerata praedicandum est (cf. Quodlib. 9, a. 3, c., § „*Esse* ergo proprie").

Art. 2.

De incommunicabilitate potentiae creatricis.

Thesis XLIV.

440. Deus solus aliquid ex nihilo creare potest; quare substantiae singulae spirituales et totum substratum materiale mundi corporei sunt effectus immediate divini. (Cf. *S. Thom.,* S. th. 1, q. 45, a. 5; Contra gent. lib. 1, cap. 21. *Kleutgen,* Phil. schol. n. 1008—1018.)

St. Q. Cum quaerimus, utrum Deo vis creandi exclusive propria sit, an etiam creatura creata aliam ex nihilo possit efficere, non id inquirimus, num ens creatum independenter a concursu divino aliquid ex nihilo creare valeat; id enim fieri non posse facile ex eo patet, quod omne ens

---

[1] Cf. quae ex eius Teosofia refert *Liberatore* op. c. p. 512 sq. „Gli enti finiti, che compongono il mondo, risultano da due elementi cioè dal termine reale finito e dall'essere iniziale, che dà a questo termine la forma di ente."

contingens non solum in essendo, sed etiam in agendo plene pendet ab Ente a se. Sicut enim ens contingens per solam essentiam suam absque causa creante nihil realiter exsistens est, ita absque causa conservante nihil realiter exsistens manet, et absque causa concurrente nihil agit, cum modus agendi sequatur modum essendi. Ex quo statim patet nullum ens contingens quidquam agere nisi concurrente causa eius creatrice et consequenter in omni actione sua *mediate saltem*[1] pendere a causa creatrice prima, quae esse nequit nisi Deus. Sed hoc loco de eo quaeritur, num creatura aliqua cum dependentia a Deo ut a causa prima aliquam rem in se subsistentem ex nihilo efficere possit.

441. Et primum quidem proponitur quaestio, num creatura cum dependentia a Deo ex nihilo rem creare possit tamquam causa principalis, i. e. tamquam causa, cui insint vires effectui creationis proportionatae, licet eas applicare non possit nisi Deo volente. Dein quaeritur, num creatura a Deo adhiberi possit ad creandum tamquam *instrumentum sensu proprio acceptum*. Aliis verbis: primum quaeritur, num creatura Deo concurrente aliquam rem ex nihilo creare possit, sicut pictor Deo concurrente imaginem potest pingere; dein quaestio movetur, num creatura in effectum vi creatrice divina producendum *aliquali efficientia physica* vere influere possit, ut penicillum, quo pictor utitur, per modum instrumenti vere efficienter concurrit ad imaginem pingendam. Utrumque cum S. Thoma negamus. Non autem negamus, creaturam posse dici causam ministerialem creationis, quatenus condicionem ponere potest, qua posita Deus immediate aliquam substantiam ex nihilo creat. Ut in Psychologia rationali vidimus, hac ratione parentes sunt causa ministerialis animae rationalis filii a Deo immediate creatae (cf. Psych. rat. n. 503).

Postquam haec, de qua diximus, sententia probata erit, nullo negotio ostendetur Deum esse auctorem immediatum uniuscuiusque substantiae spiritualis et substrati materialis mundi corporei.

---

[1] Hanc dependentiam non esse sub omni respectu mediatam, sed sub certo respectu immediatam, ostendetur doctrina de concursu divino (thes. XLVIII).

442. Pars I. Creatura non potest ullam substantiam ex nihilo creare.

Arg. 1. (Ex eo, quod creatio ex nihilo est modus efficiendi nobilissimus.) Modus agendi sequitur modum essendi; unde causa essentialiter nobilior quam ulla alia causa effectus producere potest modo sub omni respectu essentialiter nobiliori quam ulla alia. Consequenter id non solum eo sensu facere potest, quod causalitas eius actualis est prorsus independens ab influxu causae altioris, sed eo quoque sensu, quod ipsius solius causalitati actuali debetur terminus, qui non sit mera determinatio vel actuatio ulterior alicuius effectus per aliam causalitatem iam positi et a natura illius effectus aliquo modo pendens. *Atqui* Deus est causa essentialiter nobilior quam ulla alia. *Ergo* sub utroque respectu declarato effectus producere potest modo essentialiter nobiliori quam ulla alia. *Atqui* sub altero respectu solus ille effectus, qui creatione producitur, modo essentialiter nobiliori producitur quam ullus alius effectus. *Ergo* Deus solus aliquid ex nihilo creare potest.

Prob. min. subs. Omnis effectus, qui non oritur creatione ex nihilo, est mera determinatio vel actuatio ulterior alicuius effectus iam exsistentis et a natura huius aliquo modo pendet. *Ergo* sub altero respectu supra declarato solus effectus de nihilo creatus modo essentialiter nobiliori producitur quam ullus alius effectus (cf. ad arg. 1 *S. Thom.,* Contra gent. lib. 2, cap. 21, § „Cum enim").

443. *Arg. 2. (Ex disproportione inter nihil et esse substantiae in se subsistentis.)* Quo magis materia operis ad opus est improportionata, eo maior requiritur virtus in agente, ut materiae inhabilitati suppleat. Si ergo materia operis ad opus infinite improportionata est, virtus infinita requiritur, ut illa improportio vincatur. *Atqui,* cum nullum ad opus exsequendum subiectum materiale praeexsistit, materia operis infinite improportionata est ad opus, quippe quae omnino non habeatur. *Ergo* tum virtus infinita requiritur ad opus exsequendum.

Atqui, cum agitur de re aliqua ex nihilo creanda, nulla ad opus exsequendum materia praeexsistit. *Ergo* res ex nihilo creari nequit nisi virtute infinita. *Atqui* Deus *solus* virtute infinita pollet. *Ergo* Deus solus rem aliquam ex

nihilo creare potest (cf. *S. Thom.*, S. th. 1, q. 45, a. 5 ad 2 et ad 3).

444. Pars II. Creatura nequit esse instrumentum proprie dictum actus creandi.

Ut creatura instrumentum proprie dictum actus creandi esse possit, necesse est eam subiectum creabile disponendo aliquid conferre posse ad effectum creationis sub praemotione divina in eo causandum. *Atqui* hoc sibi repugnat, quia subiectum creabile dispositionis praeviae incapax est; *tam diu enim in se nihil est, quamdiu non est creatum. Ergo* creatura nequit esse instrumentum proprie dictum actus creandi (cf. *S. Thom.*, S. th. 1, q. 45, a. 5, § „Contingit" sq., et Contra gent. lib. 2, cap. 21, § „Praeterea, Omne agens instrumentale").

445. Pars III. Unaquaeque substantia spiritualis et totum substratum materiale mundi corporei sunt effectus immediate divini.

Substantiae spirituales singulae, quae praeter Deum sunt, et totum substratum materiale mundi corporei sunt res contingentes et consequenter effectae; effici autem non potuerunt nisi creatione ex nihilo. *Atqui* secundum ea, quae parte I. et II. probata sunt, creatio ex nihilo est actio ita Deo exclusive propria, ut nulla creatura ne instrumentaliter quidem ad eam concurrere possit. *Ergo* unaquaeque substantia spiritualis praeter Deum exsistens et totum substratum materiale mundi corporei a Deo immediate ex nihilo effecta sunt; aliis verbis: eae res sunt effectus immediate divini.

446. *Prob. min. p. partes.*

1. Eae res, de quibus diximus, sunt res contingentes et consequenter effectae. Quod non est a se et tamen exsistit, est contingens et a causa aliqua effectum. *Atqui* secundum thes. XIII. unum tantum Ens potest esse a se, Deus personalis. *Ergo,* quidquid praeter Deum personalem exsistit, sive sit substantia spiritualis sive sit substratum materiale, non est a se, est igitur contingens et effectum. *Atqui* et singulae substantiae spirituales et totum substratum materiale mundi corporei sunt res a Deo realiter diversae, ut patet ex refutatione pantheismi (thes. XXIII). *Ergo* sunt res contingentes et effectae.

(Prob. mai. probationis modo datae.) Quod non est a se et tamen exsistit, non absoluta necessitate exsistit, quia Ens unum a se exsistens, scl. Deus personalis, est prima causa non necessario, sed libere primum aliquid extra se producens (thes. XXXV). *Atqui,* quod non absoluta necessitate exsistit, est contingens; aliis verbis: per essentiam suam *in se* nihil est. Quod autem per essentiam suam *in se* nihil est et tamen realiter exsistit, evidenter est ens effectum. *Ergo,* quod non est a se et tamen exsistit, est ens contingens ab aliqua causa effectum.

447. *2. Eae res, de quibus diximus, non potuerunt effici nisi creatione ex nihilo.* Quod non potest oriri mutatione alicuius subiecti praeexsistentis, non potest effici nisi creatione ex nihilo. *Atqui* neque ulla substantia spiritualis neque substratum materiale mundi corporei mutatione alicuius subiecti praeexsistentis oriri potuit. *Ergo* eae res non potuerunt effici nisi creatione ex nihilo.

Prob. ult. min. p. partes.

a) Cum substantia spiritualis sit ordinis incomparabiliter superioris quam materia, manifesto non potest oriri mutatione materiae; neque potest oriri divisione alicuius spiritus praeexsistentis, quia omnis spiritus est substantia simplex. *Atqui,* quod neque illo neque hoc modo oriri potest, mutatione subiecti omnino oriri nequit. *Ergo* nulla substantia spiritualis oriri potuit mutatione alicuius subiecti praeexsistentis.

b) Quod neque divisione spiritus neque transformatione corporis oriri potuit, non potuit oriri mutatione alicuius subiecti. *Atqui* substratum materiale mundi corporei neque illo neque hoc modo oriri potuit; quia spiritus est indivisibilis et corpus substrato materiali non est prius, sed *natura saltem* posterius. *Ergo* substratum materiale mundi corporei non potuit oriri mutatione alicuius subiecti.

Cf. ad partem III. *S. Thom.,* S. th. 1, q. 61, a. 1 et 2 (de creatione angelorum); op. c. q. 90, a. 2 et 3 (de creatione animarum rationalium); op. c. q. 44, a. 2 (de creatione substrati materialis mundi corporei).

448. ***Obi. 1.*** Vivens corporeum potest sui simile efficere. *Atqui* angelus est perfectior quam vivens corporeum et consequenter perfectioris virtutis. *Ergo* etiam angelus potest sui simile effi-

cere. *Atqui* id non potest nisi angelum alium ex nihilo creando. *Ergo* angelus potest ex nihilo aliquid creare (cf. *S. Thom.*, S. th. 1, q. 45, a. 5).

Resp. I. *Conc. mai., conc. min., nego cons. 1. et consequentiam, conc. min. subs., nego cons. 2.* Ad cons. 1. negatum addita est negatio consequentiae, quia ille syllogismus quattuor continet terminos; in *mai.* enim „sui simile" significat substantiam substantiae corporeae vivae specifice similem, in *cons.* autem substantiam substantiae spiritualis specifice similem.

Resp. II. *Dist. mai.:* . . . sui simile secundum totam eius substantiam, *nego mai.*, sui simile, quatenus subiectum aliquod materiale praeexsistens ad formam formae suae similem vel adducit vel disponit, *conc. mai., conc. min., nego cons. 1.* ob disparitatem inter constitutionem substantialem viventis corporei et angeli. Angelus enim non constat subiecto materiali et forma substantiali, sed est forma pura. *Conc. min. subs., nego cons. 2.*

Substantiae corporeae vivae sui simile generant, quatenus de potentialitate materiae a Deo initio mundi creatae formam formae suae similem vel educunt vel materiam ad eiusmodi formam *disponunt tantum.* Brutum enim generans brutum et planta generans plantam de potentialitate materiae a Deo creatae formam beluinam resp. vegetalem vi generativa educunt, quatenus eam ita transmutant, ut vi huius transmutationis in ea oriatur forma beluina resp. vegetalis (cf. *S. Thom.*, Qq. disp. de pot. q. 3, a. 11, c. et ad 10). Homo autem hominem generans formam huius, scl. animam rationalem, nullo modo efficit, sed materiam *disponit* ad animam a Deo ex nihilo creandam (cf. *Haan*, Philos. nat. n. 207. Psychol. rat. auct. n. 499 sqq.).

449. ***Obi. 2.*** Ens creatum potest vincere indispositionem materiae respectu certae formae. *Atqui* ens, quod id potest, videtur etiam materiam ex nihilo creare posse. *Ergo* . . .

Prob. min. Ens, quod potest respectu materiae id efficere, quod est difficilius, etiam respectu eius efficere potest, quod est facilius. *Atqui* difficilius est aliquid in materia efficere, ad quod efficiendum certa eius ad novam perfectionem formalem indispositio vincenda est, quam ipsam materiam ex nihilo creare; nam in priori casu aliqua resistentia superanda est, in altero nulla. *Ergo* ens, quod in materia aliquid efficere potest, ad quod efficiendum certa eius indispositio vincenda est, eam etiam ex nihilo creare potest. *Atqui* ens creatum *illud* potest. *Ergo* materiam ex nihilo creare valet (*S. Thom.* l. c. obi. 2).

Resp. *Conc. mai., nego min. et cons., ad prob. min. conc. mai., nego min., ad rat. min. dist. ass.:* In priori casu est resistentia aliqua vincenda, simul autem habetur subiectum ad effectum in se recipiendum remote iam aptum, et in altero casu nulla quidem resistentia vincenda est, simul autem ex parte obiecti nihil adest, quod iuvet ad effectum producendum, *conc. ass. ceteris paribus,* in priori casu aliqua resistentia vincenda est, in altero nulla, *nego ass., nego cons.*

Perfectio potentiae agendi alicui effectui proportionatae *primarie* repetenda est ex disproportione inter id, quod ex parte obiecti efficiendi iuvat ad effectum gignendum, et ipsum hunc effectum. Iam vero illa disproportio in omni *mutatione* est finita tantum, quia in ea habetur subiectum, quod effectum *potentialiter* continet; in *creatione* autem *propter defectum omnis potentiae subiectivae effectum fundamentaliter* quodammodo inchoantis eadem disproportio est vere infinita.

450. ***Obi. 3.*** Non repugnat creaturam id efficere, ad quod efficiendum non videtur requiri nisi vis finita. *Atqui* ad totam aliquam substantiam finitam ex nihilo efficiendam non videtur requiri nisi vis finita. *Ergo* non repugnat creaturam totam aliquam substantiam finitam ex nihilo efficere (cf. *S. Thom.* l. c. obi. 3).

Resp. *Conc. mai., nego min. et cons. Min.* est neganda, quia virtus entis aliquid facientis non solum diiudicanda est secundum mensuram eius, quod fit, sed etiam secundum modum, quo fit.

„Quamvis igitur *creare* aliquem effectum finitum non demonstret potentiam infinitam, tamen *creare ipsum ex nihilo* demonstrat potentiam infinitam. . . Si enim tanto maior virtus requiritur in agente, quanto potentia est magis remota ab actu, oportet, quod virtus *agentis ex nulla praesupposita potentia,* quale agens est creans, sit infinita; quia nulla proportio est nullius potentiae ad aliquam potentiam, quam praesupponit virtus agentis naturalis, sicut *non entis* ad *ens*“ (*S. Thom.* l. c. ad 3).

Aliis verbis: Cum habetur subiectum effectum potentialiter continens, habetur iam aliquod ens inchoatum, quod solum est perficiendum; cum autem tota substantia ex nihilo producitur, neque perfectibile neque perfectio eius habetur, sed prorsus *non ens* sive *nihil.*

Art. 3.

De antiquitate creaturae in genere spectatae.

Thesis XLV.

451. **Nulla ratione probari potest res ab aeterno creatas esse.**

St. Q. Thesi proxima a nobis probatum est omnes substantias spirituales totamque materiam mundi corporei a Deo immediate ex nihilo creatas esse. Ex quo evidens est nullam esse substantiam singularem finitam, quae non secundum eam realitatem, secundum quam semper in ordine exsistentiae realis manet, sit opus immediatum Dei Creatoris ex nihilo factum.

Praeterea demonstravimus a Deo res ex nihilo creatas esse, non quia necessitate naturali ad eas creandas quodammodo urgebatur, sed quia consilio liberrimo voluntatis suae eas creare statuit, quamquam intellexit se absolute posse abstinere ab omni actione creatrice. Decretum autem liberum, quo statuit bonitatem suam creando secundum eius similitudinem entibus finitis communicare, ab aeterno est (thes. XXXV. XXXVI).

452. Quae cum ita sint, quaeritur, num Deus non solum ab aeterno decreverit res creare, sed etiam ab aeterno id, quod decrevit, exsecutus sit. Ad hanc quaestionem, quae mentes philosophorum mire agitavit, quid secundum rei veritatem respondendum sit, ex divina revelatione supernaturali omnino certum est. Ultimum enim Concilium oecumenicum Vaticanum haec docet: „Hic solus verus Deus ... liberrimo consilio simul *ab initio temporis* utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam, ac *deinde* humanam quasi communem ex spiritu et corpore constitutam“ (Constitutio de fide catholica, cap. 1, apud *Denzinger,* Enchiridion etc. [ed. 6] n. 1632, p. 387).

453. Eiusdem quaestionis investigatio philosophica in has tres partes dividi potest:

1. Potestne ulla ratione ostendi Deum non potuisse res creare nisi ab aeterno?

2. Estne saltem intrinsecus possibile aliquam rem a Deo creatam ab aeterno exsistere?

3. Potestne rationi conformiter asseri Deum ab aeterno effecisse materiam eiusque motum, ab aeterno produxisse viventia corporea homine inferiora, ab aeterno creasse animas humanas? Breviter: Potuitne hic mundus nobis notus secundum motum materiae et secundum substantias praecipuas, quibus constat, ab aeterno exsistere?

Ex his tribus quaestiunculis thesis nostra non spectat nisi primam; de altera dicemus scholio thesi adiecto, tertiam ad thesim XLVI. reiciemus.

454. *Probatur thesis ex eo, quod res creatae sunt effectus voluntatis liberae Dei.*

Res a Deo non aliter potuisse creari nisi ab aeterno nequit probari, nisi ostendatur creationem, quae non fuerit ab aeterno, repugnare aut ex parte Dei Creatoris aut ex parte actionis creatricis divinae aut ex parte rerum creatarum. *Atqui* nequit ostendi creationem, quae non fuerit ab aeterno, sub ullo horum respectuum repugnare. *Ergo* non potest probari res non aliter a Deo potuisse creari nisi ab aeterno.

Prob. min. per partes.

1. Ex parte Dei Creatoris nihil afferri potest, quod obstet creationi non aeternae, nisi decretum aeternum res creandi. *Atqui* hoc ei non necessario obstat. Nam ex eo, quod Deus ab aeterno decrevit res creare, nullo modo inferri licet eum ab aeterno decrevisse *res ab aeterno creare;* quodsi hoc ex illo decreto non sequitur, exsecutio eius sine ulla ratione dicitur ab aeterno fuisse. *Ergo* ex parte Dei Creatoris nihil afferri potest, quod obstet creationi non aeternae.

2. Actio creatrix creationi non aeternae propterea solum dici potest obstare, quod actio creatrix realiter est ipsa essentia divina absoluta necessitate ab aeterno exsistens. *Atqui* propter hanc rationem nequaquam est cum creatione non aeterna incompatibilis. Nam Dei essentia immutabilis exsequitur decretum creationis, quatenus formaliter est omnipotentia; porro eadem essentia formaliter est omnipotentia, quatenus est voluntas libera *per se sufficiens,* ad efficiendum

quidquid realitatis positivae intrinsecus possibile est; nequit autem ostendi esse intrinsecus impossibile *aliquam substantiam finitam a Deo ex nihilo effici instanti intra tempus indefinitum possibile ab aeterno libere praedefinito. Ergo* actio creatrix non obstat creationi non aeternae.

3. Res creatae *secundum se,* i. e. abstractione facta a libera creatione divina, nihil sunt nisi termini possibiles omnipotentiae divinae, quos Deus in essentia sua intelligit ut entia, quae secundum se nihil sint, nisi ipse libere aliter velit. *Atqui* eiusmodi res nullam exsistentiam exigunt, *a fortiori* igitur non exigunt exsistentiam, quae sit ab aeterno. *Ergo* ex parte rerum creatarum nihil obstat creationi non aeternae.

455. ***Obi. 1.*** Si mundus secundum esse substantiale rerum mundanarum incepit, possibile fuit cum esse, antequam erat. *Atqui* non potuit esse possibile mundum esse, antequam erat, nisi materia mundi ab aeterno fuit. *Ergo* haec ab aeterno fuit et consequenter ab aeterno creata est.

Prob. min. Mundum esse, antequam erat, non potuit esse possibile, nisi quia erat aliquid, quod potuit fieri mundus. *Atqui* nihil concipi potest, quod potuit fieri mundus, nisi materia mundi; ea enim est subiectum substans omnibus speciebus rerum mundanarum. *Ergo* materia mundi ab aeterno creata est (cf. *S. Thom.,* S. th. 1, q. 46, a. 1, obi. 1).

Resp. *Conc. mai., nego min. et cons., ad prob. min. dist. mai.:* . . . nisi quia erat aliquid in essentia divina intelligibile, a Deo ex nihilo effectibile, *conc. mai.,* . . . nisi quia erat aliquod subiectum a Deo realiter diversum, a Deo in mundum efformabile, *nego mai., contrad. min., nego cons.*

„Antequam mundus esset," inquit S. Thomas (l. c. ad 1), „possibile fuit mundum esse, *non quidem secundum potentiam passivam*" (i. e. non propterea, quia erat aliquod subiectum, ex quo mundus formari poterat), „quae est materia, sed secundum potentiam activam Dei: et etiam secundum quod dicitur aliquid absolute possibile, non secundum aliquam potentiam, sed ex sola habitudine terminorum, qui sibi non repugnant."

456. ***Obi. 2.*** Substantia, quae ita est, ut numquam possit non esse, si est creata, certe ab aeterno est creata. *Atqui* omnis substantia spiritualis finita, ut antea probavimus (thes. XLIII et thes. XLIV, pars III, n. 445 sqq.), creata est; est autem ita, ut numquam possit non esse. *Ergo* omnis substantia spiritualis finita ab aeterno creata est.

Prob. pars 2. min. Substantia creata prorsus incorruptibilis numquam potest non esse. *Atqui* omnis substantia spiritualis finita est substantia creata prorsus incorruptibilis. *Ergo* numquam potest non esse (cf. *S. Thom.* l. c. obi. 2).

Resp. *Dist. mai.:* Substantia, quae ita est, ut numquam possit non esse in ordine exsistentiae realis, *conc. mai.,* substantia, quae ita est, ut numquam possit esse substantia alius speciei, atque est, *nego mai., conc. part. 1. min., contrad. part. 2. min., nego cons., ad prob. min. dist. mai.:* Substantia creata prorsus incorruptibilis numquam potest non inveniri in ordine exsistentiae realis, *nego mai.,* quamdiu invenitur in eo ordine, tam diu habet unum idemque esse specificum, *conc. mai., conc. min., nego cons.*

457. ***Obi. 3.*** Mundus non potuit creari initio temporis, si initium temporis repugnat. *Atqui* repugnat. *Ergo* . . .

Prob. min. Non potuit esse aliquod initium temporis, nisi fuit aliquod instans temporis, ante quod non fuerit tempus. *Atqui* eiusmodi instans repugnat, quia omne instans temporis est simul finis temporis praeteriti et principium temporis futuri. *Ergo* . . . (cf. *S. Thom.* l. c. obi. 7).

Resp. *Conc. mai., nego min. et cons., ad prob. min. dist. mai.:* . . . aliquod instans ipsi tempori internum, *nego mai.,* aliquod instans ipsi tempori externum, *conc. mai., contrad. min., ad rationem additam dist. ass.:* Omne instans ipsi tempori internum, *conc. ass.,* instans ipsi tempori externum; aliis verbis: instans, a quo tempus incepit, et instans, in quo (secundum potentiam Dei absolutam saltem) tempus desinere potest, *nego ass.*

„Prius et posterius est in tempore, secundum quod prius et posterius est in motu. Unde principium et finis accipienda sunt in tempore, sicut et in motu" (*S. Thom.* l. c. ad 7). Motus vero ab aeterno exsistens, ut iam saepius ostendimus, sibi intrinsecus repugnat. Incipit autem motus (et ex consequenti tempus) ab instanti indivisibili sibi *externo,* non vero ab eiusmodi instanti sibi *interno,* quia motus est *continuum successivum;* continuum autem non constat partibus indivisibilibus, sed indivisibilia continet tantum ut terminos extremos actuales et ut terminos internos potentiales sive per intellectum assignabiles. Quae fuit ratio, ob quam scholastici dicebant: *„Motus incipit ab ultimo sui non-esse et desinit in primum sui non-esse"* (cf. de tempore *Haan,* Philos. nat. n. 92 sqq. *T. Pesch,* Philos. nat. p. 481 sqq.; *ibid.* De natura motus n. 386 sqq.).

458. ***Obi. 4.*** Si mundus non est ab aeterno, Deus non solum

natura, sed etiam *duratione* prior fuit mundo. *Atqui* id concedi nequit. *Ergo* mundus est ab aeterno.

Prob. min. Si Deus duratione prior est mundo, ante mundum fuit tempus; quia prius et posterius in duratione constituunt tempus. *Atqui* non potuit esse tempus ante mundum, quia tempus sequitur motum mundanum. *Ergo* concedi nequit Deum duratione priorem fuisse mundo (cf. *S. Thom.* l. c. obi. 8).

Resp. *Conc. mai., nego min. et cons., ad prob. min. dist. mai.:* Si mundo prior fuit duratione mutabili, *conc. mai.,* si mundo prior fuit duratione omnino immutabili et aeterna, *nego mai., ad rat. mai. dist. ass.:* Status prior et status posterior *eiusdem rei durantis inter se realiter diversi* constituunt tempus, *conc. ass.,* res immutabilis prior et res mutabilis posterior ab illa effecta constituunt tempus, *nego ass., conc. min. et rat. add.* (sumendo mundum pro omni creatura et tempus pro omni duratione successiva, et motum pro omni reali mutatione rei interna), *nego cons.*

459. ***Obi. 5.*** Posita causa sufficienti ponitur effectus. *Atqui* Deus per decretum aeternum liberum creandi est causa sufficiens mundi ab ipso effecti. *Ergo* mundus ab aeterno exsistit (cf. *S. Thom.* l. c. obi. 9).

Resp. *Dist. mai.:* Posita causa sufficienti, quae naturali necessitate agat, *conc. mai.,* posita causa sufficienti, quae usu arbitrii liberi respectu effectus polleat, *nego mai., conc. min., nego cons.*

Obi. 6. Cuius actio est aeterna, eius effectus est aeternus. *Atqui* actio, qua Deus creat mundum, est aeterna, quia realiter idem est atque substantia divina. *Ergo* effectus Dei sive mundus a Deo creatus est aeternus (cf. *S. Thom.* l. c. obi. 10).

Resp. *Dist. mai.:* Cuius actio est aeterna secundum realitatem sibi internam, sed ita, ut ab aeterno referatur ad effectum initio temporis ponendum, *nego mai.,* cuius actio est aeterna secundum realitatem sibi internam, idque ita, ut ab aeterno referatur ad effectum ab aeterno ponendum, *conc. mai., contrad. min., nego cons.*

Actio, qua Deus mundum produxit, est substantia divina *qua voluntas libera.* Haec voluntas libera ab aeterno instans mundi de nihilo creandi praedefinivit, et sine sui mutatione pro omnipotentia sibi essentiali instanti praedefinito mundum de nihilo creavit. Potest igitur dici actio creatrix ab aeterno fuisse *ut actio creationem decernens et instans creationis praefiniens,* sed non ut *actio decretum creationis instanti praefinito exsequens.*

460. ***Obi. 7.*** Si mundi fuit initium, ante mundum fuit tempus, quo mundus non erat, i. e. tempus vacuum (eine leere Zeit, an empty time). *Atqui* durante tempore vacuo mundus non potuit incipere exsistere, quia nulla pars illius temporis ulla condicione vel exsistentiae vel non-exsistentiae praedita est, qua ab alia eiusdem parte distinguatur. *Ergo,* licet *in mundo* multae rerum series incipere possunt, *mundus ipse* incipere nequit (*Kant,* Kritik der reinen Vernunft: Erster Widerstreit der reinen Vernunft [ed. 3] p. 455, in versione anglica a *Max Müller* facta p. 369).

Resp. *Dist. mai.:* ... tempus reale, quo mundus non erat, *nego mai.,* tempus possibile in aeternitate Dei durante a Deo intelligibile, *conc. mai., contrad. min., ad rat. min. nego suppositum asserti,* quod ea continetur, scl. tempus vacuum fuisse ante mundum *tamquam realitatem sui generis, nego cons.*

Nota. Praeter obiectiones allatas contra thesim verti possunt eae obiectiones, quae contra thesim XLIII. factae sunt, quatenus ea thesi asseritur Deum non naturali necessitate, sed libere creasse mundum (cf. n. 436, obi. 5, et n. 437); quae obiectiones ulterius urgeri possunt impugnando ipsam libertatem arbitrii divini. Vide modum huius impugnationis ad thes. XXXV., n. 365 sqq.

461. *Scholion. De possibilitate creationis aeternae.*

Aliud est quaerere, num Deus *non potuerit* creare nisi ab aeterno; aliud, num *potuerit saltem* creare ab aeterno. Ex thesi, quam modo defendimus, patet nullam esse aeternae creationis necessitatem. Fide revelationis supernaturalis ab Ecclesia declaratae tenemus nullas res ab aeterno esse creatas. Quibus suppositis iam quaeritur, num Deus *potuerit* aliquid ab aeterno creare. Haec quaestio, cum Deus sit omnipotens, et res creabilis secundum se considerata intrinsecus possibilis, aequivalet huic: Estne interna repugnantia *in re finita ab aeterno exsistente?* Ad hanc internam repugnantiam ostendendam quattuor potissimum rationes afferuntur, quae tamen *non usquequaque sunt evidentes,* id quod ex responsis, quae iis adiciemus, patebit.

Ratio 1. Creatura ab aeterno creata est effectus, quo causa non fuerit prior. *Atqui* eiusmodi effectus sibi intrinsecus repugnat. *Ergo* creatura ab aeterno creata sibi intrinsecus repugnat.

Resp. *Dist. mai.:* ... effectus, quo causa *duratione* non fuerit prior, *conc. mai.,* effectus, quo causa *natura* et *necessitate naturae* non fuerit prior, *nego mai., contrad. min.* et *nego cons.*

Ratio 2. Creatura est res de nihilo facta. *Atqui* creatura ab aeterno exsistens non est res de nihilo facta. *Ergo* creatura ab aeterno exsistens sibi intrinsecus repugnat.

Resp. *Dist. mai.:* i. e. res, cuius antea nihil erat, *nego mai.*, donec probes aeternam creationem esse impossibilem; i. e. res, quae secundum totum esse suum in se subsistens a Deo ut a causa efficiente est, *conc. mai., contrad. min., nego cons.*

Ratio 3. Res creata non potest concipi incepisse exsistere nisi determinato aliquo instanti. *Atqui,* si ab aeterno est, non incepit exsistere determinato aliquo instanti. *Ergo* non potest concipi incepisse exsistere ab aeterno.

Resp. *Conc. mai., conc. min. et cons.* Probandum est effectionem rei aeternae sive rei, *cuius non sit initium,* sibi intrinsecus repugnare. Id autem ea ratione minime probatur.

462. ***Ratio 4.*** Creatura ita durat, ut nullum momentum in eius duratione assignari possit, quo non possit mutari saltem accidentaliter. *Atqui,* si esset ab aeterno, ita durare non posset, quia secus admittendum esset in eius duratione potuisse esse successionem ab aeterno, id quod dudum ostendimus sibi repugnare. *Ergo* nulla creatura ab aeterno durare potest.

Resp. *Dist. mai.:* Omnis creatura nobis naturali ratione investigabilis, *conc. mai.,* omnis omnino creatura possibilis, *subd. mai.:* suppositis iis, quae de mutabilitate creaturarum ex revelatione divina concluduntur, id dicendum est, *conc. mai.,* naturali rationis lumine solo evidens est, *nego mai.,* donec probes inter infinitos gradus perfectionis essentialis, qui Deo intelligibiles sunt in sua essentia ut ab ipso effectibiles, nullum haberi, qui non involvat *perfectam immutabilitatem physicam. Dist. min.:* Si esset ab aeterno et simul esset essentialiter physice perfecte immutabilis, *nego min.,* secus, *conc. min., nego cons.*

Insto. Naturaliter evidens est Deum eiusmodi creaturam numquam non potuisse annihilare et dein iterum in exsistentiam vocare; quo admisso cum eius exsistentia connectitur possibilitas successionis ab aeterno.

Resp. *Dist. ass.:* Spectata sola omnipotentia Dei nobis id non videtur repugnare, neque ex ullo attributo divino nobis evidens est id repugnare, *conc. ass.,* nobis *naturaliter evidens* est annihilationem eiusmodi creaturae esse sapientia divina dignam et consequenter simpliciter intrinsecus possibilem, *nego ass.* Quod sapientiae Dei repugnat, id dicendum est esse absolute impossibile; nam „nihil potest esse in potentia divina, quod non possit

esse in voluntate iusta ipsius et intellectu sapienti eius" (cf. *S. Thom.*, S. th. 1, q. 25, a. 5).

Insto iterum. Creatura sub omni respectu perfectionis suae infinite distat a Deo. *Atqui* eiusmodi creatura sub respectu *durationis* perfectionis suae a Deo infinite non distaret, sed ei potius aequalis esset. *Ergo* eiusmodi creatura evidenter absurda est.

Resp. *Conc. mai., nego min.*, quia duratio perfectionis illius creaturae esset *ad nutum irrevocabilem voluntatis liberae divinae* et consequenter *infinite distaret* a durationc perfectionis divinae, quae *essentialiter est durans.*

463. Ceterum cum Angelico fatendum est durationem rerum finitarum temporariam multum conferre ad finem creationis, scl. gloriam Dei externam.

„Finis . . . divinae voluntatis", inquit ille, „in rerum productione est eius bonitas, in quantum per causata manifestatur. Potissime autem manifestatur divina bonitas et virtus per hoc, quod res aliae praeter Ipsum (scl. Deum) non semper fuerunt; ex hoc enim manifeste apparet, quod res aliae praeter Ipsum ab Ipso esse habent, quia non semper fuerunt. Ostenditur etiam, quod non agit per necessitatem naturae, et quod virtus sua est infinita in agendo; hoc enim convenientissimum fuit divinae bonitati, ut rebus creatis principium durationis daret" (Contra gent. lib. 2, cap. 38, § „Potest autem efficacius" etc.).

Art. 4.

De antiquitate mundi nobis noti in concreto spectati.

Thesis XLVI.

464. **Motum materiae vel generationes viventium corporeorum, imprimis hominum, ab aeterno fuisse sibi intrinsecus repugnat.**

St. Q. *S. Thomas,* S. th. 1, q. 46, a. 2, docet sola fide omnino certum esse mundum non fuisse ab aeterno. Sed, cum hoc dicit, mundum considerat in abstracto. Ad difficultatem enim 8. contra aeternitatem mundi ex impossibilitate generis humani ab aeterno exsistentis desumptam ea respondet, quae manifesto ostendant ipsi videri hanc difficultatem vere insuperabilem et propterea tantum inefficacem ad thesim

suam evertendam, quia difficultas procedat ex consideratione alicuius partis principalis mundi in concreto spectati, non vero ex natura mundi in abstracto considerata; thesim autem a se statutam non esse intelligendam nisi de mundo in abstracto. En verba eius: „Considerandum tamen, quod haec ratio *particularis* est. Unde posset dicere aliquis, quod *mundus* fuit aeternus, vel *saltem aliqua creatura,* ut angelus, *non autem homo. Nos autem intendimus universaliter, an aliqua creatura fuerit ab aeterno.*"

465. Ex his verbis clare videmus S. Thomam mutasse sententiam suam quoad possibilitatem exsistentiae aeternae generis humani. Nam sub finem opusc. *De aeternitate mundi* ita loquitur, ut videatur dicere evidenter non posse demonstrari sibi repugnare generationes hominum fuisse ab aeterno. Dicit enim: „Adhuc non est demonstratum, quod Deus non possit facere, ut sint infinita actu." Utique, si Deus id posset facere, impossibilitas metaphysica mundi aeterni, in quo semper fuerint homines, eo argumento, quo l. c. obi. 8. demonstratur, demonstrari non posset; quamquam mihi videtur evidens eam nihilominus demonstrari posse ex interna repugnantia successionis, quae fuerit ab aeterno. Sed ipse S. Thomas demonstrationem nobis facillimam reddidit eo ipso, quod in Summa theologica (q. 7, a. 4) indubitanter asseruit et clare probavit omnem multitudinem actu infinitam rerum exsistentium simpliciter rationi repugnare (cf. probationem, quam ex S. Thoma attulimus n. 221). Et haec ratio eum movit, ut q. 46, a. 2 ad 8 concederet hominem non potuisse ab aeterno esse, quia secus admittendum esset nunc esse (vel saltem esse posse) infinitas animas humanas actu.

466. Ex quibus vides nos non adversari menti Angelici, cum possibilitatem mundi ab aeterno creati, in quo sint motus successivi et generationes hominum, omnino negamus. Eo ipso autem negatur possibilitas aeternae creationis mundi talis, qualis hic mundus nobis notus revera est. Qua de re nobiscum sentit Zigliara: „Quaestio de possibilitate aeternae creationis", inquit, „potest respicere mundum, ut nunc est, vel simpliciter aliquam creaturam, sive ex his, quae in mundo sunt, sive ex his, quae ut possibiles saltem a Deo intelliguntur. Existimo autem mundum, uti nunc est, non potuisse ab aeterno

creari, quidquid in contrarium suadere conetur P. Guerinos Ord. Praedic. in suo Clypeo philosophiae thomisticae tom. III, q. 1, a. 2. Etenim si creatio ista foret possibilis, consequi videtur, quod in successione ab aeterno usque ad praesens forent, in facta hypothesi, *actu infinitae* successiones vel in tempore vel in motu vel in generatione vel saltem in cogitationibus alicuius mentis creatae, quam infinitatem in actu in Ontologia demonstravimus repugnare. Nec huic nostrae sententiae contrarius est S. Thomas“ (Summa philosophica 2, p. 38 sq.).

Cum autem huic sententiae S. Thomas non sit contrarius, alii doctores, ut Alexander Halensis, B. Alb. Magnus, S. Bonaventura ei aperte patrocinantur.

467. Pars I. Motus materiae non potuit esse ab aeterno.

Arg. 1. (Ex impossibilitate multitudinis actu infinitae.) Cum S. Thoma a nobis evidenter demonstratum est multitudinem actu infinitam rerum exsistentium sibi repugnare. *Atqui,* si motus materiae ab aeterno est, ante momentum praesens exstitit continuum aliquod successivum, quod contineret partes aliquotas quae dicuntur, actu infinitas, consequenter multitudinem actu infinitam. *Ergo* motus materiae non potuit esse ab aeterno.

Ad min. Quamcumque durationem finitam sumis pro mensura motus, qui fuerit ab aeterno, illa non potest in hoc contineri numero finito tantum. *Ergo* continetur in eo numero actu infinito; aliis verbis: duratio motus aeterni usque ad praesens momentum elapsi multitudinem actu infinitam durationum finitarum complectitur.

Arg. 2. (Ex repugnantia interna successionis aeternae.) Ratio motus ex conceptu suo includit prius et posterius. *Ergo* materia mundi non potuit ab aeterno moveri, nisi quatenus in ea ab aeterno inveniebatur certus modus exsistendi alium exsistendi modum sequens. *Atqui* modus exsistendi alium exsistendi modum sequens non potuit ab aeterno in materia inveniri, quia id non potest esse ab aeterno, quod est post aliud, consequenter ne id quidem, quod essentialiter constat ex reali modo exsistendi priori et alio reali modo exsistendi, qui illo est posterior. *Ergo* motus materiae non potuit esse ab aeterno.

468. Pars II. Generationes corporum viventium non potuerunt esse ab aeterno.

Si generationes corporum viventium ab aeterno fuerunt, manifesto ab aeterno corpora viva nova generatione orta corporibus vivis iam exsistentibus addita sunt. Consequenter multitudo corporum, quae ante momentum praesens exstitit, est actu infinita, et successio eorum est absque initio. *Atqui* utrumque evidenter involvit internam repugnantiam, ut ex parte I. modo probata patet. *Ergo* generationes corporum viventium non potuerunt esse ab aeterno.

Pars III. Speciatim repugnat generationes hominum fuisse ab aeterno.

Ut in Psychologia ostendimus, unaquaeque anima humana est substantia spiritualis, incorruptibilis; consequenter a Deo in aeternum servatur; *a fortiori* igitur *non repugnat Deum unamquamque animam creatam in aeternum servare. Quo supposito ita arguo:* Si generationes hominum rationalium ab aeterno exstitissent, numerus animarum humanarum nunc simul exsistere posset actu infinitus. *Atqui* eiusmodi numerus rationi repugnat. *Ergo* generationes hominum manifesto non potuerunt esse ab aeterno.

469. *Difficultates* contra hanc thesim moveri possunt urgendo rationes, quibus Aristoteles probare conatus est motum necessario esse ab aeterno (cf. *Aristot.,* Phys. lib. 8, c. 1 et 6). S. Thomas eas exponit et refutat Comment. in lib. 8 Phys. Aristot. lect. 1. 2 (cf. *ibid.* lect. 13, § „Secundam rationem").

Obi. 1. Mobile praecedit motum. *Atqui* non potuit eum praecedere, nisi productum erat; neque potuit produci nisi motu, qui et ipse alio motu debuit produci et ita in infinitum. *Ergo* motus necessario est ab aeterno.

Resp. *Dist. mai.:* Mobile praecedit motum *natura saltem, conc. mai.,* tempore, *subd. mai.:* omnem partem assignabilem motus, *conc. mai.,* necessario quoque ipsum initium motus, *nego mai., conc. part. 1. min., nego part. 2. min.,* quia mobile potuit a Deo ex nihilo creari, id quod probavimus thes. XLIII.

Obi. 2. Tempus non est sine motu. *Atqui* tempus est aeternum, quia quodvis *nunc* est principium temporis futuri et finis temporis praeteriti. *Ergo* etiam motus est aeternus.

Resp. *Conc. mai.* (quia agitur de tempore continuo huius mundi corporei, non de tempore discreto in mentibus angelicis), *nego min., ad rationem min. dist. ass.:* Quodvis *nunc* praeter illud, quod est principium totius temporis, *conc. ass.*, non fuit ullum *nunc*, a quo totum tempus inceperit, *nego ass., nego cons.*

Obi. 3. Si tempus ab aliquo *nunc* incepit, ante illud nunc non fuit tempus. *Atqui* id admitti nequit, quia, qui dicit „*ante*", designat tempus aliquod elapsum. *Ergo* tempus est absque initio.

Resp. *Conc. mai., nego min., ad rationem min. dist. ass.:* Omne „*ante*", quod concipitur ut instans in tempore vel ut pars temporis, *conc. ass.*, omne „*ante*", quod designat aliquam durationem certo tempore priorem, *nego ass.* („*ante*", quod praecedit initium temporis, designat aeternitatem Dei), *nego cons.*

470. ***Obi. 4.*** Primus motor est prorsus immobilis et perpetuus. *Ergo* primus motor semper se habet eodem modo. *Atqui* non potest semper eodem modo se habere, quin sequatur, ut res, quae ab eo moventur, semper moveantur, si aliquando moventur. Res autem ab eo aliquando moventur, quia nunc est motus. *Ergo* res ab aeterno in aeternum moventur.

Resp. *Conc. ant. et cons. mai., nego min. et cons. Minor* est neganda, quia primus motor agit per omnipotentiam voluntatis suae liberae sine ulla sui mutatione. Quare immobilis in se perseverans instanti ab aeterno libere praefinito motum rerum efficit, mutat, sistit, prout ipsi placet.

Caput II.

De rerum conservatione.

Art. unicus.

Ostenditur res omnes a Deo directe servari in esse.

Thesis XLVII.

471. **Deus omnia, quae sunt, directe conservat in esse.**

St. Q. Is aliquid dicitur conservare, qui actione sua aliquo modo efficit, ut illud permaneat. Quod fieri potest vel indirecte vel directe. Indirecte aliquid conservat, qui ab eo arcet causas corrumpentes. Qui vero ipsum esse alicuius rei influxu suo sustentat, directe eam conservat. Ita homo virtutem acquisitam indirecte conservat evitando

occasiones vitii; directe autem exercendo actus habitui virtutis correspondentes. Nulla autem creatura id servare valet, quod sola creatione divina oriri potest; quare conservationi divinae soli debetur permansio uniuscuiusque particulae materiae secundum esse ipsius materiale spectatae, nec non permansio uniuscuiusque substantiae spiritualis in esse suo specifico. Ea autem conservatio non est indirecta, sed directa, quia non solum unaquaeque substantia simplex et spiritualis *qua talis* est prorsus incorruptibilis, sed etiam materia, *prout opponitur formis, quibus specificabilis est* (cf. *S. Thom.*, S. th. 1, q. 104, a. 4, c.). Neque huic doctrinae Angelici obstat defectus *essendi,* quem saepe dicit materiae esse proprium. Cum enim materiae negat omne *esse,* id intelligit de *esse* sensu strictiori accepto, i. e. de *esse in se subsistenti ut in specie completo.* Docet enim materiae *qua materiae primae* aliquod esse convenire, vi cuius ei insit similitudo esse divini (S. th. 1, q. 14, a. 11 ad 3), et vi cuius sit aliquid, quod a Deo et ab angelo *in se* sive *directe* cognoscatur (Qq. disp. de ver. q. 10, a. 5, c. sub fin.). Secundum hoc esse quasi fundamentale considerata omnis creatura corporea in ordine exsistentiae semper manet (S. th. 1, q. 104, a. 4, c. et ad 3). Ad quod factum respicientes ambitum directae conservationis *exclusive* divinae his verbis S. Thomae exprimimus: „Dependet . . . esse cuiuslibet creaturae a Deo ita, quod nec ad momentum subsistere possent, sed in nihilum redigerentur, nisi operatione divinae virtutis conservarentur in esse“ (S. th. 1, q. 104, a. 1, c.). Poteris hanc veritatem modo terminologiae modernae magis congruo etiam ita exhibere: *Soli* virtuti divinae conservatrici debetur, quod omne subiectum materiale manet qua subiectum, cui semper debeatur *aliqua* forma, qua vel ut totum aliquod vel ut pars alicuius totius in se subsistat; et eidem virtuti divinae conservatrici *soli* debetur, quod animae rationales et spiritus puri non cessant exsistere.

472. Haec igitur primaria et directa rerum conservatio est immediate divina; ea autem supposita causae creatae tum indirecte tum directe conservant esse specificum corporum homine inferiorum et esse multorum accidentium. „Cum enim sunt multae causae ordinatae, necesse est, quod effectus

dependeat primo quidem et principaliter a causa prima, secundario vero ab omnibus causis mediis. Et ideo principaliter quidem prima causa est effectus conservativa, secundario vero omnes mediae causae" (*S. Thom.*, S. th. 1, q. 104, a. 2, c.).

Divina rerum conservatio directa aliquando dicitur *creatio continuata*, non quod res semper in nihilum relabantur et a Deo continuo de nihilo ad esse reducantur (quae est fictio *Bayle*, Diction. art. Pyrrhon.), sed quia „conservatio rerum a Deo non est per aliquam novam actionem, sed per continuationem actionis, qua dat esse" (*S. Thom.*, S. th. 1, q. 104, a. 1 ad 4).

Aliis verbis: Deus rem aliquam de nihilo creat, quatenus sola sua voluntate omnipotenti efficit, ut ea res *oriatur* secundum totam substantiam suam; eam autem directe conservat, quatenus sola voluntate sua omnipotenti efficit, ut res secundum totam substantiam suam iam orta *maneat* vel tota vel saltem secundum materiam suam. Effectus igitur conservationis ab effectu creationis non *realiter*, sed *ratione cum fundamento in re tantum* distinguitur. Cum dicimus aliquam rem de nihilo creatam esse, connotamus eam per solam essentiam suam numquam fuisse; cum dicimus eam a Deo directe et immediate conservari, connotamus essentiam eius qua essentiam realiter a Deo diversam iam fuisse quidem, sed numquam esse nisi sola virtute divina.

473. *Arg. 1. (Ex contingentia creaturae.)*

Substantia creata totum *esse* suum debet omnipotentiae voluntatis Dei, absque cuius efficientia *in se* nihil est; consequenter *esse* eius non est nisi ad nutum voluntatis Dei. *Atqui*, quod non est nisi ad nutum voluntatis Dei, non perseverat in *esse*, nisi quamdiu Deus vult, ut *sit*, et quamdiu consequenter omnipotentia voluntatis suae conservat *esse* eius. *Ergo* substantia creata non perseverat in *esse*, nisi Deus continuo dat *esse* eius; aliis verbis: nisi Deus directe eam conservat.

Arg. 2. (Ex defectu subiecti, quod esse creatum sustentet.)

Effectus, causalitate causae efficientis cessante, perseverare nequit, nisi sit receptus in aliquo subiecto, quod aptum sit ad eum sustentandum, et simul absque influxu causae, a qua effectum in se recepit, in ordine exsistentiae manere possit.

Atqui effectus creationis non recipitur in aliquo subiecto realiter ab ipso distincto, quod aptum sit ad eum sustentandum, quia ipse est *aliquod esse in se subsistens*. *Ergo* sine influxu Dei omnipotentis nullo momento manere potest.

Arg. 3. (Ex eo, quod sola conservatione divina impediri potest annihilatio creaturae.)

Cum nulla creatura vi naturae suae solius exsistentiam ulteriorem exigat, ab influxu Dei pendet, quod ipsa non annihilatur (cf. *S. Thom.*, S. th. 1, q. 104, a. 3). *Atqui* hoc ab influxu divino pendere non posset, si creatura non indigeret conservatione divina, quia nulla concipi potest annihilatio, quae non oriatur subtractione conservationis. *Ergo* nulla creatura retinet esse nisi vi conservationis divinae.

474. ***Obi. 1.*** Angelus non potest esse et non esse. *Atqui* qui non potest esse et non esse, non indiget directa conservatione divina. *Ergo* angelus ea non indiget (*S. Thom.*, S. th. 1, q. 104, a. 1, obi. 1).

Resp. *Dist. mai.:* . . . i. e. vi essentiae suae solius necessario est, *nego mai.*, . . . i. e. quamdiu exsistit, non potest amittere esse suum specificum, *conc. mai., contrad. min., nego cons.*

Obi. 2. Deus effectus suos melius producit quam ulla causa creata. *Atqui* causa creata effectus suos saepe ita bene producit, ut hi maneant sine eius influxu continuo. *Ergo a fortiori* Deus effectus suos ita bene producit, ut maneant sine influxu ipsius continuo (*S. Thom.* l. c. obi. 2).

Resp. *Conc. mai., dist. min.:* . . . quia eos producit in subiecto a Deo creato et ad eos sustentandos naturaliter apto, *conc. min.*, aliter, *nego min., nego cons.*, ob manifestam disparitatem; nam effectus Dei Creatoris nullum subiectum ad eos sustentandos naturaliter aptum supponunt, cum sint producti *ex nihilo sui et subiecti*. Porro, quod multi effectus causarum creatarum absque continuo earundem influxu manent, potius efficaciae actionis divinae debetur quam efficaciae actionis ipsarum. Nam subiectum, quod earum effectus sustentat, non est ab ipsis, sed a Deo solo factum.

475. ***Obi. 3.*** Quod per se non tendit in nihil, manet absque causa conservante. *Atqui* neque substantia ulla spiritualis neque substratum ullum materiale per se tendit in nihil. *Ergo* neque substantiae spirituales neque substrata materialia mundi corporei pendent a causa conservante (*S. Thomas* l. c. obi. 3).

Resp. *Dist. mai.:* Quod per se non *positive* tendit in nihil sive quod non appetit non esse, *nego mai.*, quod per se non tendit in nihil *negative*, i. e. quod vi essentiae *exigit*, ut maneat, *conc. mai., contrad. min., nego cons.*

Obi. 4. Si Deus creaturam conservat, actione eius conservatrice aliquid fiat in creatura necesse est. *Atqui* nequit intelligi, quid hoc sit; neque enim potest *esse* creaturae haberi effectus conservationis, cum sit effectus creationis; neque potest effectus conservationis haberi aliquid ad *esse* creaturae superadditum, quia sequeretur Deum continuo augere realitatem singularum creaturarum. *Ergo* Deus res non directe conservat (*S. Thom.* l. c. obi. 4).

Resp. *Dist. mai.:* . . . aliquid a creatura realiter distinctum, *nego mai.*, . . . *esse* creaturae exsistenti identicum, *conc. mai., nego min., ad rationem min. dist. ass. 1.: esse* creaturae secundum primam suam originem consideratum non potest esse effectus conservationis, *conc. ass., esse* creaturae secundum permansionem suam spectatum, *nego ass. 1., conc. ass. 2., nego cons.*

476. ***Obi. 5.*** Qui docet Deum omnes res in *esse* directe conservare, consequenter docere debet Deum omnes *immediate* in *esse* servare. *Atqui* hoc admitti nequit. *Ergo* . . .

Prob. mai. Conservatio directa *realiter* est eadem actio atque creatio. *Atqui* creatio est actio Dei *immediata*. *Ergo* etiam conservatio directa.

Prob. min. Multis creaturis inest vis conservatrix etiam directa. Ita sol luce sua directe conservat visibilitatem colorum; philosophus libera applicatione directe conservat suam ad aliquod problema philosophicum attentionem etc. *Ergo* nequit admitti Deum immediate omnes res in esse servare.

Resp. *Dist. mai.:* . . . omnes res secundum illud *esse* spectatas, cuius non est subiectum, de cuius potentialitate eductum sit, sed quod sola creatione de nihilo oriri possit, *conc. mai.*, . . . omnes res, quatenus spectantur secundum formas vel substantiales vel accidentales de potentialitate alicuius subiecti eductas, *nego mai., contrad. min., nego cons.*

Ad prob. mai. Conservatio directa rei de nihilo sui et subiecti factae, *conc. mai.*, conservatio formae vel substantialis vel accidentalis de potentialitate alicuius subiecti eductae, *nego mai., conc. min., dist. cons. ut mai.*

Ad prob. min. Dist. ant.: . . . rei alicuius de nihilo sui et subiecti factae, *nego ant.*, . . . rei alicuius de potentialitate alicuius subiecti eductae, *subd. ant.*, vis conservatrix a Deo secun-

dum realitatem et applicationem suam independens, *nego ant.*, . . . a Deo omnino dependens, *conc. ant.*, *nego cons.* (cf. *S. Thom.*, S. th. 1, q. 104, a. 2 per totum).

477. *Scholion. Num Deus ullam substantiam creatam annihilaturus sit* (cf. *S. Thom.*, S. th. 1, q. 104, a. 3 et 4).

Cum *esse* cuiuslibet substantiae finitae voluntate libera Dei effectum sit et ab hac voluntate continuo pendeat, dubitari nequit, quin Deus creaturas *absolute possit* annihilare. Nihilominus dicendus est nullam esse annihilaturus.

Ea enim, quae a Deo circa creaturas fiunt, aut sequuntur cursum naturalem rerum aut sunt eventus miraculosi. Annihilatio autem alicuius creaturae secundum cursum naturalem rerum fieri nequit, quia nulla est creatura, quae annihiletur ullo influxu causarum naturalium. Creatura enim unaquaeque spiritualis secundum esse suum specificum prorsus incorruptibilis est; creaturae autem materiales „saltem semper remanent secundum materiam, quae incorruptibilis est utpote *subiectum exsistens* generationis et corruptionis“ (*S. Thom.* l. c. a. 4, c.).

478. Neque convenit Deum *miraculose* alicui operi ab ipso de nihilo creato conservationem subtrahere. Nam quod miraculose fit, ordinatur ad gratiae manifestationem sive ad creaturis rationalibus melius manifestandam potentiam et bonitatem Dei. Sed annihilatio ad id non pertinet, „cum magis per hoc divina bonitas et potentia ostendatur, quod res in esse conservat“ (*S. Thom.* l. c.). „Unde simpliciter dicendum est“ (ita concludit Angelicus), „quod *nihil omnino in nihilum redigetur.*“ Neque huic asserto obstat, quod non solum accidentia, sed etiam formae substantiales *mere informantes,* quales sunt animae viventium homine inferiorum, oriuntur et *cessant* esse. Nam „formae et accidentia non sunt entia completa, cum non subsistant; sed quodlibet eorum est aliquid entis: sic enim ens dicitur, quia eo aliquid est. Et tamen eo modo, quo sunt, non omnino in nihilum rediguntur, non quia aliqua pars eorum remanet, sed remanent in potentia materiae vel subiecti“ (*S. Thom.* l. c. ad 3). Aliis verbis: Illud solum sensu stricto annihilari potest, de quo ***esse*** sensu stricto acceptum praedicandum est; sensu stricto autem non dicitur *esse* nisi *substantia in se subsistens* eaque in se subsistens aut sub forma vel sibi concreata vel de potentialitate ipsius educta, aut qua

substantia in se completa. Primo modo materia prima *est* et *in se subsistit* (*S. Thom.*, S. th. 1, q. 44, a. 2 ad 3 et q. 66, a. 1 ad 3), alio modo angelus et minus perfecte etiam anima rationalis. Quare nihil sensu stricto annihilatur, dummodo maneant omnes particulae materiae primae, omnes angeli, omnes animae rationales. Revera mansuras esse omnes particulas materiae solo lumine naturali vix rationibus magis efficacibus ostendi potest quam iis, quas supra ex S. Thoma attulimus; mansuras autem esse animas rationales (a *fortiori* igitur angelos) specialibus rationibus in Psychologia ostendimus (cf. Psychol. rat. n. 450 sqq.).

Caput III.

De divina in rebus operantibus operatione sive de concursu divino.

Praenotanda. Hucusque egimus de influxu Dei in *esse* creaturarum, quod *esse* ostendimus quoad originem suam deberi divinae ex nihilo creationi, quoad durationem directae conservationi divinae. Iam quaeritur, num et quomodo Deus influat in creaturarum operationes. Quam quaestionem S. Thomas solvit enumerando varios modos, quibus Deus in creaturis operantibus operetur (S. th. 1, q. 105, a. 5). Scholastici S. Thoma posteriores divinum in creaturas *qua operantes* influxum vocare solent concursum Dei, quo termino Angelicus, quantum scio, numquam utitur. Duae autem de concursu divino quaestiones praecipuae solvendae sunt: 1. num omnis actio creaturae *sub aliquo saltem respectu* immediate efficiatur a Deo; 2. utrum divina actionis creaturae efficientia immediata sit actio creaturam ad unam certam actionem praedeterminans, an sit ipsa actio creaturae a Deo immediate pendens ut ab universali et absolute independenti causa omnis realitatis positivae finitae.

Art. 1.

Ostenditur Deum cum omnibus creaturis ad agendum immediate concurrere.

Thesis XLVIII.

479. Deus in omnibus actionibus creaturarum immediate concurrit. (Cf. *S. Thom.*, S. th. 1, q. 105, a. 5; Contra gent. lib. 3, cap. 70. *Suarez*, Metaph. disp. 22, sect. 1.)

St. Q. Cum de divino ad actiones creaturarum concursu fit sermo, distinguendus est concursus naturalis et supernaturalis, mediatus et immediatus, physicus et moralis.

Generatim enim Deus ad actiones creaturarum concurrit, quatenus sua actione actionem creaturae vel mediate vel immediate causat.

Naturaliter Deus cum aliqua creatura ad agendum concurrit, quatenus eam aliquo modo adiuvat ad id agendum, quod naturae eius proportionatum est; *supernaturaliter* vero, quatenus facit, ut creatura agat, quod naturam eius excedit, licet ei absolute non repugnet. Nobis de solo concursu naturali est agendum.

480. *Mediate* Deus cum creatura ad agendum concurrit, quatenus id efficit, quod requiritur ex parte ipsius, ut creatura in ordine causae secundae qua causa completa actionis exsistat. Itaque mediate ad agendum cum ea concurrit his modis:

a) quatenus eam creat certis agendi facultatibus praeditam;

b) quatenus eam eiusque facultates agendi conservat.

Hoc modo creatura exsistit vel in *pura potentia* agendi vel in *actu primo remoto* agendi, prout eam consideras cum respectu ad actionem, quae procedit a potentia agendi passiva (i. e. perfectibili), vel cum respectu ad actionem, quae procedit a potentia activa (i. e. naturaliter non perfectibili). Ita infans recens ortus est in pura potentia cum respectu ad formalem intellectionem, quia haec resultat ex intellectu possibili per speciem intelligibilem intellectu agente effectam actuato, est autem in actu primo remoto cum respectu ad effectionem primae speciei intelligibilis a re aliqua corporea abstrahendae (cf. quae diximus Psychol. rat. n. 150 sqq., imprimis n. 155 et 189);

c) quatenus in ea conservat dispositiones et habitus per actus acquisita.

Hoc modo creatura constituitur in actu primo proximo respectu earum actionum, quarum habitus acquisivit, nondum vero in actu primo ita perfecte expedito, ut ab eo actio emanare possit. Exemplum habes in homine docto ad aliquod examen bene praeparato respectu operationum mentalium, a quibus eius responsa proxime procedent, quatenus

cum consideras, prout se habet, priusquam mens eius per quaestiones examinatorum ad actualem considerationem rerum, quas habitualiter iam scit, dirigitur et expeditur;

d) quatenus vel sua vi sola vel cum creaturis iam agentibus cooperando id efficit, ut certa aliqua creatura ad agendum nondum perfecte expedita in eo statu ponatur, in quo completa ad agendum potestate polleat, sive, quod ad idem redit, quatenus Deus id efficit, ut creatura ita exsistat, ut sit in suo ordine causa perfecte sufficiens certae actionis.

Sola sua vi in ordine naturali Deus id facit respectu earum actionum, quae a creatura exsistente naturaliter abesse nequeunt, qualis est actio, qua angelus sui conscius est (*S. Thom.,* S. th. 1, q. 56, a. 1, c., § „Sic igitur"). Cum creaturis iam agentibus cooperando Deus id v. g. facit, quatenus sustentat actiones omnium causarum naturalium, sine quarum actione non possumus esse expediti ad meditandum, loquendum, legendum, scribendum etc.

481. *Immediate* autem Deus cum creatura ad agendum concurrit, quatenus eodem momento, quo creatura agit, vult et *volendo* (per omnipotentiam voluntati suae propriam) *efficit,* ut creatura facultatem ad agendum iam perfecte expeditam applicet ad agendum. Hoc volendo et vi voluntatis suae efficiendo recte dicitur *immediate* causare actionem creaturae. Scit enim Deus, quae actio ponatur, si ipse velit et volendo efficiat, ut creatura facultate sua ad agendum expedita utatur; scit quoque sine illa sua voluntate creaturam numquam ita posse ad agendum expeditam esse, ut agat. Quamquam igitur actio creaturae *sub eo respectu, sub quo est a creatura,* non est effectus *immediatus* Dei, tamen eadem actio, quae est a creatura, *immediate* est a Deo, quia secundum suam formalem realitatem sive *in se* et non solum *in causa sua* est terminus intellectus et voluntatis et potentiae Dei. Deus enim ad extra *agit,* quatenus aliquid, quod intelligit vel a se vel a creatura aliqua fieri posse, secundum esse positivum eius *simpliciter vult.* Nam „cum esse divinum sit ipsum eius intelligere, praeexsistunt in eo effectus eius secundum modum intelligibilem, et per modum intelligibilem procedunt ab eo, et sic per consequens per modum voluntatis" (*S. Thom.,* S. th. 1, q. 19, a. 4, c., § „Tertio").

482. *Physice* Deus ad actionem creaturae concurrit, quatenus in ordine causae primae realitatem physicam actionis eius causat; aliis verbis: quatenus vere *efficit* ipsum esse actionis, prout hoc esse est aliqua entitas actualis positiva, non vero, prout ei forte adhaeret aliqua privatio rectae regulae agendi ex parte creaturae. Ex quo patet concursum immediatum, quem supra exposuimus, esse etiam concursum physicum.

Sed idem dici nequit de omni concursu Dei *mediato*. Hic quoad creaturas irrationales non potest esse nisi physicus. Consistit enim in operatione, qua Deus efficit, ut aliqua creatura eum realem essendi modum habeat, quo respectu certae actionis vel sit in actu primo remoto vel in actu primo proximo vel in actu primo perfecte ad agendum expedito. Quatenus hoc ultimum concursu mediato Dei efficitur, is creaturae irrationali (et generatim creaturae non libere agenti) concedi nequit, quin actio eius necessitate naturali sequatur; quia repugnat creaturam non libere agentem pollere facultate perfecta certam actionem ponendi et tamen naturaliter non necessitari ad eam ponendam. Quod vero spectat actus liberos creaturarum rationalium, ad eos Deus non solum physice, sed etiam moraliter concurrere potest.

483. *Moraliter* enim Deus ad actionem creaturae liberae concurrit, quatenus eius intellectui aliquid proponit, quo ad certum agendi modum alliciatur. Huiusmodi concursum moralem Deus nobis ad actiones ordinis mere naturalis exhibet, quatenus cum creaturis in vires nostras cognoscendi influentibus et cum iis viribus ipsis in actu positis cooperando intendit et efficit, ut aliquam veritatem intelligamus, qua acriter moveamur ad bonam aliquam actionem ordinis naturalis. Multo autem excellentior ille concursus moralis est, qui consistit in illuminationibus supernaturalibus Spiritus Sancti, et ille concursus physicus, quo Deus nobis non solum dat perfectam potentiam supernaturaliter agendi, sed etiam dependenter a consensu nostro libero in nobis operatur ipsum velle et perficere actiones supernaturales. Verum de hoc utroque concursu agendum est in Theologia dogmatica. Id solum hoc loco notemus, cum concursu Dei morali stare posse omissionem actionis liberae, ad quam Deus vere moraliter concurrit, quia creatura libera non necessario eligit, quod

intellectu vel naturaliter vel supernaturaliter cognoscit esse secundum rectam rationem eligendum.

484. *Probatur thesis ex absoluta dependentia* **esse** *finiti a Deo.* Is, a cuius voluntate omnis actio creaturae ita pendet, ut omnino esse non possit, nisi ipse eam *formaliter qua talem et non solum in causa eius* praenoscat et efficacia voluntatis suae coefficiat, ad omnem actionem creaturae immediate concurrit. *Atqui* a Deo omnis actio creaturae ita pendet. *Ergo* Deus ad omnem actionem creaturae immediate concurrit. De *mai.* huius argumenti constat ex concursus divini immediati explicatione in *St. Q.* tradita.

Prob. min. Praenota ad probationem: 1. Nulla creatura durare potest, quin Deus voluntate sua libera et omnipotenti eam continuo conservet (thes. XLVII); 2. Deus est dominus absolutus omnis realitatis positivae finitae secundum omnes modos possibiles eius, ita ut nulla esse possit, nisi ipse qua causa universalis omnis *esse* velit, ut sit, et consequenter volendo eam aut per se solam efficiat aut eam per creaturam velit fieri eodem momento, quo per eam efficitur (thes. XXXV). 3. Realitas positiva, quam Deus vult per creaturam effici, ab ipsius voluntate omnipotenti sub aliquo respectu mediate quidem pendet, sub aliquo alio respectu autem immediate. Mediate ab ea pendet, quatenus, quod a creatura vere efficitur, ei vis agendi creaturae eo momento vere est proportionata; immediate autem, quatenus Deus ipsam realitatem positivam, quae a vi creata procedit, secundum omne esse eius formale ab aeterno praevidit eamque qua talem (et non solum in causa creata ei naturaliter proportionata) ita libere vult, ut ea realitas a causa creata, utpote cuius totum esse a divina voluntate absolute pendeat, nequaquam procedere possit, nisi ipse Deus liberrime velit, ut a creatura id procedat, quod statui actuali eius, cum ex sua parte ad agendum est expedita, *connaturale* quidem est, sed nequaquam cum eo statu *metaphysica* necessitate connectitur. Quatenus Deus igitur eodem momento, quo aliqua realitas positiva a vi aliqua creata procedit, hanc realitatem in se consideratam et non solum causam eius creatam pro termino intellectus sui et omnipotentiae voluntatis suae habet, revera efficacia eiusdem voluntatis eam qua causa universalis immediate coefficit.

485. *Quibus praenotatis ita arguo ad* **min.** *probandam:*

Omnis actio creaturae *qua talis* est aliquis positivus modus essendi sive aliqua realitas positiva vel in ipsa creatura agente, si actio est immanens, vel in creatura, quae actionem patiendo in se recipit, si actio est transiens. *Atqui* nullus modus positivus essendi oriri potest, nisi Deus qua causa universalis omnis *esse* eum tum, cum oritur, secundum entitatem eius formalem cognoscat et velit et efficacia voluntatis suae *saltem* coefficiat. *Ergo* omnis actio creaturae revera ita a voluntate Dei pendet, ut omnino esse non possit, nisi Deus eam formaliter qua talem cognoscat et efficacia voluntatis suae coefficiat.

Ponitur probatio thesis alio modo.

Omnis actio creaturae sub aliquo respectu est terminus immediatus voluntatis divinae, ita ut non exsistat sine influxu omnipotentiae huius voluntatis in *ipsam* et non solum in causam eius creatam. *Ergo* Deus in omni actione creata immediate concurrit.

Prob. ant. Actio creaturae aut est ab exsistentia eius naturaliter inseparabilis (qualis est v. g. actio, qua angelus sui conscius est, secundum *S. Thom.*, S. th. 1, q. 54, a. 4 et q. 56, a. 1) aut fundatur in modo aliquo reali et positivo exsistentiae creaturae superaddito, quo ipsa creatura evadat in ordine causae secundae ad actionem perfecte expedita. *Atqui* in neutro casu exsistit sine influxu omnipotentiae divinae *in ipsam formaliter qua talem spectatam*. *Ergo* omnis actio creaturae sensu explicato est terminus immediatus omnipotentiae voluntatis divinae.

486. *Prob. min. p. partes.*

a) Si actio ab exsistentia creaturae naturaliter inseparabilis est, Deus eo ipso, quod efficacia voluntatis suae continuo conservat modum exsistendi creaturae connaturalem, quem intellectu perfecte comprehendit, ipsam actionem formaliter spectatam efficacia voluntatis suae cum creatura, a qua illa actio procedit, vere coefficit.

b) Si actio fundatur in modo positivo, qui ab exsistentia creaturae naturaliter abesse potest, ille modus essendi in se a Deo cognoscitur, et oriri non posset, nisi Deus libere vellet,

ut a creatura procederet; consequenter ille modus essendi, in quo, ea hypothesi facta, actio proxime fundatur, *sub aliquo respectu* est effectus immediatus efficaciae voluntatis divinae. *Atqui* nequit ille modus sub aliquo respectu efficientiae immediatae voluntatis divinae deberi, quin ipsa actio creaturae ab ea sub aliquo respectu immediate pendeat. *Ergo* hoc dicendum est.

Prob. min. ult. Actio creaturae ex eo modo essendi aut naturali necessitate resultat aut est exercitium libertatis creaturae rationalis. *Atqui,* sive illud sive hoc supponis, actio ex eo modo essendi resultare nequit, quin efficientiae divinae voluntatis sub certo respectu immediate debeatur. *Ergo* . . .

487. *Prob. min. ultima p. partes.*

1. Si supponas actionem ex eo modo essendi naturali necessitate resultare, Deus eodem momento, quo illum modum essendi, in quo actio creaturae fundatur, *sub certo respectu immediate* efficit, perfecte cognoscit, quae actio individualis ex eo resultatura sit, si ipse velit et volendo faciat, ut creatura id habeat, quod ei connaturaliter debeatur. *Atqui* hac cognitione supposita non potest sua voluntate facere, ut creatura id habeat, quin eo ipso actio creaturae sit terminus immediatus voluntatis divinae, siquidem Deus actionem eius *qua talem in individuo praecognitam* volendo coefficit [1].

2. Si actio creaturae ex illo modo essendi resultat tamquam exercitium liberi arbitrii, Deus non solum per scientiam simplicis intelligentiae in sua essentia distinctissime cognoscit, quae actio et quae omissio libera cum illo essendi modo connectatur ut creaturae adaequate possibilis, si ipse velit, ut usum actualem liberi arbitrii ei connaturaliter debitum habeat; sed etiam per scientiam mediam immediate distinctissime cognoscit creaturam actionem certam, quae sub hypothesi usus actualis libertatis divinitus collati ei tum quoad positionem tum quoad omissionem adaequate possibilis sit, potius posituram quam omissuram esse (cf. n. 330 sqq. et n. 344 sq.). *Atqui*

---

[1] Si quis dubitat, num haec explicatio influxus immediati S. Thomae sit conformis, consulat Contra gent. lib. 3, cap. 76, imprimis § „Habet enim Deus immediatam etc.“

sub luce huius cognitionis usum actualem arbitrii liberi creaturae concedere nequit, quin eo ipso actionem a creatura libere electam habeat terminum immediatum voluntatis suae, idque ita, ut actio secundum esse suum positivum per efficaciam omnipotentem voluntatis divinae vere coefficiatur.

488. ***Obi. 1.*** Secundum thesim Deus ipsam operationem creaturae efficit. *Atqui* hoc supposito nihil remanet de actione creaturae *qua tali*. *Ergo* ex thesi sequitur creaturam nihil agere.

Prob. min. Deus, cum dicitur ipsam operationem creaturae efficere, aut intelligendus est eam solus efficere aut simul cum creatura. *Atqui,* si primum, de actione creaturae *qua tali* nihil remanet; si alterum, eadem actio individua est a duobus agentibus diversis simul, id quod sibi repugnat. *Ergo,* si Deus ipsam operationem creaturae efficit, nihil remanet de actione creaturae qua tali (*S. Thom.,* S. th. 1, q. 105, a. 5, obi. 1 et 2).

Resp. *Dist. mai.:* . . . qua causa prima et universalis omnis *esse, conc. mai.,* . . . qua causa, cui *formaliter* insit illa virtus *in specie et individualitate sua considerata,* cui tamquam manifestatio eius operatio creaturae proportionata est, *nego mai., contrad. min., nego cons., ad prob. min. conc. mai., conc. partem 1. min., dist. part. 2. min.:* Si alterum, eadem actio individua est a duobus agentibus eodem modo, *nego part. 2. min.,* diverso modo, *conc. part. 2. min., dist. part. 3. min.:* Sibi repugnat eandem actionem individuam esse a duobus agentibus eodem modo, *conc. part. 3. min.,* modo diverso, *nego part. 3. min., nego cons.* Operatio creaturae immediate efficitur a Deo, quatenus Deus tum, cum ex parte creaturae omnia ad actionem praerequisita iam adsunt, vult, ut creatura eam actionem ab ipso in individuo praecognitam ponat. A creatura autem immediate procedit actio eius, quatenus cum *simultanea et totali a voluntate Dei actuali et omnipotenti dependentia* vim suam agendi concursu Dei mediato ad agendum expeditam actualiter applicat ad actionem.

489. ***Obi. 2.*** Per Deum creantem et conservantem creatura habet virtutem agendi, per ulteriorem concursum Dei, quo mediate ad agendum praeparatur, habet vim agendi perfecte expeditam. *Atqui* nihil porro requiritur ad actionem. *Ergo* concursus Dei *immediatus* est superfluus (cf. *S. Thom.* l. c. obi. 3).

Resp. *Conc. part. 1. mai., dist. part. 2. mai.:* Vim agendi ita perfecte expeditam, ut ex ea actio *metaphysica necessitate* resultet, *nego mai.,* ita ut ex ea actio solum resultet, *si Deus velit et volendo faciat, ut resultet, conc. mai., nego min. et cons.* Quia

creatura ad agendum per concursum Dei mediatum iam praemota et expedita actionem sibi in eo statu connaturalem ex se emittere nequit, nisi Deus libere hanc quasi emissionem actionis pro eo momento ab aeterno decreverit et tum, cum creatura operatur, actu velit et volendo efficiat; propterea S. Thomas dixit *Deum formas et virtutes rerum quasi applicare ad agendum* (S. th. 1, q. 105, a. 5, c.).

490. ***Obi. 3.*** Si Deus immediate concurrit in omni operatione creaturae, etiam operatio creaturae peccaminosa reducitur in Deum ut causam. *Atqui* Deus non potest esse causa peccati. *Ergo* Deus non immediate concurrit in omni operatione creaturae.

Resp. *Dist. mai.:* . . . qua actuale exercitium liberi arbitrii circa certum obiectum intellectu propositum et etiam secundum effectus physicos electionem moraliter malam creaturae libere peccantis sequentes, *conc. mai.*, praecise qua electio moraliter mala, i. e. qua electio facta cum libero neglectu regulae eligendi, quam creatura libera eo momento, quo formaliter peccat, cognoscit sibi absolute esse servandam, Deo ad hanc cognitionem immediate concurrente, *nego mai., conc. min., nego cons.*

Explico responsum: Creatura eo momento, quo per concursum Dei mediatum ex sua parte perfecte expedita est ad libere peccandum, etiam perfecte expedita est ad peccatum evitandum. Eodem momento Deus vult et volendo facit, ut creatura applicet suam voluntatem ad utrumlibet perfecte expeditam, aliis verbis: offert suum concursum immediatum ad libere eligendum. Unde illa applicatio actualis, *quatenus est nihil aliud nisi exercitium libertatis*, est revera immediate a Deo in ordine causae primae et universalis omnis realitatis positivae. Quatenus autem eadem applicatio eo momento, quo per usum actualem arbitrii liberi a Deo oblatum aeque bene fieri potest secundum regulam atque contra regulam intellectu ut absolute servandam propositam: potius fit contra eam regulam quam secundum eandem (aliis verbis: quatenus applicatio actualis libertatis in concreto spectata est electio inordinata sive moraliter mala, consequenter peccatum formaliter elicitum per voluntatem liberam creaturae), illa applicatio unice est a creatura sua libertate abutente, et nullatenus a Deo. Ita hanc rem explicat Angelicus: „Cum Deus sit primum principium motionis omnium, quaedam sic moventur ab ipso, quod etiam ipsa movent“ [quia scl. numquam aliter praemoventur nisi ad *utrumlibet*], „sicut quae habent liberum arbitrium“ [scl. non in potentia solum, sed usum arbitrii liberi per concursum Dei immediatum sibi oblatum]: „quae si fuerint in debita dispositione et

ordine debito ad recipiendum motionem, qua moventur a Deo" [i. e. si concursu Dei ad utrumlibet oblato utuntur ordinate et non inordinate], „sequentur bonae actiones, quae totaliter reducuntur in Deum sicut in causam" [scl. ut in causam immediatam actionis qua actionis *libere* positae, et ut in causam mediatam actionis qua actionis libere *potius bene quam male* praestitae]; *„quod autem est ibi de inordinatione vel deformitate"* [i. e. de libero neglectu actuali rectae regulae agendi], *„non habet Deum causam, sed solum liberum arbitrium"* [quia scl. hoc qua facultas agendi non erat magis praemotum ad malam electionem quam ad bonam, sed vel a Deo solo vel a Deo cum creaturis cooperante erat praemotum ad utrumlibet, idque ita, ut Deus *simul* vere intenderet et cum voce conscientiae immediate concurrens categorice imperaret *bonam* electionem] (*S. Thom.*, Qq. disp. q. 3 de malo, a. 2, c., quo loco ex proposito tractat quaestionem: *„Utrum actio peccati sit a Deo"*).

Art. 2.

Quid sentiendum sit de praemotione sive praedeterminatione physica et de concursu solum simultaneo.

Thesis XLIX.

491. Theoria divinae immediate ad unam certam actionem moventis praedeterminationis physicae creaturarum agentium nulla ratione evidenti probatur, cum pluribus veritatibus evidentibus difficillime componitur, doctrinae S. Thomae adversatur.

St. Q. Thesi proxima concursum Dei immediatum, i. e. eum concursum eius ad creaturarum actiones, quo has ipsas qua causa universalis omnis *esse* cum entibus creatis agentibus simul efficit, ita explicavimus et defendimus, ut ex tota illa disputatione eluceat, nostra opinione *illum concursum in effectu suo consideratum* realiter non differre ab actione creaturae, sed *esse ipsam realitatem positivam huius actionis, prout ea realitas immediate a Deo pendet ut a causa universali, suprema, absolute independenti in operando, dum a creatura pendet ut a causa particulari, Deo essentialiter subordinata, in operando absolute a Deo dependenti.*

Hanc doctrinam, quam *Suarez* defendit Disp. met. d. 22, sect. 2, n. 16 sqq. et sect. 3 per totum et De concursu etc. lib. 1, cap. 6, n. 13 sqq. [Opp. (ed. Venet. 1741) X, 15 sqq.], et multi alii scholasticorum recentiorum rationi et menti

Angelici omnino conformem esse existimant, Bannez et qui eum sequuntur neque cum ratione recte ratiocinanti neque cum sententia S. Thomae satis quadrare sibi persuaserunt. Hi enim putant rationi et doctrinae S. Thomae conformiter dicendum esse concursum Dei non solum mediatum, sed etiam immediatum efficere aliquid in creatura *qua causa actionis suae.*

492. Quodsi ex iis quaeras, quidnam illud sit, eorum responsum est, id esse motionem quandam divinam, quae in creatura per concursum Dei mediatum ad agendum aliquo modo quidem praeparata, sed nondum ad actualem actionem sufficienter perfecta passive recipiatur, et qua ipsa creatura non solum ita afficiatur, ut sit causa perfecta actionis in ordine causae secundae a Deo dependentis, sed etiam *infallibiliter quodammodo trahatur sive physice praemoveatur vel praedeterminetur ad unam certam actionem.* Addunt autem eam divinam praemotionem tantae esse suavitatis simul atque efficaciae, ut in creaturam rationalem rationis usu pollentem recipi nequeat, quin eam infallibiliter impellat ad unam certam actionem *liberam eique imputabilem,* licet simul cum ea praemotione neque omissio illius actionis liberae neque ulla alia actio libera compatibilis sit [1].

493. Quodsi auctores modo laudati nihil aliud affirmarent nisi Deum recte dici physice praemovere sive praedeterminare omnes creaturas ad agendum, certe non esset, cur iis obloqueremur. Nam etiam nos cum Suarez eiusque sectatoribus tenemus Deum non solum in ordine supernaturali, sed etiam in ordine naturali omnes creaturas vere et physice ad agendum praemovere. Hanc esse nostram sententiam ex iis, quae (n. 480) de concursu Dei mediato diximus, clare patet. Ex iis facile intelliges, quomodo Deus hominem rationalem v. g. in hac vita ad omnem actionem *humanam* sensu stricto acceptam (i. e. cum usu arbitrii liberi positam) vere physice

---

[1] Cf. *Goudin,* Philosophia IV (ed. Paris.), 239, ubi praemotionem immediatam physicam explicat esse „hanc applicationem, qua Deus reddit causas secundas in actu secundo agentes, *qua virtutes activas transfert ab otio ad exercitium, qua omnibus ultimum agendi vigorem influit.*“

praemoveat. Nam Deus ad eiusmodi actionem hominem praemovet:

494. 1. *praemotione physica universali,* quatenus eum ita creat et conservat, ut homo ob modum, quo intellectus et voluntas eius naturaliter se habent, nihil voluntate umquam libere eligere possit nisi id, in quo intellectui apparcat aliqua ratio boni: vel boni *simpliciter* vel boni *secundum quid;*

2. *praemotione physica ad obiecta determinata eligibilia directa,* quatenus Deus, cum intellectu hominis et cum rebus creatis in intellectum eius influentibus concurrens, facultatem voluntatis eiusdem in eo statu ponit, in quo perfecte expedita sit ad acceptandum vel respuendum id, quod intellectus proponit ut aliquid sub uno respectu magis, sub alio respectu minus appetibile; quo ipso voluntas vere physice praemovetur *ad utrumlibet,* scl. ad infallibiliter exercendam libertatem suam circa id, quod intellectus eo momento proponit, ita ut id infallibiliter aut libere acceptet aut libere negligat.

495. Ex his apparet, quid intersit inter eos auctores, a quorum parte nos stamus, et eos, qui cum Bannez sentiunt. Utrisque persuasum est non solum *creaturam, quae agat,* sed etiam *ipsam actionem eius* ***sub aliquo respectu*** *immediate* a Deo pendere. Sed qui a parte nostra stant, dicunt dependentiam *immediatam* actionis a Deo ipsi actioni non esse praevio-simultaneam, sed simultaneam *tantum.* E contrario, qui cum Bannez sentiunt, arbitrantur nullo concursu divino, qui actioni certae creaturae *mediate tantum* iungatur, creaturam in suo ordine ad agendum perfecte parari et expediri, sed eam a Deo, qui causalitatem eius sua virtute *per modum transeuntem essendi ei inditum* perficiat, ad certam actionem ita trahi, ut, stante hac tractione sive praemotione divina, sibi repugnet aliam actionem a creatura poni. Quare secundum adversarios nostros uterque concursus Dei tum mediatus tum immediatus est *praevio-simultaneus.* Attamen secundum eosdem concursus immediatus non est ita praevius, ut illa praemotio immediata divina *tempore* prior sit quam actio creaturae, sed ita tantum, ut *natura* eam praecedat.

Reliquum est, ut thesim probando rationes reddamus, ob quas nobis haec doctrina minus placeat.

496. Pars I. Praedeterminatio physica immediate ad certam actionem movens nulla ratione evidenter probatur.

Ea praedeterminatio ab adversariis nostris propter duas potissimum rationes statuitur:

a) ut appareat Deum esse primum motorem omnium agentium horumque a Deo dependentiam in omni actione esse summam;

b) ut patefiat Deum omnes creaturarum actiones posse dirigere ad fines quoslibet, quos ipse per eas velit assequi, idque modo quolibet, quo aliquem finem per eas assequi statuat.

Atqui utrumque hoc, omissa illa praedeterminatione physica certam actionem ex natura sua spectante, dilucide declarari potest. *Ergo* nulla ratione evidenter probatur praedeterminationem illam admittendam esse.

497. *Prob. min. p. partes.*

1. Summa uniuscuiusque rei a Deo, primo motore in agendo, dependentia sufficienter patet, si docemus haec:

a) Omnis creatura *esse* suum et facultates agendi sibi naturales debet Deo.

b) Nulla creatura de potentia ad agendum nondum perfecta ad statum, in quo ad agendum in suo ordine perfecte expedita est, transire potest, nisi Deus vel per se solum vel per creaturas a nutu voluntatis suae in essendo et agendo pendentes eam physice praemovet. Quam praemotionem physicam Suarez explicite docet. Vide v. g. op. c. De concursu etc. lib. 1, c. 6, n. 13 (Opp. X, 15).

c) Creatura in suo ordine ad agendum perfecte expedita nullam actionem ponit, nisi Deus realitatem positivam huius actionis eodem, quo creatura agit, momento in ordine causae primae coefficiat, quatenus vult et omnipotentia voluntatis suae efficit, ut esse positivum actionis, quod virtuti creatae in eo statu consideratae *connaturale*, sed non *essentiale* est, ab ea virtute actualiter procedat; aliis verbis: quatenus *actualem applicationem facultatis creaturae in ordine suo actioni perfecte proportionatae* ***volendo*** actionem eius simultanee coefficit.

Atqui his omnibus nulla praemotio unam certam actionem ex natura sua immediate causans continetur. *Ergo* sine eiusmodi praemotione sive praedeterminatione summa creaturae a Deo in agendo dependentia clare patet.

498. 2. Sine praemotione physica unam certam actionem immediate causante Deus non solum creaturas necessario agentes, sed etiam eas, quae libere agunt, ad fines a se praestitutos secundum beneplacitum voluntatis suae dirigere potest. *Ergo* ad explicandum, quomodo id possit, illa praemotio non est statuenda.

Prob. ant. a) quoad creaturas necessario agentes. Actiones harum, quatenus eae influxui libertatis creaturarum rationalium non subsunt, Deus, prout vult, eo ipso ad fines sibi probatos dirigere potest, quod ea entia ab initio certo ordine disponit, ea continuo conservat, cum omnibus et singulis, simultaneo tantum, modo supra explicato ad agendum concurrit. Nam cum naturam earum rerum perfectissime comprehendat, ipsi ab aeterno perspectum est, quid ex divina earum praemotione initiali, oblato singulis ad agendum concursu mere simultaneo, resultaturum sit, dummodo ne ens aliquod liberum earum activitatem modificet. Unde constat eum creaturas necessario agentes ad fines, quos intendit, sine praemotione illa physica immediata dirigere posse, nisi haec requiratur ad creaturas libere agentes dirigendas. Quare

Prob. ant. b) quoad creaturas libere agentes. Per se patet Deum ab his creaturis nullum actum liberum obtinere umquam velle nisi modo earum libertati consentaneo. *Atqui* ad eos actus liberos, qui hoc modo obtineri possunt, Deus eas suavissime et efficacissime dirigere potest absque praedeterminatione illa physica immediata. Nam per scientiam mediam, quam supra (thes. XXXI) clare probavimus, distincte cognoscit, quid creatura quaelibet libera, facultate libere volendi in suo ordine ad agendum perfecte expedita, pro diversitate condicionum, in quibus versari possit, actura sit. Qua cognitione stante necessario intelligit, quid ipsi decernendum sit, ut creatura id libere agat, quod, *salva libera eius natura,* ab ea absolute obtinere vult (cf. *S. Thom.,* S. th. 1, q. 22, a. 2 ad 4 et ad 5).

499. Pars II. Praedeterminatio physica immediate ad certam actionem movens cum pluribus veritatibus evidentibus difficillime componitur.

Evidens est magnum discrimen esse inter causam creatam principalem et instrumentalem; evidens est hominem esse vere dominum actionis suae, quoties in hac vita perfecto rationis usu in agendo pollet; evidens quoque est Deum sanctissimum non posse causare formalem pravitatem moralem creaturae, *ne per accidens quidem.* (Nam *per se* formalis pravitas moralis ne a pessimo quidem homine causari potest, cum malum nullum *qua tale* sit *per se* causabile.) *Atqui* omnes hae veritates, quae ab asseclis praemotionis immediatae physicae cum studio et sinceritate summe laudabili defenduntur, difficillime cum illa praemotione componuntur. *Ergo* haec revera cum pluribus veritatibus evidentibus difficillime componitur.

Prob. min. p. partes.

1. Respectu unius eiusdemque effectus causa creata principalis ea intelligitur, cuius virtus naturalis habitualiter ita possit perfecta esse, ut illi effectui vel per se solam vel ope instrumenti alicuius producendo vere sit proportionata; causa instrumentalis autem ea, quae habitualiter numquam illi effectui producendo possit proportionata esse, sed, quoties ad illum producendum agit, a causa principali immediate, physice praemoveatur. *Atqui* stante praemotione illa, quam oppugnamus, nulla virtus ullius creaturae umquam habitualiter certo effectui producendo vere proportionata esse *videtur;* nulla enim quidquam agit *nisi id, ad quod divinitus praemota quodammodo trahatur. Ergo* praemotio illa cum discrimine inter causas principales et instrumentales difficillime componitur.

500. *Nota ad hanc probationem.* S. Thomas, quamquam, ut parte III. ostendemus, negat creaturas a Deo ad unam certam actionem immediate physice praemoveri, nihilominus *recte comparat* operationem Dei in agentibus creatis motui, quo artifex aliquod instrumentum ad secandum applicat (*S. Thom.,* S. th. 1, q. 105, a. 5, c., et ad 3; Qq. disp. de pot. q. 3, a. 7, c., § „Sciendum namque“ et ad 7). Etenim

a) sicut vis naturalis instrumento insita inutilis est, nisi instrumentum ab artifice materiae, quae secari possit, adaptatur,

ita nulla creatura sola sua vi ad agendum expedita est, sed Deus (plerumque quatenus cum aliis creaturis simultanee concurrit) ad statum, in quo ad agendum vere expedita est, eam praemovet, licet eam non ulterius praemoveat ad ipsam actionem;

b) sicut instrumentum, cum agit, in ipsa sua actione ab applicatione libera artificis, quae se habet per modum praemotionis immediatae physicae, ita omnis creatura in agendo pendet a concursu Dei simultaneo, qui, licet non sit praemotio, tamen nulli actioni creaturae melius *comparatur* quam praemotioni artificis, quia nulla est, quae ita nos monet de *totali* subordinatione creaturae agentis sub Deo qua causa prima quoad omne esse positivum actionis eius, quae subordinatio totalis in concursu solum simultaneo vere habetur;

c) sicut actio instrumenti per manum artificis dirigitur ad finem ab ipso intellectum et intentum, ita actio creaturae per Providentiam divinam sapientissimam finī ultimo omnium rerum creatarum subordinatur.

501. 2. Qui vere est dominus actionis suae, stantibus omnibus ad agendum praerequisitis debet actionem omittere posse. *Atqui* difficillime intelligitur, quomodo homo omittere possit actionem ullam stantibus omnibus ad agendum praerequisitis, si admittitur theoria praedeterminationis illius physicae. Nam secundum eam ad omnem actionem illa praedeterminatio *praerequiritur ut aliquid, quod in creatura* ***natura*** *prius* ***passive*** *recipitur, quam ipsa creatura actualiter activa est, et praeterea illa praedeterminatio secundum explicitam doctrinam eorum, qui eam defendunt, est aliquid, quocum stare nequeat nisi una certa actio, illa scl., ad quam creatura vi praemotionis receptae trahatur. Ergo* theoria illa difficillime componitur cum evidenti veritate hominem esse vere dominum actionis suae, quoties in hac vita usu perfecto rationis in agendo polleat.

502. 3. Si Deus suo influxu creaturam rationalem immediate trahat ad unam certam actionem, quacum in concreto spectata pravitas moralis deliberata creaturae infallibiliter connectatur, et si praeterea Deus eam ad eiusmodi actionem ita trahat, ut ex natura influxus divini secundum effectum suum physicum spectati illa actio certissime sequatur, difficillime sane intelligitur Deus, cum eo influxu creaturam rationalem afficiat, eo ipso non *per accidens* causare peccatum *qua peccatum. Atqui* praedeterminatio physica, quam oppugnamus, secundum

explicitam asseclarum eius doctrinam est eiusmodi influxus divinus. *Ergo*, theoria huius praedeterminationis admissa, difficillime intelligitur Deum ad actionem physicam peccati concurrentem non *per accidens* causare ipsum peccatum qua pravitatem moralem.

Neque dici potest in systemate concursus immediati *solum simultanei* haberi eandem difficultatem; nam secundum hoc systema *creatura libera a Deo numquam amplius praemovetur nisi ad utrumlibet;* vi cuius praemotionis, cum facultas creaturae in ordine suo ad eligendum expedita sit, Deus concursum immediatum offert illi praemotioni ad utrumlibet proportionatum, i. e. concursum ad utrumlibet sufficientem: ad electionem moraliter bonam et moraliter malam. (Vide ulteriorem solutionem huius difficultatis in systemate nostro supra n. 490.)

503. **Pars III. Theoria illa praedeterminationis physicae adversatur doctrinae S. Thomae.**

Arg. 1. (Ex doctrina S. Thomae de modo divinae praemotionis.) S. Doctor (S. th. 1, 2, q. 9, a. 6) docet voluntatem humanam moveri a Deo solo sicut ab exteriori principio. Contra quam doctrinam tres statuit rationes dubitandi, quarum ultima haec est: „Deus non est causa nisi bonorum. . . Si ergo a solo Deo voluntas hominis moveretur, numquam moveretur ad malum, cum tamen voluntas sit, qua peccatur et recte vivitur."

Ad quam difficultatem solvendam haec dicit l. c. ad 3: „Deus movet voluntatem hominis sicut universalis motor ad universale obiectum voluntatis, quod est bonum; et sine hac universali motione homo non potest aliquid velle; sed homo per rationem determinat se ad volendum hoc vel illud, quod est vere bonum vel apparens bonum. Sed tamen interdum specialiter movet Deus aliquos ad aliquid determinate volendum, quod est bonum, sicut in his, quos movet per gratiam."

Ex hoc loco ita argumentor:

504. a) S. Thomas l. c. docet voluntatem a Deo moveri ut a motore universali, quatenus scl. a Deo ut ab universali causa omnium illa sit proprietas voluntatis nostrae, quod nihil possimus appetere nisi sub ratione boni, et quatenus etiam a Deo mediate ad obiecta eligibilia praemovente proveniat, quod voluntas est aliquando perfecte expedita ad certum obiectum intel-

lectu propositum sub ratione boni eligendum. Quod autem homo aliquod bonum particulare, i. e. certum aliquod obiectum intellectu sub ratione boni propositum, potius eligit quam negligit, id S. Thomas non repetit a motione divina, sed dicit hominem ipsum per rationem se determinare[1] ad hoc vel illud volendum. (Quod cum dicit, subintelligit id fieri cum immediata, simultanea a voluntate divina dependentia, id quod ante clare docuerit [S. th. 1, q. 105, a. 4. Lege totum].)

Atqui secundum theoriam praedeterminationis nobis oppositam omnis determinatio voluntatis ad bonum aliquod particulare eligendum *natura* prius est a Deo, voluntatem physice praedeterminante ad eam electionem, quam ab homine per rationem se ad eandem determinante. *Ergo* haec theoria adversatur S. Thomae.

b) S. Thomas l. c. docet Deum *„interdum"* tantum homines movere ad aliquid determinate volendum. (Ne quoad hos quidem casus affirmat Deum homines ita movere, ut efficacia motionis sit *ex natura interna huius sola* infallibilis.)

Atqui qui theoriae praedeterminationis adhaeret, omnes homines in omnibus volitionibus suis existimat a Deo ad eas ita immediate moveri, ut cum hac motione voluntatem praedeterminante ad unum aliquid volendum nulla alia volitio positiva vel negativa sit compatibilis nisi volitio illius rei, ad quam volendam Deus voluntatem praemovet. *Ergo* illa theoria non quadrat cum doctrina S. Thomae.

505. *Arg. 2. (Ex iis, quae S. Thomas de libertate arbitrii docet.)* Non est credibile S. Thomam de concursu divino id sentire, quod non satis facile componi possit cum iis, quae de libertate arbitrii docet. *Atqui* theoria praedeterminationis modo aliquo, qui clare intelligi possit, cum iis non videtur componi posse. *Ergo* ea theoria a vera S. Thomae doctrina recte censetur aliena esse.

Prob. min. 2. Sent. d. 39, q. 1, a. 1. *Solutio.* S. Thomas ita explicat, cur actus humani sensu stricto accepti sint vere

[1] Dicit Angelicus *hominem per rationem se determinare,* ut efferat determinationem liberam voluntatis eo fieri, quod homo voluntate active indifferente moveat rationem ad iudicandum, aliquid hic et nunc sibi esse eligendum, quod ratio per se sola proponat ut eligibile et non eligibile sub diverso respectu. Cf. quae diximus Psychol. rat. n. 370 sqq., imprimis n. 373 sqq.

liberi et homini imputabiles: „Nihil", inquit, „imputatur alicui in peccatum et culpam nisi illud, cuius causa *ipse* est; quia non laudamur neque vituperamur nisi ex actibus *nostris*. Ea vero, quorum causa non sumus, per actum *nostrum* non sunt. Unde, cum voluntas dupliciter dicatur: scilicet voluntas potentiae" [facultas volendi] „et voluntas actus" [volitio], „voluntas potentiae, cum a nobis non sit, sed a Deo, in nobis non potest esse peccatum, sed actus eius, qui a nobis est. Sed sciendum, quod aliquis actus est ab aliquo dupliciter. Uno modo tam secundum substantiam actus quam secundum determinationem agentis ad actum; et hoc proprie in potestate agentis esse dicitur, ut est in voluntate; *ipsa enim potentia voluntatis, quantum in se est, indifferens est ad plura; sed, quod determinate exeat in hunc actum vel in illum, non est ab alio agente, sed ab ipsa voluntate.* Sed in naturalibus *actus*" [i. e. actus secundum suam substantiam] „*progreditur ab agente,* sed tamen *determinatio ad hunc actum non est ab agente*, sed ab eo, qui agenti talem naturam dedit, per quam ad hunc actum determinatum est. Et ideo *propriissime* actus voluntatis a voluntate esse dicitur; unde, si aliquis defectus sit in actu eius, ipsi voluntati in culpam et peccatum imputatur."

506. Ex quibus verbis vere aureis ita licet arguere: S. Thomas hoc loco clare docet eos solos actus homini esse imputabiles et consequenter vere liberos, ad quos homo *sua voluntate sola* proxime se determinet, ita ut a sola voluntate humana sit, quod homo ex duobus actibus eligibilibus hunc potius eligat quam illum. *Atqui* secundum theoriam praedeterminationis physicae ad nullum actum liberum homo sola voluntate sua proxime se determinat, quia secundum hanc theoriam *ad eam actionem liberam, ad quam se determinat, natura prius a Deo physice praedeterminatus est et solum, quatenus ad eam praevio-simultanee praedeterminatur,* ad eam ipse sua voluntate se determinat. *Ergo* haec theoria non congruit S. Thomae de libertate arbitrii doctrinae.

Accedit ad haec, quod *S. Thomas* (S. th. 1, 2, q. 1, a. 2, c., § „Et ideo") excellentiam naturae rationalis et liberae prae natura non libera in eo ponit, quod illi proprium sit, *„ut tendat in finem quasi se agens vel ducens ad finem"*, cum natura non libera tendat in finem *„quasi ab alio acta vel ducta"*.

Atqui secundum theoriam praedeterminationis physicae etiam creatura libera ad omnem actionem liberam a Deo vere idque immediate *agitur,* neque umquam se ipsa agit vel ducit ad hanc prae illa actione, nisi *quia praevio-simultanee in hanc prae illa a Deo* ***agitur.*** *Ergo* ea theoria non quadrat cum S. Thomae de libertate arbitrii doctrina.

507. *Coroll. Ergo concursus Dei* ***immediatus,*** *i. e. ille concursus, qui esse nequit, quin secum ferat certam actionem individuam alicuius creaturae, est respectu huius actionis simultaneus tantum, non vero praevio-simultaneus.* Quod cum dicimus, non alium concursum solum simultaneum statuimus quam eum, quem supra (St. Q. ad thes. XLVIII) clare explicavimus, non vero eum, quem adversarii nostri iis, qui in hac re nobiscum sentiunt, aliquando tribuerunt. Qui cum doctrinam a nobis propugnatam non perfecte examinassent, dixerunt concursum, qui esset solum simultaneus, esse cooperationem, quae non posset intelligi fieri nisi *caeco et confuso modo,* cumque esse influxum Dei in actiones creaturarum, qui *his actionibus ita esset collateralis et parallelus, ut pars effectus esset a Deo, pars a creatura* (cf. *Goudin* IV [ed. Paris. 1851], 226 sq. et 231).

Nos facile concedimus *huiusmodi* concursum esse Deo indignum; negamus autem eos, qui Suarez aliosque primarios concursus solum simultanei assertores sequuntur, tale quid docere.

508. Primum enim concursus, quem nos statuimus, non fit caeco et confuso modo. Nam secundum systema nostrum Deus ab aeterno *ratione* prius quam decrevit cum creaturis in certis adiunctis ad has vel illas actiones concurrere, distincte cognovit, quam actionem creatura positura esset, si ipse ei in suo ordine ad agendum perfecte expeditae concursum suum simultaneum offerret. Id quoad creaturas necessario agentes cognovit per scientiam simplicis intelligentiae, quoad creaturas libere agentes per eandem quidem scientiam, si ea sumitur sensu latiori; si vero sumitur sensu strictiori, per scientiam mediam (cf. quae de hac re exposita sunt n. 329 sqq. 343 sqq.).

509. Deinde concursus solum simultaneus nullatenus recte explicatur, cum dicitur esse ita collateralis et parallelus actioni creaturae, ut pars effectus sit immediate a Deo, altera vero

pars immediate a creatura; sed secundum asseclas eius primarios tota operatio creaturae immediate pendet a Deo ut a causa universali omnis realitatis positivae, a creatura vero ut a causa particulari, quae, quantumvis in suo ordine ad agendum sit iam expedita, nullam ex se emittere possit actionem, nisi Deus libere ab aeterno decreverit, ut eam certo momento emittat et (consequenter ad hoc decretum) per voluntatem suam omnipotentem in eodem decreto perseverantem, cum illud momentum advenerit, *eo ipso actionem creaturae simultanee cum ea in ordine causae universalis ponat,* quod velit et *volendo faciat,* ut actio hoc momento creaturae connaturalis tamquam realitas particularis ab ea procedat, id quod fieri nequit sine immediata dependentia a Deo, causa universali omnis *esse.* Dico „sine *immediata* independentia"; haec enim eo ipso habetur, quod actio *qua actio praecognita secundum totam suam individualitatem* est terminus voluntatis Dei omnipotentis. Est autem terminus eius qua actio virtuti creaturae vere proportionata et ab ea vere fluens.

510. Quare, ut iam Suarez recte observavit, satis absonum est quaerere, utrius agentis effectus sit natura prior: Dei cum creatura simultance concurrentis an creaturae, quacum Deus simultanee concurrat. Haec quaestio solum fieri posset, si effectus concursus Dei actionem creaturae *qua actionem a creatura procedentem* spectantis esset realiter diversus ab ipsa hac actione, id quod cum S. Thoma omnino negamus. Si autem actio utriusque agentis non qua effectus, sed in principio suo consideratur, concursus divinus non solum *natura,* sed *tota aeternitate* prior est quam creatura in suo ordine agens; nam decretum voluntatis divinae ab aeterno formatum eo momento, pro quo factum est, *per se* sine ulla mutatione et sine ulla additione alicuius vis sibi externae effectum praecognitum eo modo, quo decretus est, producit.

511. Itaque concursus Dei simultaneus qui dicitur longe distat ab eo concursu, quem equus praestat equo vel homo homini, cum duo equi trahunt unum currum vel duo homines unam navem. Nam duo equi unum currum trahentes et duo homines unam navem moventes sunt duo agentia coordinata eaque *per accidens tantum.* Neque idem motus, quem unus equus vel homo currum vel navem trahendo

immediate producit, etiam ab altero *immediate* producitur; sed ex motibus particularibus diversis, qui ab utroque in partibus diversis currus vel navis proxime producuntur, resultat unus motus totalis rei motae.

Solum *sub aspectu valde inadaequato* illa comparatio concursus divini cum duobus agentibus ad unum effectum totalem producendum inter se coordinatis fieri potest. In eo enim solum habetur paritas, quod, sicut in allato exemplo uterque homo suo immediato effectu eodem momento aliquid saltem contribuit ad eundem motum totalem navis producendum, ita Deus et creatura sunt eodem momento duae causae eiusdem actionis, quae actio creaturae qua principio agendi proportionata est. Ad hanc paritatem omnino tenuem respiciens Molina eam comparationem instituit, quae a Goudin aliisque eum sequentibus longe alio modo explicata est, quam ab eo, cui Molinae doctrina in contextu suo spectata satis cognita est, explicari debet.

512. Ceterum, cum Molinae comparatio adeo tenuiter rem declarandam illustret et adeo facile ansam praebeat totam rem falso intelligendi, S. Thomas, si eam ab ipso Molina in contextu et ex mente auctoris declaratam audivisset, sine dubio cum S. Augustino dixisset: „Sententiam teneat, linguam corrigat“ (cf. *S. Thom.,* Contra gent. lib. 3, c. 70 et 93). Quamquam enim omnis similitudo claudicat, tamen plura concursui divino vere propria, quae Molinae exemplo nullo modo declarantur, exemplo artificis et instrumenti a S. Thoma adhibito egregie illustrantur, ut iam ostendimus supra (n. 499). Neque obstat valori similitudinis ab Angelico adhibitae, quod Bannez et alii eam ita intellexerunt, ut S. Doctorem praedeterminationem illam physicam ea clare exprimere existimarent. Id enim iis accidit, quia locos alios Aquinatis, quibus rem ipsam absque metaphora explicat, cum iis locis, ubi metaphora rem illustrat, non omni, qua fieri possit, diligentia comparabant et praeterea non satis prae oculis habebant illud monitum, quod Doctor Angelicus ad errores, qui saepe ex illustrationibus oriuntur, praecavendos iterum iterumque inculcat: „Non oportet huiusmodi similitudinem *ad omnia* extendi“ (Q. unica de anima a. 5 ad 8).

Difficultates contra concursum solum simultaneum.

513. *Praenota.* Argumenta pleraque, quae nobis opponi solent, inveniuntur apud *Goudin*, Philosophia, 4. pars. Citabo hunc auctorem secundum editionem Parisiensem (1851), quamquam etiam consului editionem Coloniensem (1782), quae ab illa nonnihil discrepat.

Obi. 1. Deus, summus Dominus creaturarum, eas omnes dirigens ad finem, se habere debet ut dux actionum earum, non ut merus socius earundem. *Atqui* secundum assertores concursus solum simultanei Deus creaturis agentibus est merus socius, id quod imprimis clare patet ex Molina, qui non dubitat eum concursum comparare cum ope, quam unus homo alteri praestat, cum duo homines eandem trahunt navem (cf. *Goudin* op. c. IV, 226. 231. 263).

Resp. *Dist. mai.:* . . . per concursum mediate tantum actionibus creaturarum iunctum, quo, scientia simplicis intelligentiae et scientia media praelucentibus, eas ad agendum modo fini a se intento conformi disponit earumque vires agendi ad agendum expeditas reddit, *conc. mai.*, . . . per concursum, quo ipsam actionem creaturae actualiter qua causa universalis cum creatura simul efficit sive, quod idem est, per concursum actioni creaturae immediate iunctum, *subd. mai.:* debet per hunc concursum esse dux actionis, quatenus *hic concursus fluere debet ex decreto summa sapientia Domini universorum digno*, et non debet esse merus socius creaturae agenti *coordinatus, conc. mai.*, debet per eundem concursum in effectu consideratum *quodammodo ducere vel trahere creaturam ad actionem*, et non potius in ordine causae primae per voluntatem suam omnipotentem esse principium eiusdem plane actionis, cuius creatura ad agendum ante *hunc* concursum expedita, est principium in ordine causae secundae, *nego mai., contrad. min.*

Ad exemplum Molinae nego illud ab adversariis recte explicari. Quid de eo dicendum sit, supra clare exposui (n. 511 sq.).

514. ***Obi. 2.*** Causa secunda nequit agere, nisi applicetur a causa prima ad agendum. *Atqui* per concursum solum simultaneum non applicatur ad agendum. *Ergo* hic non sufficit (cf. *Goudin* op. c. p. 251 sq.).

Resp. *Dist. mai.:* . . . i. e. nisi a prima (vel per se solam vel cum creaturis aliis agente) ad agendum perfecte expedita reddatur, et nisi ab omnipotentia voluntatis causae primae simul-

tanee pendeat ipsa eius actio, *conc. mai.,* i. e. nisi a causa prima de facultate ad agendum perfecte iam expedita trahatur ad unam certam actionem per modum realem physicum ei inditum, *nego mai., contrad. min.:* . . . per concursum solum simultaneum *ipsa actio eius* non pendet a causa prima, sicut per concursum mediatum Dei (i. e. per concursum actioni creaturae mediate iunctum) *ipsa creatura ad agendum expedita* pendet a causa prima, *nego min.,* . . . i. e. per concursum solum simultaneum creatura, ad agendum per concursum Dei mediatum iam expedita, non trahitur ad unam certam actionem, *conc. min., dist. cons.:* Ergo concursus solum simultaneus non sufficit sine concursu mediato, quo creatura ad agendum perfecte expedita reddatur, sive, quod idem est, non sufficit sine praemotione physica mediata, *conc. cons.,* non sufficit creaturae in suo ordine ad agendum per concursum mediatum iam expeditae, *nego cons.*

515. ***Obi. 3.*** Deus causat ipsam operationem causae secundae. *Atqui* ipsam operationem eius non potest causare per concursum solum simultaneum, quia hic iam supponit eam actionem ut natura saltem priorem. *Ergo* eam causat per praemotionem physicam ad unum (cf. *Goudin* op. c. p. 258 sq.).

Resp. *Dist. mai.:* . . . in suo ordine causalitatis tamquam causa prima, *conc. mai.,* tamquam causa adaequata et sola efficiens operationem creaturae, *nego mai., contrad. min.:* non potest per concursum simultaneum esse causa prima actionis, *nego min.,* non potest per concursum simultaneum ipsam operationem creaturae solus efficere, *conc. min., ad rationem additam:* Concursus simultaneus supponit eam operationem ut natura saltem priorem, *nego simpliciter,* quia hoc assertum nititur in concursu simultaneo immediato a Goudin falso explicato (cf. n. 508 sqq.). Eo ipso, quod Deus hic et nunc vult et *volendo efficit* (*S. Thom.,* S. th. 1, q. 19, a. 4, c., § „Tertio"), ut voluntas mea sit actu pro natura sua operans, postquam haec voluntas per concursum mediatum Dei ad operandum in suo ordine perfecte expedita est, Deus *immediate* concurrit ad operationem voluntatis meae *qua exercitii actualis libertatis;* neque enim est prioritas naturae inter voluntatem volentem et operationem volendi. Sed ex hoc nequaquam sequitur Deum voluntatem liberam physice immediate praedeterminare ad unum certum obiectum volendum. Nam, ut ait Angelicus, „Deus operatur in omnibus, *ita tamen, quod in unoquoque secundum eius condicionem;* unde in rebus *naturalibus* operatur sicut *ministrans virtutem* agendi et sicut *determinans* naturam ad talem actionem; in *libero autem arbitrio* hoc

modo agit, ut *virtutem agendi sibi* [i. e. libero arbitrio] *ministret* et ipso operante liberum arbitrium *agat*, sed tamen *determinatio* actionis et finis *in potestate liberi arbitrii* constituitur, unde remanet sibi dominium sui actus, licet non ita sicut primo agenti" [quia Deus, primum agens, independenter libere agit, voluntas creata autem *se ad utrumlibet determinat*, usu libertatis per omnipotentiam voluntatis Dei concesso]. (In 2. Sent. dist. 25, q. 1, a. 1 ad 3.)

516. ***Obi. 4.*** Si non statuas praemotionem immediatam ad unum, non explicatur, quomodo Deus sapienter creaturas liberas ad finem possit dirigere. Nam in hypothesi concursus tantum simultanei Deus hunc concursum decernens quodammodo exspectare debet, quomodo creatura concursu ad utrumlibet oblato usura sit, et solum, postquam ab aeterno *ratione* prius usum illius concursus actualem cognoverit, potest decernere, quomodo ulterius velit dirigere creaturam. *Atqui* hoc modo manifesto fieri potest, ut Deus *absolute* velit aliquid ab aliqua creatura libera obtinere, quod haec numquam praestat; id quod non quadrat cum summo Dei dominio (cf. *Goudin* op. c. p. 256, „Probatur nono"). *Ergo* statuenda est praemotio illa immediata ad unum.

Resp. *Dist. ass.:* Si non admittis scientiam mediam *ratione* praecedentem decretum concursus solum simultanei, *conc. ass.*, si eam admittis, sicut ex doctrina Aquinatis eam admittendam esse a nobis probatum est, *nego ass. Ad prob. nego mai.*, quia decretum concursus solum simultanei formatur sub luce scientiae mediae. *Transeat min.*, quia nos concursum simultaneum talem, qualis in *min.* supponitur, non docemus. Quomodo secundum nostrum systema verum maneat Deum a creatura libera obtinere posse, quod *absolute* obtinere velit, explicavimus supra n. 498.

517. ***Obi. 5.*** Quod est indifferens ad utrumlibet, non agit, nisi prius ab alio determinatur ad unum. *Atqui*, ut plurimum causae secundae, praecipue voluntas humana, sunt indifferentes ad utrumlibet. *Ergo* non agunt, nisi prius determinentur ab aliquo ad unum, scl. a causa prima, quae sola potest determinare voluntatem (cf. *Goudin* op. c. p. 255).

Resp. *Dist. mai.:* Quod indifferens est ad utrumlibet propter virtutem eius ad agendum nondum perfecte expeditam, non agit, nisi prius determinetur ab alio ad statum virtutis agendi expeditae, *conc. mai.*, quod indifferens est ad utrumlibet, virtute agendi ipsius ad agendum perfecte expedita, ita ut sit *active* indifferens, *nego mai., dist. min.:* Causae secundae ut plurimum sunt indifferentes ad utrumlibet in abstracto consideratae, *conc. min.*,

in sua concreta ad alias causas secundas habitudine spectatae, *nego min.*, quatenus agitur de causis non libere agentibus; quatenus autem sermo est de causis libere agentibus, *subd. min.:* causae liberae ad agendum perfecte expeditae, *divino concursu solum simultaneo oblato, active* indifferentes sunt ad sui determinationem, *conc. min.*, sunt ad eam *passive* indifferentes, eo saltem sensu, ut se ad unam actionem non determinent, nisi postquam a Deo natura prius ad eam physice praedeterminatae sunt, *nego min., dist. cons.:* . . . non agunt, nisi prius determinentur ad eam actualitatem habendam, vi cuius perfecte expeditae sunt ad agendum, *conc. cons.*, non agunt, nisi prius a Deo immediate praedeterminentur ad unam certam actionem, *nego cons.*

518. ***Obi. 6.*** Asseclae concursus solum simultanei, cum contra praemotionem immediatam physicam difficultates petunt ex libertate arbitrii, falso supponunt Deo convenire eundem agendi modum, qui convenit creaturis, et eandem esse rationem causalitatis divinae et causalitatis creatae. *Atqui* hoc est falsum. *Ergo* tota illa ratiocinatio falso nititur supposito (cf. *Zigliara*, Summa philosophica II, 391).

Resp. *Nego mai.:* Nam asseclae concursus solum simultanei, cum contra praemotionem immediatam physicam arguunt ex libertate arbitrii, nihil aliud supponunt nisi ipsum effectum illius praemotionis, eumque ita declaratum, uti a Bannez et qui eum sequuntur statuitur. Hunc effectum, quem Bannesiani dicunt *ex natura sua creaturam infallibiliter trahere ad unam certam actionem, cuius futuritionem Deus ex ipso illo effectu suo, ab aeterno decreto, cognoscat,* comparant cum genuina notione libertatis arbitrii, quam Bannesiani non minus fortiter quam illi defendunt; qua comparatione instituta declarant se non intelligere, quomodo utrumque simul stare possit. Quodsi Bannesiani dicunt ibi esse mysterium, cum Suarezianis respondemus: 1. mysteria non sunt fingenda, donec res aliter explicari potest, nisi ex doctrina revelata de iis constet; 2. *a fortiori* hic canon est observandus, cum agitur de libertate arbitrii defendenda, in qua admittenda infideles tantam habent difficultatem; 3. mysterium, de quo adversarii loquuntur, neque apud S. Thomam neque apud aliquem alium Doctorem ab Ecclesia specialiter approbatum invenitur. Illud mysterium non esse partem doctrinae S. Thomae a nobis iam supra ostensum est (thes. XLIX, p. III) [1].

[1] Qui de hac re plura desiderat, consulat *Vict. Frins*, S. Thomae Aquinatis O. P. doctrina de cooperatione Dei cum omni natura creata, praesertim libera. Parisiis 1892. Quod opus claritate et soliditate excellit.

519. *Nota. Ad obiectiones, quae contra doctrinam concursus solum simultanei ex S. Thoma afferri solent, sufficienter solvendas nota haec principia:*

1. S. Thomas docet Deum creaturam movere ad agendum; etiam clare docet aliquam praemotionem, quae termino praemotionis physicae recte appelletur, et quam etiam nos in St. Q. thes. XLVIII. clare docuimus. Sed nullibi docet *immediatam ad unam actionem praedeterminationem physicam eamque talem, qualem qui Bannez sequuntur statuunt. De hac autem sola est nobis controversia cum adversariis.* Quare ex S. Thoma, frustra nobis ostendunt, eum docere praemotionem non solum generalem, sed etiam ad actiones particulares. Haec omnia admittimus.

2. S. Thomas docet Deum causare volitionem nostram, quatenus volitio involvit actuale exercitium libertatis, *formaliter*, sed non *realiter* differens ab *hac* prae *illa* volitione, et *hac* prae *illa* volitione *ratione* prius. Nequaquam autem docet a Deo esse exercitium arbitrii liberi spectatum praecise sub formalitate *huius* prae *illius* volitionis. Immo hoc, ut ex eius scriptis probavimus, clarissime negat (cf. thes. XLIX, p. III). Deinde non docet Deum causare *actuale exercitium* libertatis per praemotionem immediatam physicam. Quomodo illud causet per concursum solum simultaneum, supra clare ostendimus (n. 486 sq.).

520. 3. Secundum S. Thomam Deus voluntatem hominis aliquando mutat vel convertit de malo ad bonum; sed ex mente Angelici Deus id non praestat praemotione immediata physica. Quomodo id in systemate nostro optime teneri possit, ostendimus thes. XLIX, n. 498.

4. S. Thomas, cum docet Deum creaturam movere, ut artifex movet instrumentum, utitur praeclara metaphora ab adversariis nostris aliter exposita, atque secundum mentem Angelici exponenda est. Quomodo exponenda sit, explicavimus supra n. 500. — Eam *non posse* recte intelligi de immediata ad unam praemotione physica ex eo sequitur, quod Angelicus iis locis, ubi doctrinam non sub involucro metaphorae, sed terminis maxime propriis lucidissime exponit, *explicite* contrariatur immediatae ad unam actionem praemotioni physicae (cf. thes. XLIX, p. III, n. 503 sqq.). Cf. Appendix I. Ad Theol. nat. n. 565 sqq. et S. th. 2, 2, q. 23, a. 2, c., § „Similiter etiam".

Caput IV.

De Providentia divina.

521. *Praenotanda.* Providentia in genere spectata, ut ait Angelicus, est *„ratio ordinandorum in finem“* (*S. Thom.*, S. th. 1, q. 22, a. 1); aliis verbis: Providentia est intentio certi finis et praeordinatio mentalis mediorum, quibus finis attingatur. Per metonymiam nomen providentiae extenditur ad significandam ipsam actualem rerum in finem intentum per media praeordinata directionem, quae suo nomine dici solet gubernatio (cf. *S. Thom.* l. c. a. 3, c.).

Itaque ad exsistentiam et perfectionem divinae super hunc mundum Providentiae patefaciendam haec quaeremus:

1. Quinam est finis, quem Deus mundo praestituit?

2. Suntne res huius mundi eius bonitatis, quae congruat fini earum optimo a Deo optimo intento?

3. Estne Deus ipse omnium rerum providus in finem earundem gubernator?

4. Quomodo fieri potest, ut sub Providentia Dei summe boni tot sint mala in hoc mundo?

Art. 1.

De fine quem Deus mundo praestituit.

Thesis L.

522. **Finis mundi primarius est ipse Deus per mundum glorificandus gloria externa obiectiva et formali, finis autem secundarius est hominum felicitas.**

St. Q. Agitur in thesi de mundo nobis naturaliter sufficienter noto, non vero de mundo pure spirituali sive angelico, de quo fere nihil scimus, nisi suppositis iis, quae de eo nobis revelata sunt. Ceterum pars I. thesees, ut ex ipsa argumentatione patebit, non minus de angelis quam de mundo corporeo valet.

Quaestio est nobis de fine ultimo mundi. Qui finis dividitur in finem primarium et secundarium. Finis primarius sive absolute ultimus is est, qui nulli omnino alii subordinatur simulque, quacumque ex parte creaturarum liberarum condicione posita, a Deo intenditur. Finis secundarius sive relative ultimus is est, qui non ut medium ad finem inter-

medium inter ipsum et finem absolute ultimum refertur, attamen est medium respectu huius, neque intenditur nisi sub certis condicionibus ex parte creaturarum liberarum positis.

523. Itaque parte I. theseos asserimus Deum glorificandum esse primarium mundi finem. Quam partem ita demonstrabimus, ut primum ostendamus Deum esse finem primarium mundi, deinde evincamus eum esse finem mundi, quatenus mundus ab eo decretus et creatus sit, ut creaturae ipsum glorificent gloria externa obiectiva et formali. Quae phrasis quid significet, ex his patebit. *Gloria* definitur *clara cum laude notitia* sive *agnitio excellentiae alicuius.* Gloria ita definita est *gloria formalis,* cui opponitur *gloria obiectiva,* scl. *ipsa excellentia alicuius qua obiectum agnitione dignum.* Gloria utraque, formalis et obiectiva, distingui potest in internam et externam. *Gloria formalis interna* est agnitio excellentiae propriae; *gloria obiectiva interna* est *excellentia alicuius, quatenus est obiectum agnitione ipsius dignum. Gloria formalis externa* est agnitio excellentiae alicuius ex parte aliorum; *gloria obiectiva externa* est excellentia alicuius aliis quodammodo communicata, ab iis similitudinarie participata.

524. Parte II. theseos statuimus hominum felicitatem esse finem mundi secundarium. Quam felicitatem Deus intendit cum dependentia ab usu arbitrii liberi hominum. Quod spectat homines, qui arbitrii liberi usu per totam vitam numquam pollent, de his nihil certi solo lumine naturali cognoscere possumus nisi hoc: non esse probabile eos finaliter aut annihilatum aut ab omni felicitate exclusum iri (cf. Psychol. rat. n. 456). Ceterum ex theologia dogmatica sufficienter constat eos finaliter fore felices. De modo autem felicitatis finalis hominum nihil determinamus nisi hoc unum: eam positam esse in aliqua Dei, primae veritatis, cognitione relative perfecta, ex qua resultet quies voluntatis in Deo ut summo bono.

525. **Pars I. Deus glorificandus est finis mundi primarius.**

a) ***Deus** est finis mundi primarius.*

Arg. 1. (Ex bonitate Dei.) Ratio causae finalis competit Deo summo gradu. *Ergo* necesse est ad eum omnia ultimo referri.

Prob. ant. Bonitas est ratio finaliter causandi. *Atqui* Deus est bonitas summa (thes. XLI). *Ergo* ei convenit ratio finaliter causandi summa (cf. *S. Thom.*, Contra gent. lib. 3, cap. 17).

Ary. 2. (Ex eo, quod Deus se ipsum solum ***necessario*** *amat.)* Ad id omnes effectus ab ente intelligenti, cum libere agit, referuntur, quod ab ipso propter se amatur. *Atqui* a Deo ipse solus propter se amatur idque absoluta necessitate (thes. XXXV). *Ergo* ad se ipsum ut ad finem omnia alia necessario refert.

526. b) *Deus* ***gloria externa obiectiva et formali glorificandus*** est finis mundi primarius. — Deum creantem se non ita intendere qua finem rerum creatarum, ut per eas acquirere velit augmentum suae perfectionis et beatitudinis, ex eo patet, quod ipse est infinite perfectus (thes. XV) et sui cognitione et amore infinite beatus (thes. XXXVIII). Nihilominus, ut ex iis, quae sub a) modo probata sunt, clare constat, suam bonitatem ut finem omnium intendere debet. Unde *ex ipsa essentia rerum creatarum* ita licet arguere ad utrumque, quod sub b) affirmatur, evincendum.

527. *α) Deus intendit gloriam suam externam obiectivam ut finem.* Deus nequit velle creare, quin velit sui similitudines esse, quae absque creatione non sunt; nam omnis essentia creata se habet ad essentiam divinam „ut actus imperfectus ad actum perfectum“ (*S. Thom.*, S. th. 1, q. 14, a. 6 ad 2), hunc actum secundum eius similitudinem participans. Etenim „omne agens invenitur sibi simile agere, unde, si prima bonitas sit effectiva omnium bonorum, oportet, quod similitudinem suam imprimat in rebus effectis“ (*S. Thom.*, Qq. disp. de ver. q. 21, a. 4, c. sub fin.). Id ex eo quoque abunde patet, quod creaturae, prout *ratione* prius a Deo cognoscuntur ut possibiles, quam eliguntur ad creationem, ***in se*** *nullam intelligibilitatem habent* et consequenter non possunt intelligi nisi *ut similitudines essentiae Dei, quae ab ipso, si velit, effectibiles* sint. *Ergo,* si eas creare vult, necessario vult eas ut similitudines suae bonitatis. *Atqui* eo ipso vult id, quod continetur definitione gloriae Dei externae obiectivae. *Ergo* hanc Deus necessario statuit finem creationis.

528. β) *Deus intendit gloriam suam externam formalem ut finem.* Deus vult, ut creaturae rationales sint similitudines ipsius tales, quales esse debent, ut *pro natura sua* bonitatem divinam obiective repraesentent. (Constat hoc ex iis, quae modo sub α) probata sunt.) *Atqui* tales esse non possunt, nisi secundum intellectum et voluntatem, ultimatim saltem, recte se habeant ad obiectivam veritatem et bonitatem, et ad hanc recte se habere nequeunt, nisi Deum ut primam veritatem et summum bonum agnoscunt. *Ergo* Deus eas in hunc finem creavit. *Atqui* eo ipso id ut finem intendit, quod continetur definitione gloriae Dei externae formalis. *Ergo* Deus hanc intendit ut finem.

529. **Pars II. Felicitas hominum est finis secundarius mundi.**

Ex Psychologia constat hominem naturali necessitate beatitudinem appetere, quae, cum in operatione perfecta intellectuali consistat (*S. Thom.*, S. th. 1, q. 26, a. 2), obtineri nequit nisi Dei cognitione et amore relative perfecto, id quod in Ethica latius demonstratur (cf. *Cathrein*, Philos. mor. n. 16 sqq.). Quare ita arguere licet:

Deus homines creavit, ut finaliter in ipso bearentur, dummodo arbitrii libertate abutentes ne beatitudine se indignos reddant. *Atqui* cetera, quae in mundo inveniuntur, *natura sua et consequenter ex intentione Dei creatoris* sunt apta, quibus homo iuvetur, ut ad beatitudinem finalem se recte disponat. *Ergo* beatitudo sive felicitas finalis hominum *in consideratione relativa* est finis mundi ultimus; aliis verbis: omnia homine inferiora sunt propter felicitatem finalem hominum, *saltem condicionate,* a Deo intenta, homines autem finaliter felices a Deo ad nullam aliam creaturam ordinantur, sed ad Deum ipsum secundum summam ipsius bonitatem *agnoscendum* [1].

Prob. min. pluribus rationibus: a) Res huius mundi homini inserviunt ad vitam vegetativam et sensitivam susten-

[1] Dixi potius *agnoscendum* quam cognoscendum et amandum, quia finis relative ultimus, quatenus est *agnitio Dei ut summi boni,* sine dubio in omnibus creaturis rationalibus finaliter verificabitur, quamquam haec agnitio in impiis non erit *voluntaria,* sed *coacta* secundum illud: „Daemones credunt et contremiscunt“ (Iac. 2, 19). Cf. Psychol. rat. n. 456, § „Dein quod spectat“.

tandam, quae vitae sunt fundamenta vitae intellectualis, per quam ad beatitudinem suam se praeparare debet. b) Res huius mundi homini occasionem praebent vires suas intellectuales studio et inquisitione acuendi et perficiendi, quo *mediate* disponitur ad perfectiorem Dei cognitionem et amorem per rerum creatarum contemplationem acquirendam. Cf. testimonia hominum principum, rerum naturalium peritorum, quae attulimus lib. I, n. 125 [1]. c) Omnia quae in hoc

---

[1] Quibus hoc loco addere liceat testimonia quattuor aliorum coryphaeorum scientiae rerum naturalium:

I. *Faraday* per admirabiles inquisitiones suas scientificas a fide in Deum nequaquam aversus est, sed potius maiori in Deum reverentia imbutus; secus enim homo ille sinceritate excellens non perseverasset in coetu aliquo Christi fidelium, qui excellunt *pia fide in Christum et S. Scripturam:* „Faraday *was a devout Christian* (ita de eo loquitur Tait, sua rerum physicarum scientia bene notus), and a member of the religious body called Sandemanians or Glassites." Ex quo facile intelliges, cur Tyndall sub finem libri de vita Faraday scripti eum verbis poetae alicuius vocaverit *equitem Dei iustum et fidelem*, a „just and faithful knight of God" (cf. *Chambers,* Encyclopaedia [nova ed. 1888] sub voc. Faraday, Glassites, et *J. Tyndall,* Faraday as a discoverer).

II. *James Clerk Maxwell,* lumen illud vere primarium inter investigatores rerum naturalium saeculi XIX., sicut pie vixit, ita, cum diuturno affligeretur morbo, praeclara suae in Deum et Christum fidei testimonia edidit. Eximiam enim suam indolem naturalem desursum se accepisse testabatur his S. Iacobi verbis: „Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est." Frequenter quoque profitebatur suam totalem a Deo dependentiam iterum iterumque repetens hos versus: „Lord, it belongs not to my care, Whether I live or die; To love and serve thee is my share, And that thy grace must give." (Life of James Clerk Maxwell by *Lewis Campbell,* M. A. etc., and *William Garnett,* M. A. etc., p. 409.)

III. *Sir Charles Lyell,* geologus celeberrimus, haec habet: „In whatever direction we pursue our researches, whether in time or space, we discover everywhere the clear proofs of a creative Intelligence, and of his foresight, wisdom and power." Principles of Geology (11th ed.) 2, 620.

IV. *Sir William Thomson,* cum anno 1882 alicui conventui hominum rerum naturalium praesideret, haec dixit: „Overpowering proofs of intelligence and benevolent design lie around us, showing us through nature the influence of a free-will, and teaching us that all living beings depend upon one ever-acting Creator and Ruler." Cf. The Month (Jan. 1889, p. 40) in articulo „The new genesis", auctore *J. Gerard,* qui etiam plura alia virorum rerum naturalium scientia excellentium testimonia addit.

mundo inveniuntur, homini materiam praebent uberrimam, circa quam suum erga Deum amorem exercitio virtutum omnis generis probare et augere possit.

530. ***Obi. 1.*** Deus ut finem absolute ultimum certe non intendit aliquid, quod sit prorsus vanum atque inutile. *Atqui* gloria illa, quae Deo per creaturas redditur, est prorsus vana atque inutilis. *Ergo* . . .

Resp. *Conc. mai., nego min. et cons.,* nam gloria illa 1) non est *vana,* quia constituitur ea creaturae ad Creatorem relatione, quam et summa Creatoris bonitas et summa creaturae ab ea bonitate dependentia exigit. Consequenter Deus veritatis summe amans non potest non absoluta necessitate velle eam relationem. 2) Neque illa gloria dici potest *inutilis.* Licet enim Deo nullam utilitatem afferat, cedit tamen in utilitatem summam creaturarum rationalium, nisi hae sua culpa commodum ex ea sibi derivandum amittunt.

Obi. 2. Gloria Dei *formalis* saepe impeditur libertate creaturarum rationalium. *Atqui,* quod a Deo absolute intenditur, ea impediri nequit. *Ergo* saltem gloria Dei formalis ab eo dici nequit *absolute* intendi.

Resp. *Dist. mai.:* . . . quatenus gloria Dei formalis spectatur secundum modum, quo Deo a creaturis rationalibus reddenda est tempore probationis earum, *conc. mai.* (nam gloriam suam formalem secundum hunc modum spectatam Deus *serio* quidem vult, sed *solum sub condicione liberi creaturarum rationalium consensus, saltem in multis casibus*), . . . quatenus eadem gloria Dei formalis spectatur secundum modum, quo Deo a creaturis rationalibus in statu earum finali reddenda est, *nego mai., conc. min., dist. cons. ut mai.*

531. ***Obi. 3.*** Multi homines in eo statu physico et morali versantur, quo ad infelicitatem finalem potius quam ad felicitatem disponantur. *Ergo* non videtur Deus felicitatem finalem *omnium* hominum intendere.

Resp. *Dist. ant.:* . . . quo statu, abstractione facta a Dei providi cura nobis in singulis casibus inscrutabili, ad infelicitatem potius quam ad felicitatem finalem disponantur, *conc. ant.,* . . . quo statu recte dicantur *vere et simpliciter* ad infelicitatem finalem potius quam ad felicitatem disponi, *subd. ant.:* . . . quatenus ille status non involvit culpam *formaliter* gravem ipsorum hominum, qui in eo versantur, *nego ant.,* quatenus inter ea, quibus ille status constituitur, invenitur culpa formaliter gravis eorum, qui

in eo versantur, *conc. ant., dist. cons.*: ... non absolute, *conc. cons.*, ... non serio, licet condicionate, *nego cons.* Solus status peccati *formaliter* gravis hominem *per se* necessitate *connaturali* disponit ad infelicitatem; nullus alius status eum ad eam aliter disponere potest nisi *per accidens*, quatenus scl. homo in statu difficili versans libertate sua non ita utitur, sicut voce conscientiae eam adhibendam esse cognoscit. Plura alia ad hanc *obi.* spectantia v. thes. LIII.

Art. 2.

De rerum mundanarum ad finem mundi habitudine.

Thesis LI.

532. **Mundus, qui actu est, non est absolute optimus omnium possibilium, dici tamen debet relative optimus.** (Cf. *S. Thom.*, S. th. 1, q. 25, a. 5 et 6; Quaest. disp. de pot. q. 1, a. 5; De veritate q. 20, a. 4, c., § „In utraque autem".)

St. Q. S. Thomas ll. cc. haec clare docet: 1. praeter creaturas effectas Deus potuit alias creare; immo tot potest creare, ut creaturae ab ipso vere creabiles omnem numerum excedant. 2. Creaturae, quae creatae sunt, nequaquam sunt absolute optimae earum, quae creari possunt; immo sibi repugnat esse aliquam rem creatam, qua non possit esse res creata melior. 3. Res huius mundi sunt optimae, quatenus comparantur ad finem, in quem ordinantur ab auctore mundi.

Cui doctrinae opponitur ea, quae dici solet *Optimismus*, accuratius autem vocatur *Optimismus exaggeratus*. Nam, ut ex iis, quae modo ex S. Thoma attulimus, patet, ipse Optimismum aliquem moderatum docuit, et parte II. theseos nostrae hunc ut verum defendimus.

Optimismus autem exaggeratus ab iis statuitur, qui dicunt hunc mundum esse tam bonum, ut non possit esse systema rerum, quod eum bonitate superet. Quibus concedendum est res huius mundi ad finem mundi a Deo *absolute* intentum tam bene continuo se habere, ut nullum possit esse systema rerum, quod ad finem, quem Deus ei *absoluta voluntate* praefigeret, si illud crearet, melius se habere posset. Negandum autem est non posse esse mundum, cuius singulae creaturae

sint similitudines participatae meliores divinae sapientiae, potentiae, bonitatis ceterorumque attributorum divinorum, quam eae creaturae, quae actu sunt in hoc mundo.

Inter eos, qui Optimismo exaggerato adhaeserunt, imprimis commemorandi sunt Leibniz (cf. Opp. [ed. Erdm.] p. 506), Malebranche (cf. Recherche de la vérité lib. 4, cap. 1), Rosmini (cf. Teodicea n. 651).

533. Pars I. Hic mundus non est absolute optimus.

Deus potentia sua infinita opere quocumque effecto aliud efficere potest, quod eius bonitatem similitudinarie excellentius participaret, si esset. *Atqui* hic mundus est totaliter opus Dei, quia in eo nulla realitas positiva invenitur, quae non debeatur infinitae Dei potentiae aut per se solam agenti aut cum creaturis agentibus immediate concurrenti. *Ergo* Deus potest efficere mundum excellentius divinam bonitatem similitudinarie participantem. *Atqui* eiusmodi mundus secundum esse sibi internum sive secundum se absolute consideratus (i. e. abstractione facta ab eo, quod Deus per mundum assequi vult, et a modo, quo id libere vult assequi) esset mundus melior. *Ergo* Deus potest mundum meliorem efficere, quam is est, qui actu exsistit. Consequenter hic mundus non est absolute optimus.

534. Pars II. Hic mundus est relative optimus.

Relative optimus dicendus est mundus, qui fini suo perfecte adaptatus est, quatenus finis non mere in abstracto spectatur, sed secundum eum gradum gloriae Dei externae et felicitatis creaturarum rationalium, quem Deus ab aeterno vere vel condicionate vel absolute pro singulis mundi aetatibus intendit. *Atqui* hic mundus fini suo ita spectato perfecte adaptatus est. *Ergo* hic mundus dicendus est relative optimus.

Prob. min. Deus, auctor mundi, est omnipotens, summe sapiens et bonus. *Atqui* nequit esse talis, quin media fini, quem intendit, secundum gradum et modum, quo eum vel condicionate vel absolute intendit, perfecte adaptet. *Ergo* Deus hunc mundum, quem in gloriam suam externam et hominum felicitatem creavit, ita instituit, ut mundus illi fini,

quatenus eum spectamus secundum gradum et modum, quo a Deo pro singulis mundi aetatibus ab aeterno intentus est, perfecte adaptatus sit.

535. ***Obi. 1.*** Modus agendi sequitur modum essendi. Unde, qui est absolute optimus, absolute optimum actione sua efficit. *Atqui* Deus est absolute optimus. *Ergo* necessario efficit mundum absolute optimum. *Atqui* hunc mundum effecit. *Ergo* hic mundus est absolute optimus.

Resp. *Dist. mai.:* ... ita ut modus, quo aliquod ens qua principium aliquem effectum producens subiective se habet, correspondeat *esse* ipsi realiter interno, *conc. ant. mai.*, ... ita ut actio eius obiective spectata sive effectus, quem producit, perfecte proportionetur virtuti actuali efficiendi, quae ipsi enti agenti eo momento inest, quo effectum producit, *subd. ant. mai.:* si ens agens naturali necessitate effectum producit, *conc. ant. mai.:* si eum libere producit per virtutem sibi propriam, intensius vel remissius pro libito applicabilem, *nego ant. mai. A fortiori* igitur hoc negandum est, si ens agens effectum producit per potentiam actu infinitam libere applicabilem, quale ens agens est Deus, *nego cons. mai., conc. min., nego cons. 1., conc. min. subs., nego cons. 2.*

536. ***Obi. 2.*** Deus qua principium agens subiective spectatum optime se habet. *Atqui* sub hoc respectu optime se non habet, si non creat mundum absolute optimum. *Ergo* necessario creat mundum absolute optimum.

Prob. min. Nisi Deus creat mundum absolute optimum, libere omittit creationem mundi melioris, quamquam intelligit sibi hanc creationem aeque facilem esse. *Atqui* eo ipso qua principium agens subiective spectatum optime se non habet. *Ergo* sub hoc respectu optime se non habet, si non creat mundum absolute optimum.

Prob. min. ult. Qui efficit opus minus bonum, cum clare intelligit se aeque facile posse efficere opus melius, qua principium agendi subiective spectatum optime se non habet, sed minus perfecte, quam se habere posset. *Atqui,* si Deus omittit creationem mundi melioris eo quem actu creat, quamquam intelligit illius mundi creationem sibi aeque facilem esse, efficit opus minus bonum, cum clare intelligit se aeque facile posse efficere opus melius. *Ergo* in hac hypothesi qua principium agens subiective spectatum optime se non habet, sed minus perfecte, quam se habere posset.

Resp. *Conc. mai., nego min. et cons., ad prob. min. 1. conc. mai., nego min. et cons., ad prob. min. 2. dist. mai.:* Qui opus minus bonum tum efficit, cum non solum intelligit se posse opus melius aeque facile efficere, sed etiam certum finem sibi secundum rectam rationem optimo, quo fieri possit, modo prosequendum opere meliori perfectius obtineri, *conc. mai.,* qui facit opus minus bonum, cum intelligit quidem se aeque facile posse efficere opus melius, simul autem intelligit sibi nullum finem ullo opere necessario esse prosequendum, sed se esse infinite bonum, sive abstineat ab omni opere sive efficiat opus minus bonum sive efficiat opus melius, *nego mai., contrad. min., nego cons.*

537. ***Obi. 3.*** (Cf. *Rosmini,* Teodicea n. 651, apud *Liberatore,* Inst. phil. II, 63 sq. [ed. 1. novae formae].) Numerus mundorum possibilium est finitus, et inter mundos possibiles hic mundus prae ceteris congruit divinae bonitati. *Ergo* hic mundus est absolute optimus.

Prob. pars 1. ant. pluribus rationibus: 1. In multitudine infinita impossibilis est electio; singula enim membra eius ceteris omnibus essent comparanda, quod fieri nequit, cum ea multitudo natura sua sit eiusmodi, ut non possint membra eius omnia et singula umquam haberi. 2. Admissa multitudine infinita mundorum possibilium, Dei potentia superaretur a possibilitate rerum, nam omnes certe non posset creare. 3. Numerus infinitus repugnat; ergo ne in mente quidem divina haberi potest. 4. Deus, cum concipit possibilitatem creaturarum, sibi infinito opponit finitum. *Atqui* ex finito non educuntur nisi finita. *Ergo* numerus mundorum possibilium est finitus.

Prob. pars 2. ant. Ille mundus bonitate ceteris praestat, qui apparatu mediorum minimo bonum maximum producit. *Atqui* hic mundus noster id praestare dicendus est. *Ergo* . . .

538. ***Resp.*** *Nego ant. quoad utramque partem, nego cons., ad prob. partis 1. ant. ita resp.*

Ad rat. 1. dist. ass.: . . . impossibilis est ei, qui indiget successiva cognitione singulorum membrorum, ut ea inter se comparare possit, *conc. ass.,* . . . impossibilis est ei, qui uno intuitu in sua essentia possibilia infinita distinctissime cognoscit, quale ens est Deus solus, *nego ass.*

Ad rat. 2. nego ass., namque Deus singulos mundos possibiles *secundum modum, quo revera possibiles sunt,* efficere potest; simultanea autem omnium effectio revera intrinsecus impossibilis est, utpote quae involveret multitudinem systematum rerum existentium et inter se independentium actu infinitam.

Ad rat. 3. ***Resp. I.*** cum S. Augustino: „Infinitas itaque numeri, quamvis infinitorum numerus nullus sit numerus, non est tamen incomprehensibilis ei, cuius scientiae non est numerus“ (De civitate Dei lib. 12, cap. 18).

Resp. II. in forma: *Nego suppositum ant.* scl. mundos infinite multos intelligi numerum actu infinitum, *conc. cons.*, sed nego inde sequi non esse infinite multos mundos possibiles et Deo cognoscibiles (cf. *S. Thom.*, S. th. 1, q. 14, a. 12, c. et Qq. Disp. de Veritate q. 20, a. 4, c., § „In utraque“).

Ad rat. 4. dist. mai.: Deus, cum rerum possibilitatem concipit, sibi infinito aliquid opponit, quod secundum essentiam suam est finitum, neque umquam *exsistere* potest nisi ex parte sive ut multitudo actu finita, *conc. mai.*, sibi infinito aliquid opponit, quod constet entibus possibilibus secundum numerum finitis, *nego mai., dist. min.:* Ex finito non educuntur eo sensu infinita, ut umquam actu exsistant entia essentiae finitae multitudine actu infinita, *conc. min.*, ex finito non educuntur infinita eo sensu, ut essentia abstracta *substantiae finitae corporeae* vel essentia abstracta *systematis substantiarum corporearum finitarum* non possit successive modis diversis in tot substantiis vel tot systematis substantiarum esse actuabilis, ut substantiarum vel systematum substantiarum actuabilium non sit numerus, sed multitudo eorum excedat omnem numerum, *nego min., nego cons.*

Ad prob. part. 2. ant. ita resp. Dist. mai.: Ille mundus, qui apparatu mediorum minimo bonum maximum producit, est *relative* optimus, *transeat mai.*, . . . est *absolute* optimus, *nego mai., transeat min., nego cons.*

Art. 3.

De perfectione divinae rerum in finem directionis.

Thesis LII.

539. **Providentiae divinae omnes et singulae res creatae immediate et ordinatissime subsunt; unde evidens fit speciali modo ei subesse creaturas rationales qua tales et cum respectu ad has omnes res corruptibiles a Deo dirigi.** (Cf. *S. Thom.*, S. th. 1, q. 22 et 103; Contra gent. lib. 3, cap. 64—97.)

St. Q. Providentia generatim accepta a S. Thoma dicitur *„ratio ordinandorum in finem“* (S. th. q. 22, a. 1, c.). Divina autem Providentia ab eodem secundum Boethium definitur ita: *„Providentia est ipsa divina ratio in summo omnium*

principe constituta, quae cuncta disponit" (l. c.). In conceptu Providentiae hoc modo definitae duo includuntur:

a) Providentia sensu stricto accepta sive *ratio gubernationis* (*S. Thom.*, S. th. 1, q. 103, a. 6, c.), quae est decretum aeternum, quo Deus sub luce summae suae scientiae et sapientiae ab aeterno res creandas et servandas omnes et singulas definivit, finem iis praestituit et modum, quo ad finem pro sua natura aliae aliter dirigerentur, perfecte determinavit.

b) *Gubernatio sensu stricto accepta*, quae est illius decreti Providentiae per decursum temporum exsecutio. Est igitur gubernatio divina talis rerum ad agendum dispositio talisque in res agentes influxus, quo finis a Deo intentus secundum modum et gradum, quo eum revera intendit, certe obtineatur. **540.** Itaque parte I. theseos asserimus omnes et singulas res creatas immediate subesse Providentiae divinae. Attamen aliter subsunt *rationi gubernationis* divinae, aliter Deo actualiter res gubernanti. Quod enim spectat rationem gubernationis, ea tota a Deo ipso immediate praevisa et praeordinata est; ipsam autem gubernationem Deus non per se solum immediate exsequitur, sed multa relinquit provisoribus et gubernatoribus intelligentibus creatis curanda. Qui agendi modus non obstat, quin *sub certis respectibus* ipse omnia regat *immediate*. Distinctissime enim continuo cognoscit omnes actiones provisorum creatorum sub luce decreti sui aeterni, qua causa prima cum iis in rebus administrandis immediate concurrit *quoad omnia, quae non sunt moraliter mala* (thes. XLVII), et continuo cum respectu ad decretum suum aeternum de iis, quae a provisoribus creatis bene vel male fiunt, ea agit, quae requiruntur, ne finis rebus praestitutus ullatenus frustretur. Ex quo vides, quam sit infinitum discrimen inter modum, quo rex aliquis terrenus per ministros a se constitutos omnibus subditis providet, et modum, quo Deus supremam suam omnium rerum gubernationem quoad multa per provisores creatos exsequitur.

Parte II. ex eo, quod omnia Providentiae Dei *ordinatissime* subsunt, concludimus creaturas rationales *qua tales* ei speciali modo subesse et ad has ceteras creaturas referri. Dicimus autem *creaturas rationales qua tales*, ut explicite significemus *ipsa corpora corruptibilia hominum* inter ea esse,

quae secundum consilium Providentiae divinae fini animarum rationalium subservire debeant.

Subesse res consilio libero Providentiae aeternae divinae negant Materialistae, Fatalistae, Pantheistae. Deum continuo res non gubernare, sed solum ab initio disposuisse est opinio plurium, quibus aliquando inditum est nomen *Deistarum.*

541. Pars I. Providentiae divinae omnes et singulae res creatae immediate et ordinatissime subsunt.

Arg. 1. (Ex antea probatis.) Ostendimus esse unum Deum infinite perfectum, consequenter infinitae sapientiae et potentiae, cui ab aeterno omnia futura perspecta sint, qui libere res ex nihilo creaverit in finem gloriae suae externae obiectivae et formalis, a quo omnes res creatae in esse conserventur et omnes actiones rerum creatarum secundum esse suum positivum ut a causa universali sub certo respectu immediate pendeant. *Quibus suppositis ita arguo:*

Exsistit Deus infinite perfectus, qui omnes res libere creavit easque in esse conservat in finem gloriae suae externae obiectivae et formalis, et cum iis continuo in omnibus actionibus qua causa universalis omnis realitatis positivae immediate concurrit.

Atqui, ut supra (n. 534) ostensum est, Deus infinite perfectus, rebus non praestituit finem, quin etiam ab aeterno decreverit media, fini perfecte adaptata. Quare haec media decrevit non solum in universali, sed pro distinctissima sua omnium actuum atque eventuum futurorum praevisione quoad omnia et singula in concreto spectata. Praeterea Deus in omnibus actionibus agentium creaturarum immediate concurrere nequit nisi sub luce eiusdem decreti aeterni, quia hoc decretum stat immutabiliter (thes. XXXVI).

Ergo constat de utraque parte Providentiae divinae in St. Q. declaratae: scl. de decreto divino, omnia et singula in finem a Deo praestitutum dirigenda complectente, et de continua divina rerum singularum in finem gubernatione. Utrumque *ordinatissime* se habere per se patet ex infinita supremi provisoris et gubernatoris sapientia et sanctitate.

542. *Arg. 2. (Ex absurdo oppositi.)* Si Deus Providentia sua omnes et singulas res in finem ab ipso praestitutum con-

tinuo non dirigit, unum saltem ex his quattuor verum est: aut res non indigent ea directione; aut Deus nescit, quomodo dirigendae sint; aut caret potentia ad eas dirigendas sufficienti; aut non vult eas continuo dirigere.

Atqui haec omnia falsa sunt. *Ergo* Deus omnia et singula sua providentia continuo regit.

Prob. min. p. partes.

a) Nequit dici *directione divina non opus esse, ut res in finem tendant.* Etenim res in finem non tendunt nisi *operando;* operari autem non possunt, nisi quatenus Deus eas ad operandum vario modo praemovet cum iisque in earum operationibus concurrit; neque possunt *fini a Deo intento conformiter* operari, nisi Deus eas ab initio apte ad finem disponit earumque ad finem dispositionem conservat (thes. XLVII et XLVIII).

b) Dicere *Deum nescire, quomodo res in finem sint dirigendae,* est negare eius infinitam scientiam et sapientiam.

c) Qui autumat *Dei potentiam non sufficere ad res dirigendas,* detractat divinae omnipotentiae.

d) Evidens quoque est *Deum velle res in finem iis praestitutum dirigere.* Etenim finem semel decretum et media ad eum obtinendum sapienter definita immutabiliter vult; clare autem intelligit sine continuo sapientiae et potentiae suae influxu nullum medium ad finem obtinendum adhiberi posse, quia ei evidens est nullam rem sine suo concursu continuo quidquam agere posse, quod fini rebus praestituto conveniat. *Ergo* a ratione sapientiae deflecteret, nisi omnes et singulas res continuo in finem dirigere vellet.

543. *Arg. 3.* (Compositum ex argumentis, quae S. Thomas affert: Contra gent. lib. 3, cap. 76, § „Habet enim Deus", „Item, in rebus humanis", „Praeterea, Superior", „Amplius, Semper provisor".)

Omnia, quae decursu temporum in mundo sunt et fiunt, *sub aliquo respectu* sunt termini immediati decreti divini aeterni, fini mundi ea subordinantis; *sub aliquo respectu* etiam sunt sub immediata gubernatione divina, licet Deus provisores et administratores creatos in mundo gubernando adhibeat. *Ergo* omnia et singula immediate subsunt Providentiae

Dei summe sapientis, cui, ut per se patet, non possunt subesse nisi ordinatissime.

Prob. ant. p. partes.

a) *Omnia immediate subsunt decreto divino ea fini mundi subordinanti.* „Habet enim Deus immediatam singularium cognitionem, non ea quasi in suis causis cognoscens tantum, sed etiam in seipsis . . . Inconveniens autem videtur, quod singularia cognoscens eorum ordinem" [i. e. eorum sub finem mundi subordinationem] „non velit, in quo bonum praecipuum rerum constat, cum voluntas sua sit totius bonitatis principium. Oportet igitur, quod, sicut immediate singularia cognoscit, ita immediate eorum ordinem statuat" (*S. Thom.* l. c.). 544. b) *Omnia sub aliquo respectu a Deo immediate gubernantur.* „In rebus humanis inferiores provisores per suam industriam ordinem excogitant in his, quorum gubernatio iis a praesidente committitur, quam quidem industriam a praesidente habere non possunt, sed usum ipsius" [tantum]; „si vero a superiore eam haberent, iam *ordinatio* per *superiorem* fieret, *ipsi* autem essent illius ordinationis non provisores, sed *exsecutores.* Constat autem . . . quod omnis sapientia et intellectus a summo Deo in omnibus intellectibus causatur, nec intellectus potest aliquid intelligere nisi virtute divina, sicut nec aliquod agens operatur, nisi in quantum agit virtute ipsius. *Est igitur ipse Deus immediate sua Providentia omnia dispensans*" (*S. Thom.* l. c.).

Praeterea omnis superior sapiens, qui adhibet administratores, iis dat regulas agendi. *Ergo* etiam Deus sapientissimus administratoribus intelligentibus creatis huius mundi censendus est regulas tradere, secundum quas rerum sibi commissarum curam gerant. *Quo supposito ita arguo:* Deus provisoribus creatis aut praescribit regulas administrationis universales aut particulares. *Atqui* in utroque casu ipse *sub aliquo respectu* se manifestat ut gubernator immediate omnibus providens. *Ergo* omnia a Deo ipso aliquatenus immediate gubernantur.

Prob. min. p. partes.

1. Si Deus provisoribus creatis dat regulas *universales,* illi in applicatione earum pro finito suo intellectu et pro possibilitate malitiae moralis sibi propria errare possunt.

Atqui Deus pro summa sua sapientia permittere nequit, ut ex eiusmodi applicatione erronea regulae alicuius universalis quidquam contingat, quod impediat rerum in finem directionem secundum ordinem et modum, quo ipse ab aeterno eam non solum condicionate, sed absolute voluit. *Ergo* id non permittit. *Atqui* id permitteret, „si se ordinationi singularium immediate non immisceret". *Ergo* sub aliquo respectu est rerum omnium singularium „immediatus provisor" (cf. *S. Thom.* l. c.).

2. „Si vero secundi vel tertii provisores a summo provisore *particulares* regulas et leges accipiunt, manifeste apparet, quod horum singularium ordinatio sit immediate per Providentiam divinam" (*S. Thom.* l. c.).

545. Pars II. Speciali quadam ratione creaturae rationales qua tales Providentiae Dei subsunt, et cum respectu ad eas ceterae reguntur.

a) *Creaturae rationales Providentiae Dei subsunt modo speciali.* Earum creaturarum Deus pro summa sua sapientia maiorem curam habet, quae ipsi *tamquam causae exemplari et finali rerum omnium* incomparabiliter arctius connectuntur quam ceterae. *Atqui* eae sunt creaturae rationales *qua tales. Ergo* . . .

Prob. min. p. partes.

1. Creaturae rationales qua tales Dei incomparabiliter arctius connectuntur, quatenus Deus consideratur ut causa *eminenter exemplaris* omnium rerum. Nam creaturae rationales *qua tales* sunt *imagines* Dei, Spiritus primi ac purissimi, ceterae creaturae non sunt nisi quasi *vestigia Dei.* Consequenter unaquaeque creatura rationalis, quatenus usu rationis actu pollet, „habet dominium sui actus libere se agens ad operandum, ceterae vero creaturae ad opera propria magis aguntur quam agunt" (*S. Thom.,* Contra gent. lib. 3, cap. 111, § „Praecellunt", et S. th. 1, q. 93, a. 1—4 incl.).

2. Creaturae rationales qua tales Deo incomparabiliter arctius connectuntur, quatenus Deus consideratur ut causa *finalis* sive finis absolute ultimus omnium. Nam „sola creatura intellectualis ad ipsum ultimum finem universi sua operatione pertingit, scl. cognoscendo et amando Deum; aliae

vero creaturae ad ultimum finem pertingere non possunt nisi per *aliqualem* similitudinis ipsius participationem" (*S. Thom.*, Contra gent. l. c.).

b) *Cum respectu ad creaturas rationales qua tales omnes res corruptibiles a Deo reguntur.*

Arg. 1. (Ex experientia.) De facto ubique terrarum creaturae corruptibiles irrationales inserviunt rationalibus vel ad vitam sustentandam vel ad intellectum excolendum vel ad suam erga Deum reverentiam, amorem, oboedientiam exercendam. *Atqui* in his omnibus secundum ea, quae parte I. probata sunt, Providentiae divinae immediate subsunt. *Ergo* Deus res corruptibiles regit cum respectu ad creaturas rationales (cf. *S. Thom.*, Contra gent. lib. 3, cap. 112, § „Adhuc, Sicut agitur unumquodque").

546. *Arg. 2. (A priori ex eo, quod recta creaturarum dispositio id exigit.)* Recta creaturarum in finem ultimum dispositio id exigit, ut creaturae, quae finem ultimum *per se* attingere non possunt, eum consequantur, quatenus inserviunt iis, quae finis per se consequendi capaces sunt, ut illarum subsidio finem melius assequantur. *Atqui* Deum, qui est finis ultimus universi, solae creaturae rationales *per se* consequi valent, quia ipsae solae Deum cognoscere et amare possunt. *Ergo* Deus creaturas iis inferiores regit propter ipsas (cf. *S. Thom.* op. et l. c. § „Amplius, Quandocumque").

Coroll. ad partem I. theseos. Ergo nihil evenit, quod sit ***simpliciter*** *fortuitum. Simpliciter* enim sive *absolute* fortuitum id solum est, quod neque naturali necessitate oritur neque ab ullo ente vel intentum vel praevisum est. Tale quid sub Providentia Dei, qui omnia et singula ab aeterno vel intendit vel saltem praevidit omniaque fini ultimo sapientissime subordinavit et continuo subordinat, omnino esse nequit. Consequenter *non est fatum* sensu proprio acceptum (cf. *S. Thom.*, Contra gent. lib. 3, cap. 93).

547. *Coroll. ad partem II.* Ergo, cum plantis et animalibus brutis non minus *propter hominem* provideatur quam res inanimatis, usus eorum nobis licet. Crudelitas autem, quatenus haec se manifestat *in cruciatu inutili animalium*, homini quidem vitanda est, sed non propter animalium dignitatem, sed propterea, ne sibi vel aliis hominibus affectu crudelitatis

nutriendo damnum vel spirituale vel temporale inferat (cf. *S. Thom.*, Contra gent. lib. 3, cap. 112, § „Si qua vero in Sacra Scriptura").

548. *Scholion. De modo diverso, quo Deus gubernat creaturas rationales et alias creaturas.*

Ex eo, quod creaturae rationales a Deo propter se ipsas gubernantur, in quantum non ad aliam creaturam, sed ad ipsum Deum formaliter glorificandum ordinatae sunt, S. Thomas recte concludit eas dirigi a Deo ad suos actus „non solum secundum ordinem ad speciem, sed etiam secundum quod congruit individuis". Ceterae autem creaturae, licet singulae immediate subsint Providentiae Dei, tamen a Deo *non curantur qua individua*, sed *qua membra alicuius speciei in utilitatem hominum a Deo intentae* (cf. *S. Thom.*, Contra gent. lib. 3, cap. 113). Dirigit autem Deus creaturas rationales huius mundi, scl. homines, ante omnia per legem naturalem mentibus eorum inscriptam (op. c. lib. 3, cap. 114), deinde per praecepta et leges domesticas et civiles; praeterea, ut ex revelatione Dei supernaturali constat, per Ecclesiam, per angelos, per motus Spiritus Sancti.

Difficultates contra thes. LII.

Praeter eas, quas attulimus ad thes. XXII. (de summo principio malo), et eas, quae afferentur ad thes. LIII., hae imprimis notandae videntur difficultates.

549. ***Obi. 1.*** In mundo multa fiunt casu. *Atqui*, si omnia immediate subessent Providentiae Dei, nihil fieret casu. *Ergo* non videntur omnia ei immediate subesse (cf. *S. Thom.*, S. th. 1, q. 22, a. 2, obi. 1).

Resp. *Dist. mai.:* . . . casu respective accepto, i. e. quatenus comparantur ad praevisionem et intentionem hominum, *conc. mai.*, casu absolute accepto, i. e. absque causa vel libere vel necessitate naturali agente, a Deo, Provisore mundi, praevisa et fini mundi quoad singulas actiones suas totaliter subordinata, *nego mai., contradist. min., nego cons.*

Obi. 2. Si Deus omnia immediate regit, providentia humana est superflua. *Atqui* id asserere est absonum. *Ergo* Deus omnia immediate non regit (cf. *S. Thom.*, S. th. 1, q. 22, a. 3, obi. 2).

Resp. *Dist. mai.:* Si Deus ita omnia immediate regit, ut eius directio sit solum *sub certo respectu* immediata, eaque eiusmodi, ut directionem, quam provisores ab ipso Deo pendentes exercent, efficiat, quatenus haec directio consideratur cum abstractione a malitia morali ei interdum adiuncta, *nego mai.*, si Deus ità omnia immediate regit, ut omnis provisio *sub respectu quolibet* sit opus exclusive divinum, *conc. mai., conc. min., nego cons.*

550. ***Obi. 3.*** Regem magnum non decet, per ipsum minima quaeque ad subditos suos pertinentia curari. *Ergo a fortiori* non decet summam maiestatem Dei, per ipsum minimas quaslibet creaturas regi.

Resp. *Conc. ant., nego cons.*: . . . ob summam disparitatem. Rex enim humanus non potest ad minima quaelibet attendere, quin negligat graviora; Deus autem uno aeterno intuitu et decreto summa tranquillitate et certitudine providet et rebus maximis et rebus minimis.

Obi. 4. Artifex humanus aliquam machinam (v. g. horologium aliquod) ita construit, ut ea attingat finem, quem ipse intendit, sine continua et immediata sua in finem directione. *Ergo a fortiori* Deus sapientissimus machinam mundi ita construxit, ut non sit, cur ipse continuo et immediate eam regat.

Resp. *Conc. ant., nego cons.:* ob summam disparitatem. Nam artifex propterea tantum machinam ita fabricare potest, ut ea sine ipsius directione immediata in finem tendat, quia substantiae naturales, quibus substantia artificialis machinae componitur, vi concursus continui et immediati Dei summe providi certas leges agendi servant (cf. *S. Thom.*, S. th. 1, q. 22, a. 2 ad 3).

551. ***Obi. 5.*** Distributio bonorum et malorum huius vitae neque necessitatibus neque iuribus neque meritis singulorum hominum semper proportionata est. *Atqui*, si omnia et singula Providentiae divinae immediate subessent, ea distributio necessitatibus, iuribus, meritis singulorum hominum semper esset perfecte proportionata. *Ergo* omnia immediate non subsunt Providentiae divinae.

Resp. *Dist. mai.:* . . . neque ea bona a Deo intenduntur ut obiecta, quibus homines finaliter beandi sunt, *conc. mai.*, . . . quamquam ea bona a Deo intenduntur ut obiecta, quibus homines finaliter beandi sunt, *nego mai., contrad. min.:* si omnia et singula Providentiae divinae immediate subessent, et si praeterea bona huius vitae a Deo intenderentur ut obiecta, quibus homines finaliter beandi sunt, *conc. min.*, si omnia et singula Providentiae

divinae immediate quidem subessent, sed bona huius vitae non intenderentur ut obiecta beatitudinis finalis hominum, *nego min., nego cons.*

Obi. 6. Fuerunt multi provisores humani, qui gravissime contra iustitiam peccarent. *Atqui* impium videtur asserere Deum immediate gubernasse eiusmodi provisores. *Ergo* non omnia immediate subsunt Providentiae divinae.

Resp. *Conc. mai., dist. min.:* . . . ita ut ad formalem malitiam actuum eorum concurreret vel eam approbaret, *conc. min.,* . . . ita ut concursu suo immediato iis usum arbitrii liberi ad utrumlibet praestaret, simul per vocem conscientiae eorum prohibens malitiam, sed ob rationes Sapientia sua dignas, nobis inscrutabiles eam non impediens, *nego min., nego cons.* (cf. *S. Thom.,* S. th. 1, q. 22, a. 2 ad 2).

552. ***Obi. 7.*** Deus Providentia sua nullo modo videtur dirigere homines quosdam impios. Etenim eos permittit de malo in peius ruere ita, ut se ipsos perdant et aliis multis ruinae sint (cf. *S. Thom.,* S. th. 1, q. 22, a. 2, obi. 4).

Resp. *Dist. ass.:* Deus homines impios efficaciter non dirigit ad finem mundi et ipsorum primarium, *nego ass.,* . . . ad finem ipsorum secundarium eos non dirigit, scl. ad beatitudinem, *subd. ass.:* ex sua parte non sufficienter, *nego ass.,* non ita efficaciter, ut beatitudinem assequantur, *iterum subd. ass.:* quia abusu arbitrii liberi auxilium divinum impediunt, *conc. ass.,* alia de causa, *nego ass.* (cum S. Thoma, Contra gent. lib. 3, cap. 159). Ad rationem asserti secundum rectam rationem et doctrinam revelatam haec dicenda sunt: Deus neque intendit neque approbat abusum libertatis, quo eiusmodi homines de malo in peius ruunt; eum autem non impedit ex rationibus in singulis casibus nobis inscrutabilibus, quas tamen esse sanctissimas ex infinita Dei Sapientia et Sanctitate a nobis evidenter probatis omnino concludendum est. Quod autem dicitur homines impios aliis esse ruinae, id aut intelligitur de ruina temporali aut de ruina spirituali sive de peccato formaliter gravi. Ruinam temporalem homo, cui illa accidit, recto arbitrii liberi usu convertere potest in lucrum aeternum. Ruina autem spiritualis nemini accidere potest sine culpa ipsius formaliter gravi, aliis verbis: sine abusu arbitrii liberi ab ipso, cui accidit illa ruina, deliberate commisso.

Obi. 8. S. Paulus videtur docere Deo non esse curam de bobus 1 Cor. 9, 9. *Atqui* id non quadrat cum thesi. *Ergo* ea videtur doctrinae S. Pauli adversari (cf. *S. Thom.,* S. th. 1, q. 22, a. 2, obi. 5).

Resp. *Dist. mai.:* S. Paulus vult dicere Deum non curare bobus *propter boves, conc. mai., . . .* non curare bobus *propter homines, nego mai., contrad. min., nego cons.*

Art. 4.

De malorum mundi ad Providentiam divinam habitudine.

Thesis LIII.

553. **Providentia divina ita se habet ad mala physica et moralia huius mundi, ut ex his nihil legitime inferri possit contra bonitatem illius.**

St. Q. Inter eas rationes, quibus exsistentia Providentiae divinae impugnari solet, locum praecipuum obtinet exsistentia malorum. Itaque, quomodo haec se habeat ad Deum rebus omnibus providentem, diligenter declarandum est.

Plures philosophi moderni distinguunt mala in mala metaphysica, physica, moralia. Qua distinctione supposita

a) *Malum metaphysicum* intelligitur defectus certae perfectionis in re, cui ea perfectio non convenit, quia res, de qua agitur, est naturae tam limitatae, ut eiusmodi perfectio neque cum exsistentia neque cum convenienti facultatum eius explicatione connectatur. Ita v. g. defectus intellectus in lapide et mansuetudinis in tigride sunt mala metaphysica. Proprie autem loquendo ea non sunt mala; omnes enim secundum communem usum loquendi malum non intelligunt meram *imperfectionem,* sed *privationem* (cf. *S. Thom.,* S. th. 1, q. 48, a. 3).

b) *Malum physicum* est privatio alicuius perfectionis, quae ab ea re, cui deest, abesse nequit, quin haec res exsistat modo naturae suae minus conformi. Ita v. g. caecitas et surditas sunt mala physica.

c) *Malum morale* est deficientia voluntatis liberae a recta morum regula sive, quod ad idem redit, privatio rectitudinis voluntatis liberae. Extenditur autem terminus *„malum morale“* ad significandos omnes actus a voluntate moraliter mala imperatos. Ita v. g. non solum libera blasphemiae volitio, sed etiam locutio blasphema dicitur malum morale. Actio, quae in se spectata regulae morum repugnat, sed enti agenti non est libera, dicitur *malum morale materialiter* sive *peccatum*

materiale, quod opponitur *malo morali formaliter* sive malo morali sensu stricto accepto sive peccato formali. Peccatum materiale secundum suum in persona peccante exsistendi modum spectatum potius est malum physicum quam morale.

554. Quibus explicatis facile patet contra Providentiae divinae bonitatem non posse argui ex malorum metaphysicorum quae dicuntur exsistentia, sive ea spectes in abstracto sive ea spectes secundum gradum, quo ubique terrarum inveniuntur. Nam in abstracto consideratum malum metaphysicum a nulla creatura abesse potest. Etenim, ut clare demonstravimus, omnis creatura necessario restringitur ad certum essendi genus; quo ipso ab ea necessario excluduntur omnes perfectiones aliis rerum generibus exclusive propriae. Neque Providentiae bonitati obstare potest, quod gradus malorum metaphysicorum in hoc mundo est maior, quam esset, si Deus creaturas naturae perfectioris produxisset. Omnis enim natura creata ab infinite perfecta creatoris natura undequaque infinite distat. Sub hoc igitur respectu summus angelus et minima materiae particula aequales sunt, quamquam, si utramque hanc creaturam non praecise secundum suam a Deo distantiam infinitam, sed secundum esse positivum, quo Deo assimilatur, consideramus, cum S. Augustino recte dicimus angelum esse prope Deum, materiam autem prope nihil. Itaque cum gloria Dei, quae est finis omnis creationis (thes. L), numquam *per creaturam puram* obtineri possit nisi modo a dignitate Dei glorificandi infinite deficiente, nihil refert, utrum Deus creet mundum, in quo sint creaturae, quorum perfectiones naturales sint maiores, an producat creaturas perfectionis naturalis minoris, dummodo ne desint creaturae rationales, quibus formaliter glorificetur. Liberrime enim ab aeterno statuit, quem ex indefinite multis gradibus possibilibus gloriae suae externae obtinere velit, cum nullo indigeat.

Reducitur igitur tota disputatio ad mala physica et moralia huius mundi.

555. Pars I. Mala physica non obstant bonitati Providentiae divinae.

Id non obstat bonitati Providentiae divinae, ex quo neque defectus curae benevolae creaturis debitae neque defectus

sapientis earum in finem directionis legitime infertur. *Atqui* neque ille neque hic defectus ex solis malis physicis (quatenus abstrahimus a malis moralibus iis per abusum libertatis creaturarum rationalium adiunctis) legitime infertur. *Ergo* mala physica non obstant bonitati Providentiae divinae.

Prob. min. p. partes.

1. Id, quo nulla creatura vera felicitate privatur, non obstat benevolae curae, quam Deus creaturis debet. *Atqui* nulla creatura malis physicis vera felicitate privatur. Nam creaturae irrationales (ne animalibus quidem brutis exceptis) verae felicitatis non sunt capaces, utpote quae sint *res corruptibiles*, non *vero entia personalia*, quae sui sensu stricto conscia esse suumque statum ut sibi convenientem vel non convenientem intelligere possint. Hominis autem vera felicitas in hac vita consistit in recta ad futuram beatitudinem dispositione, quae nullo malo physico *solo* impediri potest, saepe autem malis physicis promovetur.

556. 2. Mala physica aut considerantur, prout sunt in rebus, quae homine sunt inferiores, aut prout sunt in hominibus. Sub priori aspectu considerata certe dici nequeunt obstare sapienti rerum in finem directioni. Nam res pro natura sua in finem dirigendae sunt. Iam vero res omnes homine inferiores natura sua ordinantur in hominum utilitatem, et in eundem finem (non vero propter se ipsas) a Deo summe provido conservantur (thes. LII). Homini autem inserviunt tum ad vitam organicam tum ad vitam intellectualem et moralem modo fini naturae humanae conformi agendam. Quod servitium ut ita praestent, sicut et ipsarum et hominum naturae congruit, saepissime violenter corrumpendae sunt. Nonne domicilia, cibi, potus, vestimenta hominum maximam partem debentur malis physicis, quae rebus inanimatis et animatis homine inferioribus infliguntur? Nonne progressus scientiae rerum naturalium?

Quodsi ea mala physica spectamus, quibus homines laborant, ea aut inveniuntur in hominibus, qui usu rationis carent; aut in iis, qui usu rationis pollent.

557. Quod spectat ad homines usu rationis carentes, eorum mala physica aliis hominibus occasiones multiplices virtutum moralium praebent (ut v. g. humilis creatoris reverentiae,

patientiae, caritatis); neque improbabile est eos ipsos, qui in eo statu malo sunt, in vita futura accidentali quadam felicitate maiori fruituros esse eo, quod Deus iis manifestet, quid boni ex ipsorum malis profluxerit.

Homines autem, qui usu rationis pollentes malis physicis laborant, iis excitantur ad verum finem vitae humanae sectandum, dummodo libertate sua ne abutantur. Plerumque etiam in hoc casu mala physica multis aliis hominibus occasiones variarum virtutum praebent, id quod unicuique patet, qui v. g. considerat, quid agatur in nosocomiis, quot virtutes exerceantur in cura rudium et egenorum. *Ergo* neque in rebus homine inferioribus neque in ipso homine mala physica incompatibilia sunt cum sapienti creaturarum in finem directione.

558. Pars II. Mala moralia non obstant bonitati Providentiae divinae.

Deus mala moralia nullo modo approbat, sed ob rationes finito intellectui humano non perfecte scrutabiles ea non impedit. Porro ea *qua mala non impedita* ulli attributo Dei summe providi et optimi minus congruere nequaquam probari potest. *Ergo* ex malis moralibus illegitime arguitur contra bonitatem Providentiae divinae.

Prob. ant. p. partes.

1. *Deus non approbat mala moralia.*

Arg. 1. (Ex natura Dei comparata cum natura mali moralis.) Cum voluntas nequeat quidquam appetere nisi sub ratione boni, in tantum ferri potest in aliquod malum, in quantum alicui bono adhaeret, quod magis diligit quam illud malum, de quo approbando quaeritur. *Atqui* voluntas Dei in bonitatem essentiae divinae et in relationem ordinemque omnium rerum ad eam bonitatem amore absolute necessario fertur (thes. XXXV. L). *Ergo* nequit Deus approbare laesionem recti ordinis rei creatae ad ipsius bonitatem. *Atqui* ille rectus ordo malo morali laeditur, quia illud malum consistit in libera creaturae rationalis a Deo, fine ultimo, aversione. *Ergo* Deus non potest approbare malum morale.

Arg. 2. (Ex natura hominis comparata cum natura mali moralis.) Malum morale *formaliter* non committitur, nisi

quatenus homo agit contra dictamen rationis suae, per vocem conscientiae legem Dei sibi manifestantis. *Ergo* eo ipso momento, quo homo malum morale committit, Deus ei manifestat sibi hoc displicere. Aliis verbis: Deus increpat hominem, quoties homo peccat.

559. 2. *Mala moralia qua mala non impedita nulli attributo Dei optimi probari possunt esse contraria.*

Ostendemus veritatem huius asserti percurrendo ea attributa Dei summe providi et optimi, quibus mala moralia non impedita minus congruere videri possint, quae sunt: *sapientia, sanctitas, iustitia, misericordia.*

a) Permissio malorum moralium non obstat *Sapientiae* divinae. Iis enim neque finis primarius neque finis secundarius creationis impeditur. Non finis primarius, qui est manifestatio bonitatis Dei; occasione enim malorum moralium Deus in hoc mundo miro modo manifestat suam misericordiam et iustitiam, quas perfectiones cum respectu ad eadem mala per totam aeternitatem summo splendore manifestabit. Neque finis secundarius creationis, qui est felicitas hominum, malis moralibus impeditur, quatenus ille finis spectatur secundum modum, quo Deus cum revera intendit. Deus enim felicitatem hominis sub ea condicione intendit, quod homo non sua culpa sub finem vitae per peccatum formaliter grave totaliter a fine suo ultimo aversus inveniatur.

b) *Sanctitati* Dei permissio malorum moralium non repugnat. Nam, ut supra ostendimus, Deus ea non approbat; porro, quamquam ad actum physicum usus arbitrii liberi concurrit, tamen *ad abusum eiusdem, in quo praecise consistit ratio formalis mali moralis,* nullo modo concurrit, sed potius, cum ratione humana concurrens, ab eodem abusu, quoties eius periculum imminet, hominem libere agentem absterret.

c) Neque mala moralia non impedita dici possunt obstare *Iustitiae* divinae. Deus enim ea non impediendo homini nihil denegat, quod ei vel propter naturalem eius dignitatem vel propter aliquod meritum debeatur, sed potius id ei concedit, quod naturae eius convenit: legis suae per vocem conscientiae promulgationem et possibilitatem legem libere servandi.

d) Denique Deus optime providus dici nequit *Misericordiam* suam laedere mala moralia tolerando. Eam enim

manifestat longanimitate, qua peccatores tolerat, morsibus conscientiae et auxiliis multis naturalibus et supernaturalibus, quibus ad paenitentiam agendam eos invitat; summa clementia, qua peccatores vere paenitentes recipit; immo ab ipsa aeterna impiorum punitione ratio misericordiae non abest. Quamquam enim impii in aeternum punientur, tamen eorum punitio erit *citra condignum* (cf. *S. Thom.*, S. th. 1, q. 21, a. 4 ad 1). Neque impiis poenam infligit odio personae peccatoris motus, sed amore iustitiae (*S. Thom.*, Contra gent. lib. 1, cap. 96, § „Alius autem modus").

560. *Prob. pars I. et pars II. unico argumento.*

Conclusio rationis principiis evidentibus recta ratiocinatione superstructa nullo modo legitime impugnatur rationibus, quibus nihil aliud ostenditur nisi modum, quo ea cum factis experientiae congruat, ab hominibus in hac vita non posse perfecte investigari. *Atqui* conclusio mundum subesse curae Dei optime providi est eiusmodi conclusio rationis, ut ex solutione difficultatum contra omnes theses Theologiae naturalis a I.—LII. manifesto patet; porro rationes adversariorum nihil aliud evincunt nisi modum, quo veritas Providentiae divinae optimae cum malis physicis et moralibus, quae experientia testatur, sub omni respectu congruat, ab homine in hac vita non posse perfecte investigari. *Ergo* conclusio nostra ab adversariis illegitime impugnatur. Quae impugnatio eo magis illegitima est, quo magis unicuique pateat necesse est Providentiam Dei, quam nos affirmamus, esse Providentiam *sapientiae infinitae*, intellectum autem humanum a sapientia infinita infinite distare.

561. ***Obi. 1.*** Nulla assignari potest ratio, quae malorum huius mundi sub Providentia optima exsistentiam explicet. Quod enim dicitur Deum sinere illa mala, ut de iis eliciat bona, non videtur admittendum, quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona. *Ergo* de Providentia optima dubitandum est.

Resp. *Dist. ant.:* Nulla assignari potest ratio, quae malorum sub Providentia bona exsistentiam *adaequate explicet, conc. ant.*, nulla assignari potest ratio, quae eam *inadaequate* (scl. sub aspectu generali, non descendendo ad casus particulares), attamen *sufficienter* explicet, *nego ant.* vel *subd. ant.:* quae eam sufficienter explicet ei, qui Theologiam naturalem ab initio usque ad finem

diligenter coluerit, *nego ant.*, qui de recta methodo hanc rem investigandi non curet, *conc. ant., nego cons.*, ratio generalis, quae exsistentiam malorum ei, qui Theologiam naturalem bene coluit, sufficienter, licet inadaequate, explicet, ea est, quod *Deo infinite bono et sapienti placuit, ea fini mundi a se intento ita subordinare, ut de malis eliciat bonum ad eum finem secundum gradum et modum, quo eum intendit, per creaturas obtinendum.*

Ad rationem ant. nego illud principium: „Non sunt facienda mala, ut eveniant bona", ad malorum permissionem divinam applicari posse. Illud enim non valet nisi de malis moralibus. Deus autem nullum malum morale vel causat vel intendit; sed illud praevidens statuit non impedire, quin fiat, et ex facto moraliter malo, quod ipse omnino improbat, occasionem arripit ad aliquod bonum faciendum. Ut *Lessius* optime dicit: bonum ex malo morali eliciendum non est *causa finalis,* sed *causa (sive condicio) sine qua non* permissionis eius (De divinis perfectionibus lib. 11, cap. 6, n. 31).

562. ***Obi. 2.*** Deus voluit incitamenta peccati, quae sunt passiones naturales hominum; voluit etiam causam peccati, quae est libertas creata. *Ergo* videtur malum morale vere intendere et mediate saltem efficere, id quod repugnat bonitati Providentiae.

Resp. *Dist. ant. p. 1.:* Deus voluit incitamenta peccati, ut homo peccaret, *nego ant. p. 1.*, ea voluit, ut homo ea superando suum erga Deum amorem ostenderet, *conc. ant. p. 1., nego suppositum ant. p. 2.*, scl. *libertatem* creatam esse causam peccati, quia causa eius est *abusus* libertatis a creatura commissus et a Deo omnino improbatus, *nego cons.* et rationem utramque additam.

563. ***Obi. 3.*** Deus creat homines et ponit eos in condicionibus quibus ad peccandum alliciuntur, idque facit, quamquam praevidet certos homines libertate sua ad peccandum abusuros esse usque ad finem vitae et in aeternum damnatum iri. *Atqui* id non quadrat cum bonitate Providentiae divinae. *Ergo* haec cum malis moralibus hominum componi non potest.

Resp. *Dist. mai. p. 1.:* Deus ita agit, ut homines peccent, vel iis non offert adiumenta, quibus a peccatis serventur, si velint, *nego mai. p. 1.*, . . . ita agit, ut homines pro natura sua libere mereantur beatitudinem, *conc. mai. p. 1., conc. mai. p. 2., contradist. min. secundum dist. mai. p. 1., nego cons.*

Insto. Pater, qui filio suo dat gladium eo tempore, quo id bene omittere potest simulque morali certitudine praevidet filium eo instrumento certo se interempturum esse, ei male pro-

videt. *Atqui* ita agit Deus erga hominem, cui relinquit usum libertatis, quamquam praevidet hominem ea abusurum esse ad suam perniciem. *Ergo* tali homini male providet.

Resp. *Conc. mai., nego min.*, ... ob summam disparitatem. Pater enim humanus lege divina stricte tenetur aliter agere, quippe qui sit provisor a Deo sapientissimo dependens, et cui Deus lege naturali animo eius inscripta ostendat, quomodo qua provisor particularis secundum voluntatem sapientissimam Provisoris universalis familiam suam regere debeat. Itaque, si aliter agit, manifesto culpabiliter negligit curam paternam, quam filio debet. Deus autem, cum homini usum arbitrii liberi cum praevisione abusus eiusdem et perniciei hominis concedit, pro infinita sapientia et sanctitate, quae ei evidenter essentialis est, non potest id facere nisi ob rationem sapientissimam et sanctissimam. Quae sit illa ratio in singulis casibus, postquam infinita Dei perfectio et summa eius libertas a nobis dudum evidenter demonstrata sunt, rationabiliter quaeri nequit.

564. *Scholion finale.* Nulla est quaestio Theologiae naturalis, qua tractanda animus philosophi christiani vehementius excitetur ad Deo gratias agendas pro lumine revelationis supernaturalis per ecclesiam Christi nobis traditae, quam ea, quae modo a nobis exposita est: de habitudine Providentiae divinae ad mala mundi. Luce enim revelationis supernaturalis multae de malis quaestiones ita solvuntur, ut bonitatem divinam novo fulgore splendentem videamus. Nam, revelatione teste, homo a Deo optimo revera ita conditus est, ut neque malis physicis laboraret neque in mala moralia proclivis esset. Qua felicitate protoparentum peccato nobis erepta ne nimis doleamus, revelatione nobis proponitur *Dei Incarnatio,* opus illud summae misericordiae, sapientiae atque iustitiae, per quod Deus de malis tum physicis tum moralibus huius mundi innumera elicit bona, omnem captum humanum excedentia. Quodsi homines gloriam formalem finitam Deo reddendam recusarunt, Christus, Deus incarnatus, illam malitiam humanam compensavit gloria Dei formali vere infinita. Per Ipsum natura humana, a Deo mirabiliter instituta, postquam peccato misere lapsa erat, mirabilius reformata est. Ipse hominibus verbo et exemplo ostendit, quomodo mala physica sint ferenda, ut per ea disponamur ad aeternam beatitudinem. Ipse nobis offert remedia abundantia contra mala

moralia. Ipse hunc mundum, peccato primo mutatum in lacrimarum vallem, sectatoribus suis effecit paradisum pacis et spei bonorum aeternorum. Ipse cum ecclesia sua manens suos per media mala mundana tuta ducit via ad finem beatum.

Quae cum ita sint, iis, qui *Cursum hunc philosophicum* absolverint, curae esse debet alta auctoritatis divinae ecclesiae Christi notitia, quam sibi parabunt diligenti historiae ecclesiasticae et apologeticae christiano-catholicae studio.

Appendix I.

Ad Theologiam naturalem.

Quid S. Thomas (Qq. disp. de potentia q. 3, a. 7) de divina praemotione docuerit, ad captum tironum exponitur.

565. *Praenota.* Loco cit. S. Thomas disputat de quaestione: „*Utrum Deus operetur in operatione naturae*“. Qui locus ab iis, qui immediatam ad singulas actiones creaturarum divinam praemotionem physicam tenent et consequenter scientiam mediam concursumque Dei immediatum, qui sit simultaneus tantum, oppugnant, pro argumento evidentissimo habetur Angelicum a sua parte stare. Quod ut ostendant, appellant

1. responsum S. Thomae l. c. ad 7;

2. doctrinam, quam S. Thomas tradit l. c. in corpore articuli, § „Sciendum namque est“, usque ad finem;

Quare de utroque loco dicemus.

A. Notanda in responsum S. Thomae l. c. ad 7.

566. *Ad 7 S. Doctor haec dicit:* „Virtus naturalis, quae est rebus naturalibus in sua institutione collata, inest iis ut quaedam forma habens esse ratum et firmum in natura. Sed id, quod a Deo fit in re naturali, quo actualiter agat, est ut intentio sola, habens esse quoddam incompletum, per modum, quo colores sunt in aere et virtus artis est in instrumento artificis. Sicut ergo securi per artem dari potuit acumen, ut esset forma in ea permanens, non autem dari ei potuit, quod *vis artis* esset in ea, quasi quaedam forma permanens, nisi haberet *intellectum;* ita rei naturali potuit conferri virtus propria ut forma in ipsa permanens, non autem vis, qua agit ad esse *ut instrumentum primae causae,* nisi daretur ei, quod

esset *universale essendi principium:* nec iterum virtuti naturali conferri potuit, *ut moveret seipsam,* nec ut conservaret se in esse; unde, sicut patet, quod instrumento artificis conferri non potuit, quod operaretur absque motu artis; ita rei naturali conferri non potuit, quod operaretur absque operatione divina."

567. Quod rectam huius loci intelligentiam attinet, haec videntur notanda:

I. Hic locus manifesto inepte appellatur ad demonstrandum secundum S. Thomae doctrinam non solum creaturas irrationales, sed etiam voluntatem omnem rationalem et liberam a Deo immediate ad actus determinatos omnes praemoveri. Etenim S. Doctor hoc loco non disserit nisi de rebus *naturalibus.* Res autem naturales intelligit 1. res irrationales; 2. creaturas rationales, quatenus solo appetitu naturali et sensitivo et indeliberato voluntatis rationalis motu moventur, non vero quatenus voluntate libera se ipsas movent. Eum revera hoc loco non tradere doctrinam *entia rationalia et libera qua libere agentia spectantem* patet:

a) ex eo, quod per decursum totius articuli clare distinguit inter *„naturam et voluntatem"*, inter *„virtutes naturales et alia entia"*. Certo, qui obiectiones 1.—9. attente perlegerit, fatebitur has esse contra necessitatem motionis divinae in rebus, quatenus naturali necessitate ad agendum determinantur. Itaque in responso ad obi. 7., quod in disputationem venit, S. Thomas non spectat creaturas liberas *ut libere agentes.*

b) Ex eo, quod est usus loquendi S. Thomae, res, quatenus libertate agendi non pollent, vocare *naturales* (cf. S. th. 1, 2, q. 10, a. 1, c., Sent. 2, d. 39, q. 2, a. 1 per totum; S. th. 1, 2, q. 6, a. 5 per totum; *ibid.* q. 51, a. 1 per totum; *ibid.* q. 63, a. 1 per totum; *ibid.* q. 84, a. 1 ad 3; Qq. disp. de veritate q. 25, a. 6 ad 4 et alibi passim).

568. c) S. Thomam l. c. non docere praemotionem immediatam voluntatis liberae ad unam determinatam actionem ex eo patet, quod in Solutionibus obiectionum in eodem articulo eam praemotionem voluntatis ad unum explicite negat, etenim contra doctrinam *Deum operari in natura et voluntate operantibus,* quam toto articulo tradit, n. 12.—14. tria sibi obicit, quae

sumpta sunt ex libertate voluntatis, eaque ita solvit, ut manifesto pateat, eum non admittere immediatam ad unum praedeterminationem voluntatis liberae.

Obiectio 12. est haec: „Eccli. 15, 14 dicitur, quod Deus fecit hominem et reliquit eum in manu consilii sui. Non autem reliquisset, si semper in voluntate operaretur. Ergo non operatur in voluntate operante."

Respondet S. Doctor: „Deus non dicitur hominem dereliquisse in manu consilii sui, quin in voluntate operetur; sed quia voluntati hominis dedit dominium sui actus, *ut non esset obligata ad alteram partem contradictionis:* quod quidem dominium naturae non dedit, cum per suam formam sit determinata ad unum." Nota hoc loco, quod dominium sui actus voluntati neque ante actionem liberam neque post actionem liberam sensu stricto proprium esse potest, sed solum eo ipso momento, quo libere agit. Itaque ex mente Angelici eo ipso momento *natura* prius non est alligata ad unam partem, quam ex suppositione actus ad eam alligata est. Quae est ipsissima doctrina Suarez.

Obiectio 13. est haec: „Voluntas est domina sui actus. Hoc autem non esset, si agere non posset nisi Deo in ipsa operanti, cum voluntas nostra non sit domina divinae operationis. Ergo Deus non operatur in voluntate nostra operante."

Respondet S. Doctor: „Voluntas dicitur habere dominium sui actus non per exclusionem causae primae, sed quia *causa prima non ita agit in voluntate, ut eam de necessitate ad unum determinet,* sicut determinat naturam; et ideo determinatio actus relinquitur in potestate rationis et voluntatis."

Obiectio 14. haec est: „Liberum est, quod sui causa est. Quod ergo non potest agere nisi causa in ipso agente, non est liberum in agendo. Sed voluntas nostra est libera in agendo. Ergo potest agere nulla alia causa in ipsa operante."

Respondet S. Doctor: „Non quaelibet causa excludit libertatem, sed *solum causa cogens;* sic autem Deus non est causa operationis nostrae."

Cur vero Deus non sit causa cogens, S. Doctor in hoc responso non dicit; quia id clare dixerat in responso immediate antecedente, sc. propterea quia ex motione divina non sequitur necessario determinatio voluntatis ad unum,

quae determinatio esset contra naturalem tendentiam voluntatis active indifferentis et consequenter vera *coactio.*

Praeterea hoc diserte docet *S. Thom.,* S. th. 1, 2, q. 6 ad 3 et Sent. 2, d. 39, q. 1, a. 1, c. Cf. Theol. nat. thes. XLIX, pars 3.

569. II. Quod ipsas res creatas necessario agentes attinet, *S. Thom.* l. c. Qq. disp. de pot. q. 3, a. 7 ad 7 non docet *eas immediate a Deo ad singulas actiones suas physice praedeterminari;* sed solum aliquas rationes affert, ob quas non possint agere nisi Deo in iis operante. Has rationes componi posse cum doctrina de concursu Dei solum simultaneo et de praemotione solum *mediata* expositione earum patebit. Dicit igitur Angelicus:

a) „Virtus naturalis, quae est rebus naturalibus in sua institutione collata, inest iis ut quaedam forma habens esse ratum et firmum in natura. Sed id, quod a Deo fit in re naturali, quo actualiter agat, est ut intentio sola habens esse quoddam incompletum, per modum, quo colores sunt in aere et virtus artis est in instrumento artificis. Sicut ergo securi per artem dari potuit acumen, ut esset forma in ea permanens, non autem dari ei potuit, quod *vis artis* esset in ea, quasi quaedam forma permanens, nisi haberet *intellectum;* ita rei naturali potuit conferri virtus propria ut forma in ipsa permanens, non autem vis, qua agit ad esse ut instrumentum primae causae, nisi daretur ei, quod esset *universale essendi principium.*"

Hanc primam rationem, ob quam S. Doctor asserit Deum in omni re naturali operari, ita explicamus: Etiamsi res naturales suis virtutibus naturalibus *agere possint,* tamen suis virtutibus naturalibus *solis non possunt agere ut instrumenta primae causae,* scl. in finem universi a prima causa intentum; quod de facto in hunc finem agunt, repetendum est ex aptissima earum inter se dispositione, *quae est opus continuum sapientiae divinae.*

Influxum autem, quem Deus continuo in res „naturales" exercet, cum eas conservat nec non concursu suo simultaneo et praemotione sua mediata in certos fines proximos et in unum finem ultimum omnes earum actiones sapientissime dirigit, S. Doctor illustrat duobus exemplis. Etenim

eum comparat cum influxu, quem lumen exercet in colores, et cum influxu, quem artifex exercet in motum artificialem instrumenti. Utrumque exemplum est aptum. Nam sicut qualitates illae corporum, quae dicuntur colores, *qua colores* apparere non possunt, nisi moveantur lumine: ita rerum naturalium ad certos fines speciales et ad unum finem totalem aptitudo in actum produci nequit, nisi quatenus eae res a Deo sapientissime ad agendum disponuntur. Et sicut actio naturalis instrumenti non est actio, in qua sit vis artis, nisi regatur manu artificis: ita actio rei naturalis non est actio fini eius proportionata, nisi regatur sapientia Dei. Haec directio fit per decretum voluntatis divinae ab aeterno factum et semper perseverans. Vi enim huius decreti res ab initio apte in finem collocatae sunt et vi eiusdem continuo ita inter se agunt, ut earum effectus finibus specialibus proximis et fini ultimo universali subordinentur, quatenus hi fines a Deo absolute intenduntur.

Ex eo autem, quod S. Doctor nos docere vult res indigere hac, de qua modo diximus, Dei sapientissimi directione, ut in finem suum tendant, explicatur, cur dicat; „id, quod a Deo fit in re naturali, quo actualiter agat, est ut intentio sola habens esse quoddam incompletum". Nam *motus ille in finem,* cum neque sit finis in pura potentia neque finis actu perfecto obtentus, *est quoddam ens incompletum,* quod tempore S. Thomae dici solebat *intentio,* ut ipse asserit in Commentario in lib. 4 Sent. d. 1, q. 1, a. 4, quaestiuncula 5, solutio 2. Ait enim: „Virtus instrumenti *inquantum huiusmodi, secundum quod agit ad effectum ultra id, quod competit sibi secundum suam naturam,* non est ens quoddam completum habens esse fixum in naturam (fortasse legendum: natura), sed quoddam ens incompletum, sicut est virtus immutandi visum in aere, in quantum est instrumentum motum ab exteriori visibili; et *huiusmodi entia consueverunt intentiones nominari.*"

570. b) Secunda ratio, ob quam S. Doctor asserit Deum operari in omni re naturali, ab eo exprimitur his verbis: *„Nec iterum virtuti naturali conferri potuit, ut moveret se ipsam".*

Quibus verbis Angelicus nos monet, res naturales non solum indigere Dei *directione* in finem, sed etiam eius ad agendum *excitatione.* Hanc vero excitationem Deus eo ipso

praestat, quod qua causa prima simultanee cum omnibus rebus *„naturalibus“* sapientissime collocatis et ad motum impulsis simultanee concurrit; aliis verbis: eo ipso, quod continuo vult et volendo efficit, ut res naturales certo modo collocatae et ad motum impulsae pro natura sua agant. Una enim res pro natura in aliam agens hanc ad agendum praemovet sive excitat, quae praemotio sive excitatio Deo qua causae primae tribuenda est, quia esse nequit, quin ipse simultanee concurrat cum re aliam excitante.

c) Tertia ratio S. Doctoris indicatur hac phrasi: *„Nec“* (virtuti naturali conferri potuit) *„ut conservaret se“*. Aliis verbis: Res naturalis agere nequit, nisi cum facultate sua agendi a Deo conservatur. In hoc nulla est difficultas.

Concludamus igitur: Qq. disp. de pot. q. 3, a. 7 ad 7 nihil habetur de praedeterminatione physica Bannesianorum.

B. Notanda in § „Sciendum namque est“ (quae paragraphus habetur in corp. artic. l. c.).

571. Hac § S. Doctor non solum de operatione Dei in rebus naturalibus loquitur, sed affirmat Deum operari in *quolibet* operante, sive „operans“ sit „res naturalis“ sive „voluntas libera“. Porro hanc operationem, qua Deus operatur in quolibet operante, Angelicus dicit quattuor modis fieri. Quos quattuor modos sub finem paragraphi ita breviter exprimit: „Sic ergo Deus est causa actionis cuiuslibet, in quantum dat virtutem agendi et in quantum conservat eam et in quantum applicat actioni et in quantum eius virtute omnis alia virtus agit.“

Nulla est difficultas de eo, quid sibi velint primus et secundus modus operationis divinae. Quartus, ut infra videbimus, facile explicatur de concursu solum simultaneo. Tota autem difficultas est de modo tertio, quem Bannesiani dicunt significare praedeterminationem physicam illam immediatam ad unum, de qua ipsi loquuntur.

572. Consistit autem secundum ipsa Angelici verba modus tertius divinae in re operante creata operationis in eo, quod Deus virtutem rei creatae applicat actioni. Rationem necessitatis huius applicationis S. Thomas in eadem § hanc reddit.

„Quia nulla res per seipsam movet vel agit, nisi sit movens non motum," aliis verbis: Nulla res praeter Deum sibi sufficit ad agendum; sibi autem sufficeret ad hoc, si per se solam virtutem suam ad agendum applicare posset. Hoc igitur nulla res creata potest, sed indiget divina applicatione.

Admittimus totum, quod S. Thomas docet, sed negamus eum, cum hanc doctrinam tradit, immediatam ad unum praedeterminationem affirmare. Verba enim eius recte ita explicantur: Cum nulla creatura sibi ipsi sit finis ultimus, sed omnis creatura a Deo ordinetur in Deum ut in finem ultimum, a Deo quoque in hunc finem dirigenda vel movenda est. Movetur autem creatura in finem ultimum, quatenus agit. Ergo a Deo actiones eius dirigi oportet, sive, quod ad idem redit, Deus eius virtutem ad agendum applicare debet ita, ut actio eius fini subordinetur. — Hoc autem Deus facere potest sine immediata ad unum praemotione eo ipso, quod creaturis sapienter providet condiciones subiectivas, *sub quibus,* et obiecta, *circa quae* certas actiones ponere possunt. Quod eas condiciones et obiecta attinet, manifesto omnis creatura perfectissime pendet a Deo, rerum universarum domino. Quapropter nullius creaturae facultas agendi in concreto ad agendum perfecte expedita est, nisi quatenus Deus voluntate liberrima ei ea suppeditat, quae praerequiruntur, ut virtus creaturae certae actioni perfecte proportionata sit. Sed ex eo, quod virtus creaturae nulli certae actioni perfecte proportionata est, nisi ita ut a Deo plene pendeat, non sequitur a Deo virtutem creaturae immediate ad unum praedeterminari. Etenim Deus in *ordine naturali* condiciones agendi subiectivas et obiecta, circa quae agere possunt, singulis creaturis huius mundi aspectabilis eo ipso providet, quod cum aliis creaturis simultanee cooperatur. Ita v. g. hominem perfecte disponit ad sentiendum, quatenus simultanee cooperatur cum corporibus sensibilibus per qualitates suas sensiles organa sensoria moventibus. Ita puerum perfecte disponit ad exercitium libertatis respectu attentionis magistro suo exhibendae, quatenus simultanee concurrit tum cum magistro docente tum cum aliis obiectis, quae, phantasia et intellectu mediantibus, liberum arbitrium pueri quodammodo sollicitant.

573. Hoc modo Deus creaturas ad agendum mediate praemovet aliqua praemotione, quae a creatione et conservatione distinguenda est. Recte quoque Deus dicitur hoc modo *creaturas non libere agentes* ***mediate*** ad unam certam actionem praemovere vel applicare, quia Providentia divina disponente omnia ita eveniunt, ut ea, quae ad unam certam actionem requiruntur et sufficiunt, *adsint;* quibus positis *creatura non libere agens* ab ea actione abstinere nequit.

Creatura autem libere agens ea ratione mediate praemovetur non ad unam certam actionem, sed ad hoc, ut voluntate sua operetur ad unam certam actionem vel libere ponendam vel libere omittendam. Praemovetur igitur creatura libera ad exercitium actuale libertatis sive *ad operationem illam, qua eligit inter duo;* non vero praemovetur ad hoc, ut vi ipsius praemotionis determinate exeat in hanc potius quam in illam partem respectu certi obiecti eligibilis. Aliis verbis: Non praemovetur ita, ut cum praemotione *secundum se considerata* et *abstractione facta ab iis, quae per scientiam mediam Deus ab aeterno cognoscit,* non aeque bene stare possit *neglectio* deliberata illius obiecti atque *acceptatio* deliberata eiusdem.

Vi igitur praemotionis, de qua hoc loco loquimur, revera creatura libera applicatur ad *actionem,* quatenus exercitium libertatis recte dicitur actio. Exercitium enim potentiae electivae stantibus omnibus ad id praerequisitis omitti non potest, quamquam stantibus ad id praerequisitis penes creaturam liberam est certam actionem eligibilem acceptare vel respuere. Hinc patet etiam nos cum S. Thoma dicere: „Non solum virtutem volendi a Deo habemus, sed etiam operationem“ (Contra gent. lib. 3, cap. 89, § 2). Sed haec operatio non est a Deo praedeterminata ad unum, sed, cum consistat in electione, per eam creatura libera seipsam formaliter ad unum determinat, teste ipso S. Thoma, qui dicit de voluntate libere agente: „Quod determinate exeat in hunc actum vel in illum, non est ab alio agente, sed ab ipsa voluntate“ (2 Sent. d. 39, q. 1, a. 1). Revera usus libertatis meae *indeterminate* spectatus non est liber, quippe qui non possim abstinere ab omni operatione circa id, quod intellectus ut eligibile proponit. At voluntate mea agente libere me determino ad certum ob-

iectum ab intellectu propositum vel acceptandum vel negligendum, et loco eius aliud acceptandum.

574. Itaque tertius modus, quo secundum S. Thomam Deus in omni creatura operatur, quatenus eam ad agendum applicat, non est immediata ad unum praemotio physica. — Neque exemplum cultelli ad incidendum lignum applicati, quo S. Thomas doctrinam de creaturae ad agendum applicatione illustrat, recte affertur tamquam indicium eum significare velle illam ad unum praemotionem immediatam. Exempla enim non totam veritatem illustrare solent, sed aliquid veritatis. Ita cum S. Thomas Deum virtutem creaturae ad agendum applicantem comparat artifici, qui cultellum ad incidendum applicat, nos haec docere vult: Sicut acumen cultelli non potest incidere nisi vi applicationis et secundum modum, quo applicatur, ita creatura non potest certam actionem ponere, nisi Deo disponente adsint omnia ad agendum praerequisita et secundum modum, quo Deus ea adesse vult.

Iam explicandus est quartus modus divinae in omni creatura agente operationis. Hic quartus modus in eo consistit, quod „eius (sc. Dei) virtute omnis alia virtus agit". Rationem huius quarti modi S. Doctor inde repetit, quod actione creaturae aliquod esse oritur, quod antea non erat, nihil autem ad esse operari potest nisi per virtutem eius, a quo omne esse pendet.

Unde hunc quartum modum ita explico: Omnis actio creaturae implicat certum essendi modum. Nullus autem essendi modus haberi potest, nisi Deus libere et simultanee eam vult et volendo saltem coefficit, sive, quod est idem, quatenus agitur de actione creaturae, nisi ita ut Deus qua causa prima simultanee ad eam concurrat, quia actio creaturae ad agendum in suo ordine expeditae *connaturalis* quidem est, sed non *essentialis* (cf. Theol. nat. thes. XLVIII.).

Conclusio.

575. Ex iis, quae supra exposuimus, intelligere poteris, quid respondere liceat ad obiectiones, quae ex articulo S. Thomae, de quo disputavimus, nuper allatae sunt ad evincendum doctrinam S. Thomae dissonare a doctrina eorum, qui scientiam mediam et concursum immediatum simultaneum *tantum* defendunt et vulgo

Molinistae audiunt. Obiectiones sunt hae (cf. *Dummermuth*, S. Thomas et doctrina praemotionis physicae p. 52 sq.):

Obi. 1. Docet S. Thomas Deum omnes causas secundas, etiam liberas, movere et applicare ad agendum. Hoc negant Molinistae.

Resp. *Dist. p. 1. assert.:* ... immediata ad unam certam actionem praemotione physica a Bannesianis statuta, *nego p. 1. ass.*, praemotione ad unum mediata, quatenus causae secundae non libere agunt, et praemotione ad utrumlibet, quatenus libere agunt, et praeterea concursu (simultaneo tantum) immediato in utroque casu, *conc. p. 1. ass., contradist. p. 2. ass.*

Obi. 2. Tenet Angelicus influxum, quo causae secundae a Deo moventur et applicantur, recipi in causis ipsis. Idem infitiantur Molinistae.

Resp. *Dist. p. 1. ass.:* ... influxum, quo ipsam actionem creaturae immediate coefficit, *nego p. 1. ass.*, influxum, quo creaturam de actu primo remoto ad actum primum perfectum agendi adducit, *conc. p. 1. ass., contradist. p. 2. ass.*

Obi. 3. Motionem divinam praeviam esse et physicam defendit S. Doctor. Molinistae praemotionem physicam reiiciunt.

Resp. *Dist. p. 1. ass.:* ... motionem illam, qua Deus ipsam actionem creaturae immediate coefficit, *nego p. 1. ass.*, qua creaturam ad eam ponendam perfecte aptam reddit, *conc. p. 1. ass., contradist. p. 2. ass.*

576. ***Obi. 4.*** S. Thomas docet Deum suo influxu determinare causas secundas ad agendum, unamquamque iuxta suam naturam, causam necessariam necessario, liberam libere. Molina vero cum sequacibus asserit divinum influxum indifferentem esse et a causis secundis modificari et determinari.

Resp. *Dist. p. 1. ass.:* ... ita ut suo influxu ad unam certam actionem eas physice immediate praedeterminet, *nego p. 1. ass.*, ita ut eas determinet ad eum statum essendi, in quo qua causae secundae in suo ordine pro natura sua ad agendum perfecte expeditae sunt, *conc. p. 1. ass., nego suppositum p. 2. ass.*, id, quod S. Thomas docet, esse intelligendum de concursu immediato ad ipsam actionem. Deinde *ipsam p. 2. ass. ita distinguo:* Molinistae asserunt, influxum Dei modificari et determinari a creaturis ut a causis, *nego p. 2. ass.*, ut a condicionibus, quatenus Deus pro diversa creaturae natura diversum praestat influxum, *conc. p. 2. ass.* Sed hoc idem S. Thomas docet, cum dicit: „Ad Providentiam divinam non pertinet naturam rerum

corrumpere, sed servare. Unde omnia movet *secundum eorum condicionem* . . . Quia igitur voluntas est activum principium non determinatum ad unum, sed indifferenter se habens ad multa; sic Deus ipsam movet, quod non ex necessitate ad unum determinat (*S. Thom.,* S. th. 1. 2, q. 10, a. 4, c.).

Obi. 5. Iuxta Angelicum motio divina est efficax et dat actu agere omni causae secundae, etiam liberae. Iuxta Molinistas autem influxus divinus suam efficaciam mendicat a libero arbitrio creaturae.

Resp. *Dist. p. 1. ass.* (quatenus agitur de actionibus ordinis naturalis): . . . motio divina est efficax ad hoc, ut creatura actu agat, quatenus vi eius motionis aut mediate praemota est ad utrumlibet (si est creatura libere agens), aut mediate praemota ad unum (si est creatura necessario agens), *conc. p. 1. ass.*, . . . est efficax ad hoc, ut creatura per ipsam motionem divinam immediate praedeterminetur ad unam certam actionem, ut Bannesiani volunt, *nego p. 1. ass., nego p. 2. ass.* (cf. thes. XLVIII.).

Obi. 6. Si S. Doctorem audias, motio divina est virtus quaedam transeunter causae secundae impressa ad modum intentionis. Id Molinistae negant.

Resp. *Dist. p. 1. ass.:* Id S. Thomas asserit praeclara utens metaphora, quae a Bannesianis falso explicatur, *conc. p. 1. ass.,* id S. Thomas vult intelligi sensu proprio, *nego p. 2. ass., contrad. p. 2. ass.:* id negant Molinistae eo sensu, quo S. Thomas id vult intelligi, *neg. p. 2. ass.* id non omnes Molinistae recte explicarunt, sicut ne Bannesiani quidem, *conc. p. 2. ass.* Apud omnes constat locutiones metaphoricas non arbitrarie ad litteram esse explicandas, sed secundum mentem hominis, qui eas adhibet. Quae autem sit mens eius, ex iis colligi debet, quae dicit, cum mentem suam verbis maxime propriis patefacit. Quomodo illa metaphora ex mente Angelici sit exponenda, diximus n. 569. Adversarii nostri non considerant S. Thomam tenere principium illud S. Ioannis Damasceni: *„Non necesse est omnifariam et indefective assimilari exempla; quod enim est in omnibus simile, idem utique erit et non exemplum“* (*S. Ioann. Damasc.,* De fide orthodoxa lib. 3, c. 26 sub fin., apud *S. Thom.,* S. th. 3, q. 2, a. 6 ad 1). Idem ipse inculcat, cum dicit: *„In metaphoricis locutionibus non oportet attendi similitudinem quantum ad omnia: sic enim non esset similitudo“* (op. c. q. 8, a. 1 ad 2).

Appendix II.

Ad Theologiam naturalem.

Refutantur aliquot errores, quos H. Spencer, ad Agnosticismum fulciendum, a Mansel mutuatus est. (Cf. *Spencer,* First Principles [2. ed.] p. 39 sqq. *Mansel,* Limits of Religious Thought [Bampton Lectures, 3. ed.] Lect. II. et III.)

577. Ut facilius pateat, quam sint debiles rationes, quibus H. Spencer Agnosticismum superstruxit, praeter eas, quas iam libro I. Theologiae naturalis refutavimus, hoc loco aliquas breviter crisi subiciemus, quas apud Mansel (op. c.) invenit. Is enim cognitionem humanam non satis recte concipiens existimavit limitationem intellectus nostri esse tantam, ut de prima rerum causa ratiocinantes ad contradictorie inter se opposita statuenda veniremus. Ea quidem non esse contradictorie opposita *in ordine obiectivo,* ita ut in prima rerum causa esset interna contradictio, sed intellectum humanum naturali rationis lumine solo absque fide revelationis supernaturalis non posse certo discernere, utrum contradictio ipsi apparens esset vera contradictio necne. Mansel suis rationibus necessitatem fidei inculcare voluit, sed Spencer iis usus est ad ostendendum Deum nobis esse prorsus ignotum.

Haec igitur falso a Mansel asseruntur:

1. Censet cum Hegel secundum ratiocinationem nostram non posse esse Ens absolutum, quod non contineat omnem actualitatem, ipso malo non excepto (op. c. p. 46).

Resp. Quam sit hoc falsum, ex nostro de simplicitate et infinitate Dei tractatu patet (cf. Theol. nat. thes. XIV. XV.).

2. Existimat dictum Scholasticorum „Deus est actus purus" significare Deum esse Ens, in quo omnis possibilis exsistendi modus actu sit (op. c. p. 47).

Resp. Hoc falsum esse, patet ex iis, quae diximus n. 195.

3. Mansel putat (op. c. p. 47) Ens absolutum rationi naturali videri cessare esse ens absolutum et fieri ens relativum, si concipiatur ut causa.

Resp. Hoc assertum esse erroneum patet ex eo, quod Deus Ens absolutum causat sine ulla sui mutatione per solam voluntatem suam liberam ab essentia divina realiter non distinctam. Unde creatura realiter quidem refertur ad Deum, sed actu creandi non oritur realiter relatio Dei ad creaturam (cf. Theol. nat. n. 438).

4. Mansel existimat (op. c. p. 47) nos naturaliter non posse intelligere Deum potuisse exsistere ante mundum ab ipso creatum, quin negetur infinitas Dei, quia is, qui ita Deum concipiat, admittere cogatur Deum factum esse creatorem, cum antea non fuisset creator.

Resp. Hoc statuendo errat in eo, quod denominationem causae vel creatoris, quae Deo convenit, quatenus creatura realiter refertur ad ipsum, pro realitate habet, quae Deo superaddita sit. Nimirum, Deus actu creandi in se nihil efficit neque recipit, sed factus est terminus relationis realis, qua ens creatum ad ipsum refertur.

578. 5. Videtur Mansel (op. c. p. 48 et 49), secundum rationem naturalem dicendum esse Deum neque alia neque se ipsum intelligere posse, quin fiat ens relativum, id quod probat hoc argumento: Obiectum intellectionis, sive est modus exsistentiae subiecti intelligentis sive non, aut creatur in actu intellectionis et per hunc actum, aut independenter ab hoc actu exsistit. Atqui in priori supposito obiectum dependet a subiecto, et subiectum in se solum, quatenus nondum supponitur intelligere, est verum ens absolutum; in altero supposito subiectum dependet ab obiecto, et obiectum solum est verum ens absolutum. Ergo in neutro supposito subiectum intelligens est ens absolutum, et consequenter ens absolutum nequit esse ens intelligens.

Resp. Errat hoc loco in eo, quod putat suam disiunctionem in *mai. argumenti* esse completam; datur enim tertium, scl. . . . aut intellectio obiecti est aliquid, quod includitur in ipsa essentia entis intelligentis, id quod revera dicendum est de Deo. Nam Deus vi essentiae suae absolute necessario exsistentis se ipsum et omnia intelligibilia intelligit, siquidem omnia intelligibilia eo ipso exsistunt in ordine ideali, quod prima ratio ontologica eorum, Ens absolutum dico, tamquam purissimus intellectus in se subsistens exsistit in ordine reali (cf. Theol. nat. 299 sqq. 326 sqq.).

579. 6. Putat Mansel (op. c. p. 50) Ens absolutum, quia sit Ens simplicissimum, ex conceptu suo qua Entis simplicissimi omne attributum excludere, quo a nobis naturaliter determinate concipi et nominari possit.

Resp. Quam sit hoc a vero alienum, patet ex iis, quae thesibus XVI. et XVII. de perfectionibus et nominibus Dei probavimus. Videtur Mansel confundere Ens simplicissimum absolutum cum conceptu abstractissimo entis.

7. Mansel (op. c. p. 51) arbitratur rationem naturalem contradictionem internam apprehendere in Ente omnipotenti, quod non possit facere malum.

Resp. Id opinans ostendit se erronee quaerere mali causam *non deficientem* sed *efficientem*.

580. 8. Mansel videtur existimare (op. c. p. 51) Deum non posse naturaliter concipi ut infinite iustum, nisi exigat omnem poenam, quam peccator meruit, neque ut infinite misericordem, nisi peccatori parcat, quoties ei parcere possit.

Resp. Hac sententia ostendit se attributa Dei, de quibus loquitur, non recte concipere. Cf. explicationem iustitiae et misericordiae divinae a nobis traditam (n. 389). Iustitia et misericordia Dei sunt quidem in se infinitae, neque Deus umquam agere potest contra haec attributa; sed gradus, quo ea positive manifestat, regitur sapientia et decreto sapienter et libere statuto.

9. Mansel (op. c. p. 51) non intelligit exsistentiam malorum stare posse cum Ente bonitatis infinitae.

Resp. Ex malis huius mundi contra Deum infinite bonum nihil legitime inferri posse ostensum est Theol. nat. thes. LIII.

581. 10. Secundum Mansel (op. c. p. 52 et 53) Deus eodem modo se habens ante creationem et post eam naturaliter intelligitur in se recipere praedicata entis non productivi et entis productivi, quae contradictorie inter se opponuntur.

Resp. Deus est *sub diverso respectu* ens non productivum et productivum. Si libere non vult creaturam producere, est ens non productivum; si libere vult eam producere, fit sine sui mutatione ens productivum. Aliis verbis: Absoluta necessitate est ens productivum *virtute*, sed libere est ens productivum *actu*, quatenus agitur de productione entium finitorum.

11. Putat Mansel nos naturaliter non posse probare Deum cognoscere res creabiles, antequam creentur, quia videatur dicendum nihil posse concipi, quod non exsistat (op. c. p. 53).

Resp. Clare probavimus Deum esse intellectum infinitum in se subsistentem et se comprehendendo intelligere omnes essentias finitas possibiles et creabiles (cf. Theol. nat. n. 285 sqq. 294. 299. 303. 328).

12. Mansel putat (op. c. p. 70) nos non posse habere conceptum Entis infiniti nisi negativum.

Resp. Hic error Mansel a nobis refutatus est, quando explicavimus et probavimus Dei infinitatem et canonem statuimus nominum divinorum (cf. thes. XV—XVII).

Omitto alios errores, qui facile cognoscuntur.

INDEX ALPHABETICUS.

(Numeri indicis remittunt ad numeros marginales, quibus additus est numerus paginae, quoties id utile videbatur.)

Accidens in Deo nullum 184; obi. 188 sq. 229.

Actio Dei in res ab ipso diversas 426 sqq.; quatenus est decretum aeternum creandi 361 sq. 364 sqq. 369 sqq. 459. 522 sqq.; quatenus est actualis creatio ex nihilo 58 sq. 426 sqq.; quatenus est rerum conservatio 471 sqq.; quatenus est operatio in rebus operantibus (concursus) 479 sqq. 491 sqq. 565 sqq.; quatenus est rerum in finem directio 539 sqq.

Aeternitas quid proprie sit et quare de Deo praedicanda 231 sqq.

Aeternus sensu stricto Deus solus 235; aeternae creationis nulla est necessitas 451 sqq.; aeterna creatio num sit possibilis 461 sqq.; num hic mundus potuerit esse ab aeterno 464 sqq.

Aevum quid sit 231.

Affectus voluntatis divinae enumerantur 382 sqq.

Agnostici quid de Deo sentiant 9; refutantur 40 sqq. 53 sqq. 70 sqq. 73 sqq. 77 sqq. 84 sqq. 105 sqq. 112 sqq. 122 sqq. 138 sqq. 165 sqq. 195 sqq. 204 sqq.

Alloiologicum argumentum pro existentia Dei describitur 38 sq.; exponitur et defenditur 70 sqq.

Almaricanorum pantheismus 257.

Altum, „Der Vogel und sein Leben“ 85.

Amor Dei erga se ipsum absolute necessarius 361 sqq.; erga creaturas in libero creationis decreto fundatus 364 sqq.; est autem verus amor ad Deum ut finem relatus 358 sqq.; erga homines amor verae benevolentiae 524. 529 sqq.

Analogiarum distinctio apud S. Thomam 208.

Analogicus Dei conceptus quo sensu dici possit *proprius* 213; num dici possit *quidditativus* 421.

Annihilare Deus creaturas absolute potest, sed nullam annihilabit 477 sq.

Anselmus, S., de argumento ontologico 15 sq.; de argumento henologico 73, p. 46; de divisione perfectionum 204.

Antiquitas creaturae in genere spectatae 451 sqq.; huius mundi in concreto spectati 464 sqq.

Aricae tribus antiquae quam Dei notionem habuerint 5.

Aristoteles agnovit unum Deum personalem 8; quid intelligat motum 40; quomodo probaverit motorem immutabilem 51; rationes eius pro motus aeternitate refutantur 469 sq.

Ars Deo proprie convenit 389.

Athei describuntur et dividuntur 9; num homines sanae mentis diu manere possint athei negativi 147 sq.; num sua culpa fieri possint athei positivi sceptici 149 sqq.; num evadere possint athei positivi dogmatici 152.

Atheismus ostenditur rationi prorsus repugnare 139 sqq.; vitae morali et sociali hominum nocere 142 sqq.; dubia ei aliquatenus faventia solvuntur 61 sqq. 98 sqq. 119 sqq. 131 sqq. 144 sqq. 577 sqq.
Atomos materiae concursu fortuito in ordinem certum redactas esse omnino repugnat 89. 103.
Attributa Dei dividuntur in absoluta et relativa 4; de absolutis agitur 153 sqq.; de relativis 426 sqq.; quomodo absoluta inter se distinguantur 216 sqq.
Audacia sensu proprio non est in Deo 385, p. 232.
Augustinus, S., quo sensu dixerit nos omnia vera cognoscere in veritate incommutabili 12; proposuit argumentum henologicum 73; ideologicum 79; docuit Deum cognoscere infinita 538; quo sensu verum sit dictum eius, angelum esse prope Deum, materiam prope nihil 554.

Bach, M., „Die Wunder der Insectenwelt“ 85, p. 54.
Baco de Dei demonstrabilitate 125.
Bannez eiusque sectatores quid sentiant de modo praescientiae divinae actuum liberorum 330; quid de praedeterminatione eorundem *ibid.* 491 sqq.; cur iis non videatur assentiendum 334. 496 sqq.; iis adversatur S. Thomas 503 sqq.; frustra alios locos Angelici afferunt 519 sq.
Beatitudo Dei summa 394; hominum finis relative ultimus mundi 524. 529 (cf. 531. 551); ex eius desiderio probatur exsistentia Dei 112 sq.
Berthold, „Das Naturschöne“ 85, p. 54.
Billuart, „Cursus theologicus“ 330, p. 196.
Biologicum pro exsistentia Dei argumentum 82 sq.; exponitur 107 sq.
Boehme, Jac., theoriam pantheisticam statuit 258, p. 154.
Bonitas rei quid sit 410; dividitur 411; Dei probatur et defenditur 412 sqq.; a Deo propter ipsam amatur 355; idque absoluta necessitate 361 sqq.; ad eam Deus omnia entia finita refert 358 sqq. 522 sqq.
Bonus Deus solus quo sensu 416.
Bruno, Iord., theoriam pantheisticam statuit 258.
Bruta animalia a Deo subordinantur hominum felicitati 529. 545; ab eo non gubernantur qua individua 548; cur non sint crudeliter tractanda 547.
Buddhistae plerique non sunt athei 134.
Büchner, L., materialismum defendens refutatur 64 sq.

Caietanus in Sum. th. S. Thomae 220; de harmonia inter libertatem et immutabilitatem Dei 376.
Caird, „Introduction to the Philosophy of Religion“ 103.
Canon nominum divinorum 207 sqq.
Carpenter, physiologus, laudans sapientiam Dei 127; de utilitate organorum rudimentariorum 100.
Cartesius approbavit argumentum ontologicum 15.
Casus fortuitus non potest esse principium ordinis mundani 89 (cf. 103, p. 65); casu *absolute* accepto nihil fit 549 (cf. 541 sqq.).
Cathrein, „Philosophia moralis“ 111. 112. 114.
Causa prima non facta probatur 55 sqq.
Causalitatis principium laeditur ab atheis 40 sqq. 53 sqq. 70 sqq. 73 sqq. 84 sqq.; a pantheistis 267.
Cicero de causa ordinis mundani 97; de consensu gentium in divinitate agnoscenda 128; de utilitate religionis 143.
Cineseologicum pro exsistentia Dei argumentum 40 sqq.
Cognitio divina est infinite perfecta et actus unus 285; sine discursu 286; sine compositione et divisione *ibid.*; est ipsa substantia divina 287; est entitative et terminative immutabilis *ibid.*; com-

prehendit ipsum Deum 297; omnia, quae actu sunt vel fuerunt 298; omnia possibilia 299; omnia necessaria futura 300; omnia mala, omnia enuntiabilia, immo infinita 301; obi. 302 sqq.; etiam extenditur ad libera absolute futura 311 sqq.; et ad libera condicionate futura 321 sqq.; obi. 316 sqq. 323; medium eius subiectivum sive species intelligibilis 292; cur ei una species intelligibilis sufficiat 294; medium eius obiectivum num esse possit, et quo sensu 324; medium obiectivum eius respectu omnium qua pure possibilium 326 sqq.; respectu eorum, quae a sola libertate Dei pendent 329; num eiusmodi medium habeatur respectu liberorum condicionate futurorum 330 sqq.; num respectu liberorum absolute futurorum 338 sqq.; quae sit cognitionis divinae divisio 341 sqq.

Cognoscibilitas Dei naturalis qualis non sit 12 sqq.; qualis sit 36 sqq.

Compositio creaturae ex essentia et esse 178; aliae compositiones in rebus creatis 179; omnes a Deo excluduntur 181 sqq.; in compositionem Deus venire nequit 192 sq.

Comprehendere Deum creatura nulla potest 422.

Comte, agnosticismi auctor 138; refutatur 139 sqq.

Concursus divinus quid in genere intelligatur 479; naturalis et supernaturalis *ibid.*; mediatus 480; immediatus 481; physicus 482; moralis 483; probatur physicus immediatus 484 sqq.; obi. 488 sqq.; num sit immediata ad unum praedeterminatio 491 sqq.; negative respondet S. Thomas 503 sqq.; obi. 513 sqq.; concursum immediatum, qui sit simultaneus tantum, a Bannesianis falso intellectum esse ostenditur 508 sqq.; obi. ex S. Thoma 519 sq. 564 sqq.

Conscientia moralis basis argumenti pro exsistentia Dei 114 sqq.; obi. 119 sqq.

Consensus generis humani ostendit exsistere Deum 122 sqq.; obi. 131 sqq.

Conservatio divina rerum creatarum explicatur, probatur, defenditur 471 sqq.

Contradictionis principium a pantheistis laeditur 267; ab Hegelianis inepte impugnatur 272 sqq.

Corporeus Deus esse nequit 184.

Corpus omne *materialiter* spectatum immediate ex nihilo creatum est 58. 445 sqq.

Cosmologicum argumentum pro exsistentia Dei 38 sq.; proponitur et defenditur 53 sqq.

Creatio ex nihilo quid intelligatur apud S. Thomam 427 sqq.; eius definitio recentior 431; eius notio secundum Rosmini 439; ei debetur origo rerum 432; a Deo libere decernitur 433 (cf. 364 sqq.); est Deo exclusive propria 440 sqq.; per eam unaquaeque substantia spiritualis et unaquaeque particula materiae orta est 58 sqq. 445 sqq.; active et passive spectari potest 438; num fuerit ab aeterno 452 sqq.; num potuerit esse ab aeterno 461 sqq.

Creatrix potentia Deo vere propria 432 sqq.; Deo *soli* 440 sqq.

Creatura quomodo qua pure possibilis a Deo cognoscatur 328 (cf. 294. 310. 432, p. 259. 434, p. 261. 580 [error 11. Mansel]).

Crudelitas in animalia bruta cur sit mala 547.

Cudworth de fide unius Dei apud antiquos 247.

Darwin, Ch., „The formation of vegetable mould etc.“ 85, p. 54; quae obiecerit contra evidentiam exsistentiae Dei 68, p. 42. 100 sq.; fassus est se aliquando quodammodo cogi ad dicendum Deum exsistere 126.

Darwin, F., „Life and letters of Ch. Darwin“ 68 et alibi.

David Dinantensis theoriam pantheisticam statuit 257.

Denzinger, „Enchiridion etc.“ 452.

Deontologicum pro exsistentia Dei argumentum 111; proponitur 114; obi. 119 sqq.
De San, „Cosmologia“ 438.
Desiderium sitne in Deo 385.
Desperatio a Deo aliena 385, p. 232.
Deus cur hoc nomine appellatus sit 5; quae sit notio vulgaris Dei, quae philosophica 6 sq.; quid intelligatur *Deus personalis* 8; qua ratione Deus verus naturaliter cognoscibilis sit 11 sqq.; num intuitu immediato 12 sq.; num fide revelationis tantum 22 sqq.; num fide quadam naturali tantum 28 sqq.; possitne eius exsistentia argumento ontologico probari 14 sqq.; quot sint modi demonstrationis eius metaphysicae 37 sqq.; quot modi physicae 82 sqq.; quot modi moralis 111 sqq.; quam sit absurdum et perniciosum exsistentiam Dei negare 138 sqq.; quae sint attributa Dei absoluta 158 sqq.; quotuplex sit actio eius in res finitas 426 sqq.; quod sit nomen Deo maxime proprium 425 (cf. 155 sqq.).
Distantia inter *nihil* et *ens* 436 (cf. 443).
Distinctio virtualis quid intelligatur 177; inter attributa Dei 216 sqq.
Dualismus Manichaeorum reicitur 248 sqq.
Dublin Review de modo Deum cognoscendi 148.
Dummermuth, „S. Thomas et doctrina praemotionis“ 575.

Efficientia viventium reducitur ad Deum personalem et creatorem ut causam primam 53 sqq.
El, nomen Dei semiticum 5.
Eleaticus pantheismus quos habuerit auctores 256.
Elementa materiae a Deo creata sunt 58; idque immediate 445 sqq.; distributio eorum debetur causae intelligenti 91.
Eminenter sunt in Deo perfectiones mixtae creaturarum 206; in Deo praecontinetur unaquaeque creatura 294.
Energiarum conversio accuratius inspecta ducit ad cognitionem Dei 105 sq.
„Ens a se“, notio philosophica Dei 7; ex hac notione breviter probantur attributa Dei fundamentalia 48 sqq.; recte dicitur quasi definitio Dei 161 sqq.
Entropologicum pro exsistentia Dei argumentum 82 sq.; proponitur 105 sq.
Epping, „Der Kreislauf im Kosmos“ 127.
Esse sensu stricto acceptum est secundum S. Thomam proprius effectus creationis 439, p. 265; explicatur, quo sensu 427 sqq.
„Esse a se“ essentia Dei 155 sqq.; idque ex mente Aquinatis 158.
Esse Dei idem atque essentia eius 181.
„Esse in se subsistens“ quo sensu Deus dicatur 158; ex eo non sequitur Deum esse in genere substantiae 187.
Essentia quid intelligatur in creaturis et quo sensu dividatur in physicam et metaphysicam 155 sq.; quid essentiae creabiles sint, antequam creantur 432, p. 259; 434, p. 261; quo sensu loquamur de essentia Dei 157 sqq.; probatur *„esse a se“* esse essentiam Dei 160 sqq.; obi. 162 sqq.
Ethnologicum pro exsistentia Dei argumentum 122 sqq.; obi. 131 sqq.
Eudaemonologicum pro exsistentia Dei argumentum 112 sq.
Exsistentia Dei non patet intuitui immediato nostro 12 sq.; non evidenter probatur argumento ontologico 14 sqq.; obi. 19 sqq.; non ex sola revelatione nobis nota est 22; obi. 23 sqq.; non solum fide naturali apprehenditur 28; probatur ex motu rerum 40 sqq.; obi. 46 sq.; ex viventium novorum efficientia 53 sqq.; obi. 61 sqq.; ex caducitate specierum 70 sqq.; ex gradibus perfectionis essendi 73 sqq.; obi. 76; ex veris et veritatibus idealibus 77 sqq.; obi. 81; ex ordine mundi 84 sqq.;

obi. 98 sqq.; ex conversione energiarum 105 sq.; ex prima origine vitae organicae 107 sq.; ex eventibus miraculosis 109 sq.; ex desiderio beatitudinis 112 sq.; ex agnitione universali legis naturalis 114 sqq.; obi. 119 sq.; ex consensu generis humani 122 sqq.; obi. 131 sqq.; sine summa absurditate negari nequit 139 sqq.; neque *universaliter* sine ruina generis humani 142 sq.; obi. 144 sqq.; nequit homini rationis perfecte evolutae diu manere ignota 147 sq.; potest culpabiliter serio in dubium vocari 149[1] sqq.; non videtur ab homine ratione perfecte utente ex animo *firmiter* negari posse 152.

Faraday testis exsistentiae Dei 529.
Faye, astronomus, profitetur exsistentiam Dei 127.
Felicitas hominum finis mundi relative ultimus 524. 529; obi. 531. 551 sq.
Fichte, I. G., pantheista 260; refutatur cum ceteris pantheistis modernis 265 sqq.; obi. 269 sqq.
Fidelis Deus summe 407.
Fides naturalis Dei apud Kant 29; apud Jacobi 30; apud Hamilton 31; apud Mansel 32; apud Kuhn 33 sq.; obi. 35.
Finis mundi quinam sit 522 sqq.; obi. 530 sq.
Flint, „Antitheistic Theories“ 123, p. 78.
„Formaliter inesse“ quid sibi velit 204; perfectiones *purae* creaturarum quousque insint Deo formaliter 205.
Fortuitum simpliciter nihil est 546.
Franzelin de cognitione liberorum futurorum 333.
Frick, „Logica“ 274; „Ontologia“ 143 et alibi.
Frins, „S. Thomae Aquin. doctrina de cooperatione Dei etc.“ 518.
Fuga (horror) in Deo esse nequit 385.
Galilei testis scientificus exsistentiae Dei 125, p. 80.
Gaudet Deus maxime 384.
Generationes viventium non sunt ab aeterno 108; eas ab aeterno durasse metaphysice repugnat 468.
Genus humanum divina creatione ortum 58 sq. 445 sqq.; Deus in nullo genere 182.
Gerard, J., de testibus scientificis exsistentiae Dei 529.
Gloria Dei explicatur 523; est finis mundi primarius 525 sqq.
God, Gott, quid haec nomina etymologice spectata significent 5.
Goudin de praemotione 492. 513 sqq.
Gradus perfectionis essendi basis argumenti pro exsistentia Dei 73 sqq.; obi. 76.
Guerinos, „Clypeus philosophiae thomisticae“ 466.
Gutberlet, „Theodicee“ 104.

Haan, „Philosophia naturalis“ 84. 107, alibi.
Hamilton de cognoscibilitate Dei 31.
Hartmann, E. de, auctor theoriae pantheisticae 263; refutatur 265 sqq.
Hegel pantheista 262; refutatur 265 sqq.
Hellwald de universalitate religionis 123.
Henologicum pro exsistentia Dei argumentum 38 sq.; proponitur et defenditur 73 sqq.
Hontheim, „Theodicaea“ 5. 8. 79, alibi.
Hume agnosticismo prolusit 138, p. 88.
Huxley reicit casum absolute spectatum 89; concedit homines scientificos nihil contra exsistentiam Dei probasse 126; concedit creationem ex nihilo non repugnare *ibid.*

Jacobi, Fred. H., de cognoscibilitate Dei 30.
Iahveh, quid significet hoc nomen 5.
Janet, „Final causes“ 85, p. 54.
Ideae divinae quomodo se habeant 310.
Ideologicum pro exsistentia Dei

argumentum 38 sq.; proponitur et defenditur 77 sqq.
Immensitas Dei explicatur, probatur, defenditur 236 sqq.; comparatur cum veritatibus metaphysicis 245; quibus terminis a S. Thoma proponatur 244.
Immutabilis Deus solus 230.
Immutabilitas Dei physica explicatur, probatur, defenditur 226 sqq.; quomodo componatur cum libertate Dei 374 sqq.; decretorum divinorum sive immutabilitas moralis Dei 369 sqq.
Incomprehensibilis Deus omni creaturae 422.
Indicus pantheismus 256.
Ineffabilis Deus quam maxime 423.
Infinitas substantiae et vis agendi Deo soli convenit 220.
Infinite perfectus Deus 48 sqq. 195 sqq.; obi. 201 sqq.
Infinitus (actu) sub omni respectu Deus 48 sqq. 195 sqq.; obi. 201 sqq.; multitudo actu infinita repugnat 221 sq.; etiam magnitudo 223 sq.; sub quibus respectibus res creatae dici possint infinitae 225.
Instinctus brutorum explicari nequit absque causa mundi intelligenti 96.
Instrumentum creationis nulla creatura esse potest 444; quo sensu omnis creatura operans sit instrumentum Dei 500.
Intellectus Dei quomodo cognoscat 285 sqq.; qua specie intelligibili 292; cur haec ei sufficiat ad omnia qua singularia cognoscenda 294; quaenam obiecta cognoscat 295 sqq.; quaenam in medio obiectivo cognoscat 324 sqq.; qua virtus Dei 390; v. Cognitio, Scientia.
„Intentio“ qua ens incompletum 569.
Invidia in Deo esse nequit 384.
Invisibilitas Dei explicatur 420.
Ioannes Damasc., S., de cognitione Dei 211; de similitudinibus apte explicandis 576, p. 355.
Ira in Deo non proprie 385, p. 232; quo sensu metaphorice 386 (cf. 210, p. 128).
Iustitia divina 389 (cf. 551 sq. 559).

Kant qua ratione Deum iudicaverit naturaliter cognoscibilem 29; obi. contra demonstrationes exsistentiae Dei 69. 98 sq.; contra initium mundi 460.
Kepler testis scientificus exsistentiae Dei 125.
Kleutgen, „Institutiones Theologicae“ 385; „Philosophia schol.“ 148, alibi saepius.
Kopernicus testis exsistentiae Dei 125, p. 80.
Krause, C. Ch. Fr, panentheismum statuit 264; refutatur 265 sqq.
Kuhn de cognoscibilitate Dei 33 sq.

Lahousse, „Theol. nat.“ 159.
Lange, Fr. A., arguit contra sapientiam ordinatoris mundi 102; non recte sentit de origine religionis 136.
Leibniz de evidentia exsistentiae Dei 125, p. 80; de optimismo 532, p. 323.
Lessius, „De divinis perfectionibus“ 380. 561.
Lex naturalis basis argumentationis pro exsistentia Dei 114 sqq.; obi. 119 sq.
Libera futura a Deo cognoscuntur 311 sqq. 321 sqq.; num in medio obiectivo 330 sqq. 338 sqq.
Liberalitas Dei 390.
Liberatore, „Instit. phil.“ 424. 439.
Libertas Dei explicatur 361; probatur 364; obi. 365 sqq.; quomodo stet cum Dei immutabilitate 374 sqq.
Lubbock, Sir J., „Ants, bees and wasps“ 85, p. 54.
Lyell, Sir Charles, testis scientificus exsistentiae Dei 529.

Magnitudo actu infinita repugnat 223 sq.
Malebranche optimismum exaggeratum docuit 532, p. 323.
Malum explicatur et dividitur 553; metaphysicum non obstat Provi-

dentiae 554; neque physicum 555 sqq.; morale a Deo non approbatur 558; toleratio huius non obstat Providentiae 559 sq.; obi. 561 sq. (cf. 551 sq.); doctrina revelata de origine malorum 564; summum principium malum repugnat 248 sq.; obi. 250 sqq.
Manichaeorum dualismus reicitur 248 sq.; obi. 250 sqq.
Mansel de cognoscibilitate Dei 32; errores eius 577 sqq.
„Manuals of Catholic Philosophy" 165.
Maria, Michael de, „Philosophia" 343.
Materia a Deo ex nihilo creata 58 sqq. 445 sqq.; obi. 61 sqq. 434 sqq. 448 sqq.; ex forma et materia Deus non componitur 184.
Maxwell, James Clerk, testis scientificus exsistentiae Dei 529.
Medium cognitionis divinae subiectivum 292 sqq.; obiectivum 324 sqq.
Mendacium Deus omnipotens committere nequit 399; cur id Deo absolute repugnet 405 sq.
Metaphysica demonstratio exsistentiae Dei 37 sqq.; quinque viae eius 38 sq.; ex motu rerum 40 sqq.; ex efficientia viventium 53 sqq.; ex caducitate esse specifici rerum 70; ex gradibus rerum 73 sqq.; ex veris et veritatibus idealibus 77 sqq.; essentia Dei metaphysica 155 sqq.; veritates metaphysicae funditus inspectae 245.
Mill, J. St., contra evidentiam causae primae 66 sqq.; contra argumentum teleologicum 99; pro unitate Dei 170; pro dualismo Manichaeorum 248.
Miracula basis demonstrationis exsistentiae Dei 109 sq.
Misericordia divina 389 (cf. 559).
Mivart, biologus, demonstrat exsistentiam Dei 127.
Mixta perfectio quid intelligatur 204; quomodo sit in Deo 206.
Molina de praevisione actuum liberorum 331; de concursu simultaneo 511 sq.
Molinistae num falso sentiant admittendam esse scientiam mediam, et concursum Dei immediatum esse simultaneum tantum 330 sqq. 491 sqq. 565 sqq.
Monismus materialisticus a modernis quibusdam frustra propugnatur 64 sq. 103 sq. 144 sq.; pantheisticus reicitur 265 sqq.
Monotheismus stabilitur 36 sqq.; perfectius evolvitur 165 sqq.; fuit religio originalis 246; vestigia eius apud polytheistas 247.
Moralis demonstratio exsistentiae Dei 111; tres viae eius *ibid.*; ex beatitudinis desiderio 112 sq.; ex conscientia morali (sensu latiori accepta) 114; ex generis humani consensu 122 sqq.; concursus Dei moralis 483; malum morale a Deo non approbatur 558; recte a Deo toleratur 559 sqq.
Motor primus immobilis probatur 40 sqq.; obi. 46 sq.; quo sensu recte dicatur se movere 52.
Motus esse nequit absque primo motore immutabili 40 sqq.; obi. 46 sq.; non potest esse ab aeterno 467; obi. 469 sq.
Movere quo sensu dicendus sit Deus creaturas ad agendum 493. 497; *„quidquid movetur, ab alio movetur"*, cur verum sit 41 sqq.
Müller, Max, testatur universalitatem religionis 123, p. 78; eius versio Criticae Kantianae 98 sq. et alibi.
Multitudo actu infinita exsistere nequit 221 sq.
Mutatio explicatur et dividitur 226 cur non sit in Deo 228 sq.; cur non in decretis divinis 370 sqq.; non habetur in creatione ex nihilo 429. 435, p. 262.

Natura Dei idem atque Deus 183.
„Naturales res", quatenus apud S. Thomam opponuntur voluntati, quid intelligantur 567.
Neoplatonicorum pantheismus 256, p. 153.
Newman de probatione exsistentiae Dei ex conscientia 121.

Newton laudat Deum creatorem 125, p. 80.
Nomen Dei 5; nomina perfectionum creaturarum quomodo de Deo praedicanda sint 207 sqq.

Obiecta cognitionis divinae 296 sqq.; voluntatis divinae 361 sqq. 433. 522 sqq.
Omnipotentia Dei explicatur, probatur, defenditur 395 sqq.
Ontologicum argumentum exponitur et diiudicatur 15 sqq.
Ontologismus reicitur 12 sq.
Operatio Dei in creaturis operantibus 479 sqq.; v. Concursus.
Optimismus exaggeratus et moderatus 532 sqq.
Ordo mundi explicari nequit absque ordinatore intelligenti 84 sqq.; Deum personalem habet auctorem supremum 97.
Organa rudimentaria non probant defectum sapientiae ordinatoris mundi 100, p. 63.
Origo rerum a Deo diversarum 433 sqq.

Paenitentia de Deo metaphorice dicitur 384.
Paget de organis rudimentariis 100, p. 63.
Pantheismus in genere 255 sqq.; theoriae eius variae 256 sqq.; modernus refutatur 265 sqq.; obi. 269 sqq.
Perfectiones creaturarum quo modo sint de Deo praedicabiles 204 sqq.
Perfectus Deus infinite 195 sqq.
Personae ratio inepte dicitur Deo non esse applicabilis 272.
Personalis Deus probatur 40 sqq.; v. Deus.
Pesch, Ch., „Der Gottesbegriff etc." 123. 131. 247.
Pesch, T., „Philosophia naturalis" 104. 457; „Welträthsel" 135, p. 86.
Peschel, Oskar, de universalitate religionis 123.
Physica demonstratio exsistentiae Dei quibus modis fieri possit 82 sq.; ex ordine mundi 84 sqq.; ex conversione energiarum 105 sq.; ex prima origine vitae organicae 107 sqq.; ex miraculis 109 sq.; physica praemotio v. Praemotio.
Plato agnovit Deum personalem 8; num recte statuerit Deum se movere 52.
Polytheismus unde ortus sit 246; non perfecte exstinxit monotheismum 247.
Possibilia quomodo sint fundamentum probationis exsistentiae Dei, quatenus intelliguntur res, quae possunt secundum speciem mutari 70 sqq.; quomodo, quatenus intelliguntur pure idealia 77 sqq.; num a Deo cognoscantur 299; quomodo 328; num res pure possibilis sit aliquod ens a Deo diversum 432. 434, p. 261 (cf. 416).
Potentia Dei infinita et omnipotentia 395 sqq.; ratio eius formalis 400; absoluta et ordinata 401.
Praeambula fidei quid intelligantur 23.
Praedeterminatio physica, v. Praemotio.
Praemotio physica qualis sit admittenda 493 sq.; reicitur immediata ad unam certam actionem 491 sqq.; ostenditur hanc menti S. Thomae non esse conformem 503 sqq. 519 sq. 565 sqq.
Praesentia Dei in rebus omnibus ex mente S. Thomae explicatur 244 (cf. 236 sqq.).
Proprius de Deo conceptus quo sensu a nobis in hac vita acquiri possit 213.
Providentia Dei secundum varias suas partes explicatur et probatur 521 sqq.; obi. 530 sqq. 549 sqq. 561 sqq. (cf. 248 sqq.).
Prudentia in Deo sensu proprio 389.
Ptolemaicum systema cosmicum a S. Thoma non acceptum est pro certo 135, p. 86.
Pulcher Deus infinite 417; obi. 419.
Pura perfectio quid intelligatur 204; quomodo sit in Deo 205.

Quidditas (essentia) rei quid proprie sit, antequam res ex nihilo crea-

tur 432, p. 259. 434, p. 261. 435, p. 262.
Quidditativa Dei cognitio quo sensu nobis insit, quo sensu non 421.

Relatio num ex mente Aquinatis realiter distinguatur a suo fundamento 438, p. 264; inter creatorem et creaturam qualis sit *ibid.*
Relativa attributa divina explicantur, probantur, defenduntur 426 sqq.
Relative ultimus finis mundi 524. 529. 531; mundus relative optimus 534.
Roskoff, Gustav, de universalitate fidei in divinitatem 123.
Rosmini qualem conceptum creationis habuerit 439; quid de bonitate mundi senserit 532 (cf. 537 sq.).
Rudimentaria organa non obstant sapientiae Dei 100, p. 63.

Sanctitas summa Dei 380 sq.
Sapientia in Deo sensu maxime proprio 390.
Schelling, F. G. Jos., pantheisticam theoriam statuit 261; refutatur 265 sqq.
Schiaparelli, „Die Vorläufer des Kopernikus“ 135, p. 86.
Schneider, W., „Naturvölker“ 123.
Schopenhauer quid de prima causa senserit 263; refutatur 265 sqq.
Scientia divina quam sit perfecta 285 sqq.; quod sit medium eius subiectivum 292 sq.; cur habeatur per unum speciem intelligibilem 264; est comprehensiva Dei ipsius 297; omnium, quae sunt et fuerunt 298; omnium possibilium 299; omnium necessariorum futurorum 300; ei omnia mala, omnia enuntiabilia, immo infinita patent 301; obi. 302 sqq.; comprehendit omnia libera *absolute* futura 311 sqq.; obi. 316 sqq.; etiam libera condicionate futura 321 sqq.; obi. 323; quid intelligatur medium obiectivum eius 324; in quo medio obiectivo apprehendat omnia qua pure possibilia 326 sqq.; in quo medio obiectivo omnia a sola libertate Dei pendentia 329; num libera *condicionate* futura cognoscat in medio obiectivo 330 sqq., obi. 335 sqq.; in quo medio obiectivo libera absolute futura 338 sqq.; num recte dicatur causa rerum 309; de ideis, quas continet 310; quot modis dividi possit 341 sqq.: num Deo recte tribuatur *scientia media* 340 (cf. 344 sq. 491 sqq. 565 sqq.); scientia Dei qua virtus 390.
Scotus de potentia Dei 401; de cognitione Dei quidditativa 421.
Scotus Erigena theoriam pantheisticam statuit 257.
Secchi testis scientificus exsistentiae Dei 125, p. 80.
Selectio naturalis absque Deo nihil explicat 101.
Semiticum nomen Dei 5.
Simplicitas Dei explicatur et probatur 177 sqq.; obi. 186 sqq.
Solare systema absque Deo oriri non potuit 90. 93 sqq.
Spatium quo sensu sit creatum 63; num possit esse actu infinitum 224, p. 136.
Species intelligibilis Dei 292 sq.; cur sufficiat ad omnia singularia *qua talia* intelligibilia reddenda 294.
Spencer, H., de evolutione rerum 54; contra cognoscibilitatem Dei 61 sqq. 146; insinuat monotheistas anthropomorphismum committere 207; de origine religionis 129; quos errores a Mansel mutuatus sit 577 sqq.
Spes in Deo non est 385, p. 232.
Spinoza qualem pantheismum statuerit 259; cur eius pantheismus sit reiciendus 265 sqq.; quibus fallaciis eum superstruxerit 276 sqq.
Stoeckl, „Geschichte der neuern Philosophie“ 138.
Stoicorum pantheismus 256, p. 153.
Strauss, D. F., pro evolutionismo materialistico 64 sq.; de origine religionis 136.
Suarez de unitate Dei 165; de

perfectione Dei infinita 195. 197; de Deo omnia in se cognoscente 326, p. 194. 416; de scientia actuum liberorum condicionate futurorum 331, p. 198. 332; de modo conciliandi Dei libertatem cum eius immutabilitate 374 sqq.; de relatione 438, p. 264; de concursu divino 479.
Sublimis Deus summe 424.
Substantia non est una tantum 266 (cf. 284); fundamentale discrimen inter infinitam et finitam patet ex 187. 294. 299. 416. 432 sqq.
Synderesis (συντήρησις) quid intelligatur 114, p. 72.

Tempus actu infinitum esse nequit 222; infinitum num concipi possit 61 sq.
Thaumatologicum pro exsistentia Dei argumentum 82 sq.; quomodo proponi possit 109 sq.
Theologia naturalis definitur 1; quanti sit habenda 2; quomodo se habeat ad theologiam dogmaticam 3; quae sit eius divisio 4.
Thomas, Doctor Angelicus, per totum opus saepissime. *Notanda specialia ex eius doctrina:* de cognitione rerum in veritate rationum aeternarum 12; quomodo patefecerit defectum argumenti ontologici 16, p. 11; quid habeat articulum fidei sensu stricto acceptum 23; de utilitate revelationis praeambulorum fidei 24; quid intelligat *res possibiles* sensu latiori et quid *esse* sensu stricto 38; quid intelligat essentiam 155; quid statuat essentiam Dei 158; quod discrimen ponat inter unitatem naturae humanae comparatae ad tres personas humanas 175; de compositione rerum ex essentia et esse 178 (cf. quae dicit de effectu primo et proprio creationis 427. 435, p. 262. 439, p. 265; cf. etiam quae dicit de essentia creata 527); de varia significatione, quae inesse possit nomini infinitatis 197. 225; eius canon de nominibus divinis 207; de mutatione sensu proprio et sensu improprio 226, p. 137; de impossibilitate multitudinis et magnitudinis actu infinitae 221 (cf. 464 sq.). 224; quod discrimen posuerit inter tempus, aevum, aeternitatem 231; quo sensu dicat Deum esse in rebus *per potentiam, praesentiam, essentiam*, eumque esse *ubique primo et per se* 244; de cognitione omnium *qua singularium* per unicam speciem intelligibilem 294; de multitudine idearum rerum possibilium in mente divina 310; de cognitione actuum liberorum futurorum 315. 334, p. 201. 337; quo sensu „intelligere“ et „velle“ dicat motum 354; quomodo dividat scientiam divinam 342, p. 206. 343. 346; de affectibus et virtutibus Dei 382 sqq. 388 sqq.; de notione potentiae activae 395; de ratione formali potentiae Dei 400; de potentia Dei absoluta et ordinata 401; de triplici rerum bonitate 416; de notione pulchri 417 (cf. 419, p. 252); de nomine *„Qui est“* 425; de conceptu creationis 427; de modo, quo res creatae a Deo procedunt 433; negat effectum creationis *realiter* recipi in aliquo subiecto 435, p. 262; quo sensu impossibilitatem aeternae creationis dixerit non esse naturaliter evidentem 464 sqq.; tribuit materiae primae creatae aliquam exsistentiam sensu latiori 471. 477; negat immediatam ad unam certam actionem praedeterminationem physicam 503 sqq. (cf. 519 sq. 565 sqq.); nihilominus recte dicit creaturas agentes ad Deum se habere ut instrumenta 500; quoad creaturas liberas hoc sub certo respectu *explicite* negat 520; approbat scientiam mediam eo modo acceptam, quo Suarez eam explicat 334 (cf. 337 sq.).
Thomson, Sir William, laudat Deum 529.
Tiele, C. P., testatur universalitatem religionis 123.

Timor nequit esse in Deo 385, p. 232.
Toletus de fide veritatum demonstrabilium 23.
Tongiorgi, „Instit. phil.“ 97.
Traditionalismus reicitur 22; argumenta theologica ei faventia solvuntur 23 sqq.
Tristitia in Deo esse nequit 384.
Tylor de universalitate fidei entium supramundanorum 123.

„Ubique primo et per se“ Deus 244.
Unitas Dei explicatur, probatur, defenditur 165 sqq.; comparatur ad mysterium SS. Trinitatis 175.
Unus Deus maxime 176.

Verax Deus summe 405 sq.
Veritas per se nota *quoad se* et *quoad nos* 14; per se nota *quoad se* Deus est 17; per se nota *quoad nos* Deus non est 18; obi. 19 sqq.; prima essentialis, intellectualis, moralis Deus 402 sqq.; obi. 408 sq.
Via triplex inveniendi attributa Dei infiniti 214; reducitur ad duplicem *ibid.*
Virtus moralis et intellectualis num de Deo sint praedicandae 388 sqq.
Vita Deo proprie convenit eaque beatissima 391 sqq.
Voluntas Dei infinite perfecta 348 sqq.; obi. 352 sqq.; bonitatem Dei propter ipsam amat et ad eam cetera refert 355 sqq.; obi. 359 sq.; Deum necessario, cetera libere vult 361 sqq.; obi. 365 sqq.; decreta sua non mutat 369 sqq.; obi. 371 sqq.; eius libertas quomodo stet cum immutabilitate Dei 374 sqq.; eius sanctitas 380 sq. (cf. 410 sqq.); eius affectus 382 sqq.; eius virtutes 388 sq.; est causa efficiens creaturarum 433. 438 (cf. 400); quo sensu dividatur in voluntatem beneplaciti et signi 387.

Wasmann, „Der Trichterwickler“ 85, p. 54. 127.

Zigliara, „Summa philosophica“ 343. 466. 518.

PROSPECTUS.

Sumptibus ac typis B. HERDER, Typographi Editoris Pontificii, **Friburgi Brisgoviae**, prodiit:

CURSUS PHILOSOPHICUS.

IN USUM SCHOLARUM.

AUCTORIBUS

PLURIBUS PHILOSOPHIAE PROFESSORIBUS

IN COLLEGIIS EXAETENSI ET STONYHURSTENSI S. J.

Sex volumina 8°.

Logica. In usum scholarum. Auctore **Carolo Frick** S. J. Cum approbatione Revmi Archiep. Friburg. 8°. (VIII et 296 p.) *M.* 2.60 = *Fr.* 3.25; cum dorso corio religato *M.* 3.80 = *Fr.* 4.75.

„La libreria B. Herder, ben conosciuta per le sue eccellenti e numerose pubblicazioni religiose, principalmente di filosofia e teologia, ha cominciato a pubblicare un corso di filosofia veramente classico, ad uso dei Seminari e delle Università. I sei piccoli volumi, dei quali si deve comporre, avranno per autori i professori più eminenti nella materia, scelti nella Compagnia di Gesù. ... Ad un metodo rigorosissimo l' autore della *Logica* aggiunge una grande semplicità e chiarezza, una precisione senza pari: qualità rarissime in questo genere di Opere."

(L' Osservatore Romano. 1893. No. 268.)

„Ce manuel de logique fait partie de la même collection que la philosophie morale du Père Cathrein dont nous avons parlé dans notre dernière livraison; le format de l'ouvrage, l'impression et la méthode sont les mêmes. Le style est également simple, concis, visant plutôt à l'exactitude et à la clarté qu'à l'élégance. En général, l'auteur reproduit

la doctrine des anciens et de Saint Thomas, surtout dans la dialectique. . . . En résumé, la logique du R. P. Frick est un bon manuel, parfaitement adapté aux besoins de l'enseignement de la philosophie dans les séminaires et les lycées catholiques."

(Revue de la Suisse Catholique. Fribourg 1893. No. 11.)

Ontologia sive Metaphysica generalis. In usum scholarum. Auctore **Carolo Frick** S. J. Cum approbatione Revmi Archiep. Friburg. 8°. (VIII et 204 p.) *M.* 2 = *Fr.* 2.50; cum dorso corio religato *M.* 3.20 = *Fr.* 4.

„. . . While not a large work, it would be untrue to describe it as a compendium. It is in reality a full text *in usum scholarum,* in which the subject and its main divisions are clearly laid out, the definitions carefully constructed and adequately explained, the proofs forcibly and succinctly worked out, the objections stated with point, and answered tersely, but without the irritating defect of meagreness. In bulk the work is somewhat shorter than the corresponding treatises of Palmieri or Zigliara, but longer than those of Tongiorgi or Liberatore. The treatment is characterised throughout by admirable precision and useful references to the other volumes of the series. There is a freshness in the treatment of the most familiar topics which is very gratifying, and not a page but what is adorned with some novel turn in the exposition, or some hitherto unnoticed connection of ideas. The whole comes living and vigorous from the mind of a clear and subtle thinker, who in the most abstruse portions of metaphysics finds himself the most completely at home. The texture of thought is undoubtedly close, fine, and strong, such as will demand further explanation of the professor, not indeed that he may introduce new matter, but rather open out the full meaning of a studiously careful text. In the details of his subject, the author has shown an experienced discrimination both as regards the choice of matter and the manner of its treatment. . . ."

(Dublin Review. London 1894. Nr. 229.)

Philosophia naturalis. In usum scholarum. Auctore **Henr. Haan** S. J. Cum approbatione Revmi Archiep. Friburg. 8°. (VIII et 220 p.) *M.* 2 = *Fr.* 2.50; cum dorso corio religato *M.* 3.20 = *Fr.* 4.

„Comprende este tratado las principales cuestiones filosóficas de Cosmología, expuestas algunas con notable extensión. Combinando la experiencia y los eternos principios de la razón según la naturaleza del asunto, y usando en la exposición de la doctrina el método de las

escuelas, discurre su autor con acierto y profundidad acerca de las propiedades de los cuerpos, de su actividad, de las leyes de la Naturaleza, etc.; y como corolario de esto último demuestra en un capítulo extenso, y con abundancia de pruebas, la posibilidad y existencia de los milagros, combatidos bajo formas distintas, con sectaria insistencia, por los corifeos de la impiedad. Examina después la naturaleza de la vida, cuestión difícil y cuya trascendental importancia nadie desconoce en nuestros días, en que el materialismo se empeña en prescindir completamente para la explicación de los fenómenos vitales de otro principio que no sea el material; termina la Psicología con una breve exposición de la teoría evolucionista, demostrando la falta de fundamento, y considerándole como invención quimérica en oposición con la razón y la experiencia. . . ." (La Ciudad de Dios. Madrid 1894. No. 5.)

„. . . Rileviamo con piacere e soddisfazione che i ch. autori (della ‚*Ontologia*' e della ‚*Philosophia naturalis*'), avendo di mira il bene degli scolari, hanno saputo congiungere ottimamente alla profondità e solidità della esposizione di una dottrina sanissima un ordine sapiente, cui seguono con facilità le giovani menti, uno stile facile e piano, ed una accurata chiarezza. . . ." (L' Osservatore Romano. 1894. No. 67.)

Psychologia rationalis sive Philosophia de anima humana. In usum scholarum. Auctore **Bern. Boedder** S. J. Cum approbatione Revmi Archiep. Friburg. 8°. (XVIII et 344 p.) *M.* 3.20 = *Fr.* 4; cum dorso corio religato *M.* 4.40 = *Fr.* 5.50.

„This Latin manual of Psychology is a very valuable contribution to the series of short handbooks of Catholic philosophy, destined especially for the use of students in ecclesiastical seminaries and edited by several eminent German Jesuits. . . . It is built upon the psychology of Aristotle and St. Thomas, and combines in a most happy manner precision of style and solidity of doctrine. Its brief scientific exposition of the scholastic philosophy regarding the most important problems of the human soul is excellent; the treatment of those psychological questions, which are the special subject of discussion and difficulties during the modern period, deserves special praise for the careful interpretation or solution they receive throughout the book—particularly his criticism on Darwinism and the school of English Positivism, as represented by J. S. Mill and Herbert Spencer, seems to us very appropriate; and his judicious remarks on Spiritism and Hypnotism show how well the author understood to bring even the most recent psychological questions within the brief compass of a manual of peripatetic and scholastic philosophy."

(The Bombay Catholic Examiner. Bombay 1894. Nr. 42.)

„È un testo di dottrina veramente solida, elaborata sulla trama dell' Angelo delle Scuole. Il ch. autore vi discute con pari accuratezza tutte le questioni, dalla cui soluzione sorge quel compitissimo sistema che è la psicologia peripatetica. Ma benchè fedele alla dottrina dell' Angelico, il Boedder è uomo che pensa da sè; e lo vediamo nell' analisi delle teorie tomistiche e nel modo onde egli le mette a riscontro coi ritrovati, o con gli errori moderni. . . ." (Civiltà Cattolica. Roma. 1. Dic. 1894.)

Theologia naturalis sive Philosophia de Deo. In usum scholarum. Auctore **Bernardo Boedder** S. J. Cum approbatione Revmi Archiep. Friburg. 8°. (XVI et 372 p.)

Philosophia moralis. In usum scholarum. Auctore **Victore Cathrein** S. J. Cum approbatione Revmi Archiep. Friburg. 8°. (X et 396 p.) *M.* 3.50 = *Fr.* 4.40; cum dorso corio religato *M.* 4.70 = *Fr.* 5.90.

(Editio altera sub prelo est.)

„. . . Those of our readers who have not the key to Fr. Cathrein's elaborate German work on Moral Philosophy, will be glad to have access through a Latin medium to the author's store of moral science, which has won for his larger volumes a front-place amongst works of their kind. They will find in this book a concise, yet very clear, methodical, and, on the whole, timely summary of Ethics. Having been intended as a class-manual, it possesses those divisions, headings, and general arrangement which help the eye, the memory and so, indirectly, the intellect in seizing and assimilating its contents. . . . For the rest, we doubt if there be on the whole a better Latin compendium of Moral Philosophy, adapted to the use of ecclesiastical, or of other students who are masters of its language—one that is more lucid in its method and style, more concise, yet sufficiently ample in its range, more timely in its treatment. Readers who have developed beyond the pupilage state will find the book suggestive, and as far as its subject permits, an easily read medium for review of former study."

(American Ecclesiastical Review. Philadelphia 1893. December.)

FRIBURGI BRISGOVIAE.

B. HERDER,

TYPOGRAPHUS EDITOR PONTIFICIUS.

Definitio et divisio Philosophiae

Metaphysica est fundamentum omnis scientiae

Definitio et divisio Ontologia

Ens et participium et nomen

Ens contrahitur; analogice praedicatur.

De Proprietatibus entis; species unitatis

Quid potentia objectiva, et subjectiva

Quid sit actus et exemplum

Quaestio essentia et existentia

Definitio substantia et accidens

Suppositum et Persona

Quid Principium Occasio

Conditio sine qua non, Causa.

Quotuplex causa.

Definitio et divisio Theodicea

Existentia Dei Demonstrationem indiget

Existentia Dei demonstratur non a priore nec a simultaneo sed a posteriore.

Enuntiantur quinque vice St. E.

Evolvantur quodlibet duo

Brevia verba de formula constitutiva

[illegible]

160
B 633
BOEDDER, B.
10112
AUTHOR
Theologia Naturalis
TITLE
DATE LOANED
BORROWER'S NAME
ROOM NUMBER
STORAGE
10112
2015